COMMENTARIUS IN TITULUM IURIS CANONICI DE SIMONIA PER...

Peter Binsfeld, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
8 A
7 M
13—22. C. 21.

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIVS IN TITVLVM IVRIS CANONICI DE SIMONIA PER Quæſtiones & Concluſiones.

AVCTORE

PETRO BINSFELDIO SVFFRAGANEO TREVIrenſi Doctore Theologo, *editus poſt obitum eius ex autographo Auctoris.*

ACTOR. VIII.

Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri.

AVGVSTÆ TREVIRORVM,

Excudebat Henricus Bock, Anno

M. DCIIII.

Cum gratia & priuilegio Archiepiſcopali.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANVELE IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

REVEREN-
DISSIMO ATQVE
ILLVSTRISSIMO DOMINO D.
IOACHIMO IMPERIALIS ECCLE-
ſiæ Hirsfeldenſis Abbati digniſſi-
mo, ac S. Romani Imperij
Principi.

QVOD multo abhinc tempore Antiſtes digniſſime, crebris & ardentibus votis optaueram, vt pignus aliquod meæ erga te obſeruantiæ, atque amoris in lucem proferrem; id tandem vi-

deor diuino beneficio, ſaltem ex parte aliqua adſecutus; dū hunc de Simonia libellum Petri Binsfeldij, B. memoriæ, viri grauiſſimi ac doctiſſimi, tam iuris Canonici, quàm rerum Theologicarum, Reuerendiſſimi atque Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Treuirenſis pridem in ſpiritualibus Vicarij, & Epiſcopi Azotenſis, ante ſexennium omnium bonorum gemitu, & dolore, immatura morte extincti, quaſi partum poſthumum, primò in manus excudendum accepi. Illud enim opuſculum nulli alteri quàm tuæ amplitudini à me inſcribendum eſſe, multis de
causſis

Digitized by Google

cauſsis ſtatim in mentem venit. Primò quidem quòd inſinuaui, vt meæ erga te modeſtiæ, Reuerentiæ, & amoris perpetua quaſi teſſera eſſet; qua omnibus teſtatum facerem, quanti ſemper fecerim Reuerendam Amplitudinem tuam, quamq́ue ſemper officia mea illi præſtare ſtuduerim; etſi non ignorem nullam me partem ipſius erga me beneuolentiæ, ac meritorum, quibus obligatus ſum, aſſequi poſſe. Deinde ipſa argumenti ratio talem patronum efflagitabat. De Simonia enim Liber, ſi ipſe deligere poſſet ſibi defenſorem, ac propu-

Digitized by Google

gnatorem; quem potius legeret de multis, quàm talem virum, ac Principem; qui & à deteſtabili illa labe in omni vita ſua abſuit longiſſimè, & illud hominum genus in clero contaminatiſſimū ac perditiſſimum, omnibus modis execratur? Quid enim tam indignum, atque impium, quàm diuinæ gratiæ dona, vel id quod ſpirituale eſt, vel ſic annexum ſpiritualibus, vt ab ijs per ſe dependeat, pretio temporario vel vendere, vel acquirere? Pecunia tua (ait *Actor. 8.* ad Simonem Petrus) tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecu-

nia

Digitized by Google

nia poſſideri, non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Quo quid grauius in illud hominum genus à Principe Apoſtolorum dici poterat? dum & perditionem minatur certam, & Euangelij, id eſt, diuinæ gratiæ ſaluantis pronunciat exortes, & cordis non recti coram Deo accuſat? Accedit etiam quòd vitium hoc perpetuam cum auaritia, quæ teſte Paulo ad Epheſ. 5. eſt idolorum ſeruitus, coniunctionem habeat, quin potius, vt rectius dicam, ab illa ſemper exoriatur. Qua quid clerico,

quid viris Eccleſiaſticis, quid ipſis Eccleſiæ Prælatis (quorum omnium animus ad benignitatem, ac beneficentiam exporrectiſſimus eſſe debet) indignius accidere poteſt? Conuincuntur tamen hoc crimine, eſſe auari; dum vel excæcati cupiditate de gratuitis Dei donis, pretium ab illis quibus ſpiritualia conferunt, tacitè vel expreſsè ſtipulantur, vt cenſum ſuum augeant, conſcij iniquitatis; vel acquirere pretio ſtudent ſpiritualia huiuſmodi, vt annexa temporalia commoda per fas & nefas auidiſſimo opum animo auarè abſorbeant, vt

iure

Digitized by Google

iure optimo in vitium hoc teterrimum exclamet Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ libro 2. capite 9. in hunc modum. O lepra contagioſa, lepra fœtida, vſque ad nares Domini Sabaoth, lepra labefaciens interiora vitalia, & ſacra in Dei Eccleſia ſacrificia, abominabilis Deo, & diuinis hominibus: apud homines incurabilis, ſoli Chriſto Domino qui apparere voluit tanquam leproſus, Eſaiæ 53. curatu poſſibilis, &c. Denique poſtulabat ſibi à me munuſculum hoc Reuerenda dignitas tua, vir Ampliſſime, vt illius ſcilicet auctori-

tate, grauitate, prudentia ab improborum calumnijs facilius vindicaretur: Etſi enim libellus hic ſat commendatus videri poterat, tum argumenti grauitate atque vtilitate, tum inſigni Scriptoris nomine, & auctoritate. cuius alia quædam opuſcula plena doctrina, & iudicio ante complures annos emiſſa; magno omnium Nationum Christianarum applauſu, paſſim teruntur; ſæpiuſque recuſa, longè lateque diſtrahuntur: faciet tamen nominis tui, vitæque dignitas, vt commendatior etiam, boniſque omnibus multò ac-

tò acceptior tali patrono idem lucem aſpiciat. Accedit quæ inter nos eſt à natura, ſanguinis coniunctio: in qua etſi te inſignis tua virtus, & eruditio tuis fecit prælucere maioribus, dum ex loco humiliore ad principatum te euexit, is tamen mihi, tuiſque cognatis tam ſit iucundus, vt illum tibi omnes non ſolùm plenè faueamus; ſed in eodem te omni dignum honore & officio libenter fateamur. Suſcipe igitur, vir ampliſſime, qua ſoles benignitate, ac ſerenitate animi hoc clientis tui quodcunque officium, non tam offerentis

ſtudio

ſtudio, quàm ipſius operis grauitate, & excellentia te digniſſimum: futurum enim confido, vt hoc modo, primò quidem eius vtilitas vberius ſeſe latiuſque diffundat. Deinde vt tuo quoq; nomini licet celebratiſſimo, nonnihil inde dignitatis apud bonos omnes adiungatur. Deniq; vt me quoq; clientem tuum ad omnia tibi paratiſsimum, conſueta ſemper fide ac beneuolẽtia complectare. Auguſtæ Treuirorũ 8. Calendas Septemb. anno ſalutis reparatæ 1604.

R^dæ *Amplitudinis Tuæ*
Cliens humillimus &
cognatus
Henricus Bock.

Digitized by Google

ꞁD LIBROS REVE- RENDISSIMI PATRIS P. Binſfeldij de Simonia.

P Roles poſthuma funeri Parentis,
Phœnix edite de Patris Fauilla,
Auras quid volucri moraris ala?
Alæ, quam patris ars tui ſuprema
inxit ære tibi perenniorem,
inxit fulminis impete ociorem.
n te fama vocat, fauorq́ vulgi,
n plauſus ſolidi comes Fauoris
Auræ ſigna dedit fauentioris.
metire vias perennitatis
olatu metuente præpediri,
ıter & Patris & tuos fauores
yro præpete circina æuiternum.
Quid pendes animi? datasq́ cælo
ennas colligis? & diem peroſus
Lido lucifugum caput recondis?
t ſextum tenebras amas in annum?
nde, hic vnde metus? ſuóne Liuor
ente terrificos ciet timores?
An Simoniacum paues ad agmen,
ui ferrum properas minari & ignem à
insfeld Patre tuo licet ſepulto?
Macte; pelle metum memor tui ortus,

Haud

Haud eſt ſanguinis, haud propinquitatis
Eſt Binsfeldiaca pauere morſus,
Quos retuſo, humiliq́; dente Liuor
Celſo infigere nomini minatur.
Si dum vita ſtetit tuo Parenti,
Maior, inuidiam ſupra volabat,
A fato incipiet timere fractos
Dentes Inuidiæ ſolo incubantis?
Nec Simoniacos verere Phœnix,
Aſt audax pauidam ſpeiq́; plenus
Exſpem incurſa aciem ſacriq́; vinctam
Auri fenoribus, ſtygiq́; ſacram.
Furtiuum genus hoc, pauens pericli,
Hoſtis lucis, amans latentis antri,
Non armis, neq́; viribus lacerti,
Sed cæca arte, doloq́; pugnat vno.
Hos ſi de tenebris trahas apricum
In ſolem; licet, occinas triumphum.
Nam iam palma tua eſt: nec obtueri
Fas contra radios tenebricoſis,
Nec ferent retegi ſuum pudorem,
Sed cæcos repetent fuga receſſus.
Aſt eſto fugiant, tegantur vmbris,
Eſt eſt cuncta Oculus Tuens, & vmbras
Qui viſu penetret, Manuſq́; Longa eſt,
Hos quæ vindicibus ſequetur armis.
Phœnicis licet ora & arma vitent,
Coruis tartareis dabuntur eſca.
Nunc metu dubio ſolute Phœnix,

Magni

Magni relliquiæ breues Parentis,
Tandem aſſueſce polis & æmulator
Natiq́ occiduiq́ ſolis audax
Cæli cardinibus duobus effer
Binsfeldij cineres Patris videndos.
Hos gratus lachrymis rigabit orbis,
Hos plauſu lachrymas leuante ſparget,
Hos fronde & viola teget perenni.

R^mi^ Patris ac Domini D.
Binſfeldij memoriæ &
amori non conſepultis.

A. Æ.

RVBRI.

Digitized by Google

Digitized by Google

RVBRICA DE SIMONIA,

ET NE ALIQVID PRO SPIRITVALIBVS EXIgatur, vel promittatur.

Commentarium, in titulum iuris Canonici ſcripturus, ordinem & modũ, quem in commentario de Vſuris tenui, ſeruabo, quædam itaq; in Rubricam præmittam notabilia, quæ erunt quaſi præcognita ad introductionem eorum, quæ in tota ſimoniæ materia explicabuntur.

IN RVBRICAM DE SIMONIA.

NOTABILE *primum* continens continuationem. Cum in ſuperioribus actum ſit de accuſationibus, inquiſitionibus ac denunciationibus, nec non calumniatoribus, ſupereſt nunc agere de criminibus, inter quæ ſimonia obtinet primum locum: nam reſpectu ſimoniæ, cætera crimina

pro nihilo reputantur, 1.q.vlt. c.fi. de Paſchali Papa. & ideo titulus de ſimonia præmittitur.

Notabile ſecundum. Iſta rubrica nō reperitur, nec habetur nec in 6. decretalium, nec in Clementinis, vt manifeſtiſſimum eſt. Cauſam Felin. & Ioan. ab Anania in hac Rubr. referunt ad Bart. in l. vnica. ff. ad leg. Iul. de ambitu. vbi ſic ait: decretiſtæ fecerunt multas conſtitutiones, tamen in tractatu de ſimonia, quæ eſt idem quod ambitus, nullam nouam conſtitutionem fecerunt; ratio eſt, quia ſimonia non punitur vt debet.

Notab. tertium. Dubium oritur circa Rubr. Illa verba: Et ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur, videntur ſuperflua: quia ſufficiebat dicere, de ſimonia. Florian. referente Ioan. ab Anania hîc, ſoluit dicendo, quod illa verba veniant diſpoſitiuè, & debet exponi (Et) id eſt. Ipſe Ioan. dicit, quod Rubrica duas habet partes. Prima loquitur de ſimonia in genere latè ſumpto vocabulo, & ſic comprehendit omnem ſimoniam propriam & impropriam, iuxta notata in c. Nemo preſbyterorum, infra. Secunda vero pars loquitur propriè & ſtrictè de ſimonia, quæ eſt vt pro ſpiritualibus nullum detur, vel promittatur temporale. Breuius dici poteſt, quod illa verba tanquam notiora declarent, quid nomine ſimoniæ intelligatur, & in hunc ſenſum Florian. tendit, licet obſcurius loquatur.

Notab quartum. Præpoſitio, pro, quæ in

Rub.

Digitized by Google

Rub. ponitur, varias habet ſignificationes ex
nente Archidiaconi in c. Agatho. d. 63. & in c.
ordinationes. 1. q. 1. quem ſequuntur Cardin.
Alexand. & Turrecrem. ibidem. Raymundus
n ſumma. in tit. de ſimonia. §. Quæritur ſuper
erbo ſtatutum. Summa Piſanella. eod. verb. 1.
. Quid ſi ſumptus. Nauarr. in manual. con-
eſſ. cap. 23. num. 10. prope finem. & lib. 5. con-
l. in tit. de ſimonia. conſ. 23. num. 3. & alij ali-
i. Primo, pro, aliquando appreciationem di-
it, ſiue commutationem, & ſic vniuerſaliter
erum eſt, quod nihil omnino pro ſpirituali-
us exigendum, aut promittendum ſit. In
ac ſignificatione, pro, accipitur quando di-
imus, nos pecunias pro panno, aut equo da-
e: tum enim pecunia eſt pretium panni, aut
qui. Aliquando ſignificat cauſam principa-
em & immediatam, vt ſi principaliter Domi-
o inſeruio pro acquirendo beneficio, tunc
nim ſeruitium eſt cauſa principalis acquiren-
i rem ſpiritualem, ſcilicet beneficium: & in
ac ſignificatione etiam nihil poteſt exigi,
it promitti pro ſpiritualibus. Aliquando,
ro, denotat cauſam minus principalem,
npulſiuam, ſiue motiuam, aut remotam, ſiue
iam adminicularem (vt quidam vocat) &
hac ſignificatione verum eſt, quod licitè a-
quid poteſt pro ſpiritualibus accipi, & exigi:
c pro collatione ſacramentorum, pro mune-
concionandi, poteſt ſtipendium ſuſtenta-
onis recipi. Sic ſeruitium honeſtum & dili-

gens poteſt aliquando dominum mouere, vt famulo conferat beneficium: tum ſeruitium eſt cauſa excitatiua, & minus principalis, & non immediata collationis beneficij. De his in progreſſu huius tituli plenius conſtabit.

Notab. quintum. De materia ſimoniæ, ex Theologis tractant Alexander Alen. 2. part. q. 187. per tot. D. Thomas 2. 2. q. 100. & ibidem eius commentatores. Guilhelmus Altiſiodoren. lib. 5. ſummæ tract. 27. in tit. de ſimonia. S. Antonin. 2. parte. tit. 1. cap. 4. & 5. S. Bonauent. Paludan. Durand. & alij ſcholaſtici in 4. ſentent. d. 25. Gabriel Biel. ſuper canon. miſſæ. lect. 28. Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis in tract. de ſimonia. in 2. parte ſuorum oper. Gulielmus Peroaldus Epiſcopus Lugdunenſis tomo 2. de virtutibus & vitijs. in tract. de auaritia. cap. 7. Dionyſius Carthuſianus in lib. duobus de ſimonia, in primo tomo ſuorum paruorum operum. Adrianus quodlib. 9. Franciſcus Victoria in relect. de hac re. Dominicus Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 5. & ſeq. Angel. Summa Piſanella. Sylueſt. & omnes Summiſtæ. in verb. Simonia. Archidiac. Card. Alexand. Turrecrem. Dominicus & alij decretiſtæ in 1. cauſa. maximè q. 1. Nauarr. in manuali confeſſariorum, cap. 23. à num. 99. DD. iuris canonici in toto hoc titulo.

Notab. ſextum. Simonia nomen trahit à Simone Mago, qui vt lectio Actorum Apoſtolicorum cap. 8. habet, primus in nouo teſtamento

mento pecuniam obtulit, pro emptione doni
Dei, & poteſtatis ſpiritualis, vt eius vſu pecu-
niam lucraretur. Cum vidiſſet Simon, ait text.
quia per impoſitionem manus Apoſtolorum
laretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam
licens: Date & mihi hanc poteſtatem, vt cui-
cunque impoſuero manus, accipiat Spiritum
anctum. Petrus autem dixit ad eum: pecunia
ua tecum ſit in perditionem: quoniam do-
ıum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non
amen Simon ipſum Spiritum ſanctum in ſua
erſona voluit emere: Cum tale iudicium à
atione eſſet alienum, ſed in ſuo dono. Pul-
hrè apteq; ad hoc loquitur Vrbanus Ponti-
ex, eius nominis ſecundus, in ep. ad I. præpo-
itum Eccleſiæ S. Iuuentij aqud Ticinũ, & in-
ritur à Gratiano 1. q. 3. c. Saluator. Donũ, in-
uit, quippe Dei eſt Spiritus ſanctus, & do-
ıum Dei eſt res ipſi Eccleſiæ oblata. Et ſi be-
e animaduertis, Simon magus qui ad fidem
ctè acceſſit, non Spiritum ſanctum propter
piritum ſanctum, quo erat ipſe indignus,
uoniam (vt ſcriptum eſt, Spiritus ſanctus di-
ciplinæ effugiet fictum) ſed ideo quantum
ı ipſo erat, emere voluit, vt ex venditione
gnorum quæ per eundem fierent, multipli-
atam pecuniam lucraretur. Nec Apoſtolus
mptionem Spiritus ſancti (quam bene fieri
on poſſe nouerat) ſed ambitionem quæſtus
lis, & auaritiam quæ eſt idolorum ſeruitus,
ı eodem Simone exhorruit, & maledictionis

iaculo perculit. Hæc ille. Cum ergo hic Simon primus in nouo teſtamento tempore Apoſtolorum crediderit, & verbo oſtenderit, ſpiritualia & dona Dei eſſe venalia, peccatum illius, hæreſeos nomen ab eo vſque ad nos deriuatum & denominatum eſt. In eundem errorem prolapſi ſunt Græci & Armeni, qui vt atteſtantur Guido Carmelita, & poſt eum Alphonſus à Caſtro lib. 13. aduerſus hæreſes, dixerunt licere prælationes Eccleſiaſticas vendere. Sunt tamen alij hæretici dicti ab hoc Simone Simoniani, qui male ſentierunt creaturam non à Deo, ſed à virtute quadam ſuperna creatam, vt memoriæ prodiderunt. Tertullianus in lib. de præſcriptionib. hæretic. cap. 33. Epiphan. hæreſi 21. Euſeb. lib. 4. hiſtor. Eccleſiaſticæ, cap. 22. D. Auguſtin. in lib. de hæreſibus ad Quoduuldeum, hæreſ. 1. & directorium inquiſitorum. 2. part. q. 6. Prædicti hæretici & alios errores tenuerunt, vt colligitur ex DD. vbi ſupra. ac ſeipſos Simonianos appellarunt teſte Theodoreto lib. 1. hæreticarum fabularum, ſtatim in principio, vbi agit de Simonis hæreſi. Si quis hoc loco quærat, cur hoc crimen potius à Simone nomen ſortiatur quàm à Giezi famulo Heliſæi, qui gratiam ſanitatis Naaman Syro vendidit. 4. Reg. cap. 5. & 1. q. 1. c. Qui ſtudet: vel à Balaam qui à Moabitis fuit pretio conductus, vt populo Iſraelitico malediceret. Num. 22. & in 2. ep. D. Pet. cap. 2. Reſpondent DD. in primis crimen

iſtud

iſtud nomen non accepiſſe à perſonis veteris teſtamenti Giezi, aut Balaam, quia eius legis ſacramenta erant egena elementa, nec conferebant gratiam vt noſtra, nec in tanto gradu erant ſpiritualia. Deinde Giezi & Balaam gratias tantum gratis datas, vt donum ſanitatis, & poteſtatem arcendi hoſtes per maledictionem: quod Moabitæ à Balaam petebant, vendiderunt. Simon autem ipſum Spiritum ſanctum in ſuo dono nobiliori, id eſt, gratia gratum faciente, emere voluit. Poſtremo illi nihil emerunt, ſed tantum vendiderunt, Simon autem tentauit emere, vt poſtea venderet, lucrumq; acquireret. De his Sotus lib. 9. de iuſt. & iure. q. 5. art. 1. Adrian. quodlib. 9. art. 2. ſtatim in principio, qui dicit ſe inuenire apud doctores, ſimoniam vetuſtiori vocabulo poſſe dici balamiam, quia Balaam prophetiæ donũ vendere voluit. Commentatores D. Thomæ in 2. 2. q. 100. art. 1. vbi S. Thomas etiam ad quartum addit, venditores ſpiritualium non ſolum poſſe dici ſimoniacos, ſed etiam Giezitas.

Notab. ſeptimum. Vt à definitione exordiamur, quæ intelligentiam ſequentibus præbet. Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Quæ definitio ponitur ab Alexandro Alen. 2. part. q. 187. memb. 2. S. Thom. in d. art. 1. & à ſcholaſticis in 4. d. 25. à decretiſtis 1. q. 1. in ſumma à canoniſtis in hac Rubrica. &

 à ſum-

à ſummiſtis in verb. Simonia. Hoſt. tamen infra in c. Tua nos. Panor. in c. Nemo. eod. Henricus in c. fin. eod. & Richard. de media villa in 4. d. 25. q. 1. cenſent addendũ communi definitioni (cum opere ſubſecuto) moti auctoritate Gloſſæ, in cap. Qui ſtudet. 1. q. 1. quando ait: quod ſimonia eſt voluntas emendi, vel vendendi res ſacras cum effectu. Sed hæc definitio non eſt bona. Quia Simon Magus, à quo nomen ſimonia deſumpſit, grauiſſimè peccauit hoc peccato, vt apertiſſimum eſt ex Apoſtolicis verbis Actor. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c. Cum tamen opus non fuerit ſubſecutum, ſed tantum contenderit, volueritque emere. Accedit his quod ſimonia mentalis eſt verè ſimonia, & tamen definitio ab iſtis auctoribus aſſignata eidem non conuenit. Sed horum DD. definitio toleratur, ſi eam dicamus comprehendere ſimoniam ſpectantem ad forum eccleſiæ exterius, cuius conſideratio maximè tangit iuris canonici commentatores. Hoſtien. in ſumma. tit. de ſimonia. quem ſequitur Angel. eod. verbo. 1. in princ. Aliam definitionem, quam potius longam deſcriptionem dixerimus, adfert in hunc modum: Simonia eſt ſpiritualium, vel annexorum ſpiritualibus receptio, vel donatio, præcedente pacto conditionis, promiſſionis, modi, ſeruitij, precum, aut cuiuſcunque temporalitatis. hæc etiam eſt fori exterioris. Vlricus lib. 6. ſuæ ſummæ in cap. de ſimonia,

vide-

videtur rectè conciliare tales definitiones. Simonia, inquit, in quantum eſt crimen committitur ſola voluntate ſine opere exteriori: quia & primus auctor criminis huius, videlicet Simon Magus non produxit deſiderium ſuum ad actum, ſed ſola voluntate peccauit: quemadmodũ concupiſcens mulierem, mœchatus eſt eam: & qui odit fratrem ſuum, eſt homicida. Simonia vero in quantũ eſt crimen eccleſiaſticum, prout eius cognitio, punitio, ſiue damnatio ad eccleſiaſticum ſpectat iudicium, iuxta quod ei coniuncta ſunt infamia, ſuſpenſio, & huiuſmodi pœnæ, ſic non cõmittitur abſq; actu exteriore: Quoniã homo videt, quæ patent, Deus aũt intuetur cor. Nunc ſimonię definitio ſecundũ ſingulas ſuas partes declaranda eſt. Dicitur in definitione (ſtudioſa) quia ad conſummandũ ſimoniæ peccatum deliberatio & electio requiruntur. Facit pro hac particula, etiam c. Quicunq; ſtudet. & c. Qui ſtudet. 1. q. 1. Quidam tamẽ recentiores vt Petrus de Aragon. in d. art. 1. S. Thomæ. & Petrus de Nauarra lib. 2. de reſtitutione, cap. 2. num. 385. putant illam particulam non neceſſariam eſſe: cum ad omnem actum humanum, ſiue bonum ſiue malum, deliberatio, & imperium voluntatis deſiderentur, ſed ideo fortaſſe illam particulam additam: quia ſimonia frequentiſſimè à patribus appellata eſt hæreſis, vt infra latius oſtendetur. hæreſis autem eſt falſa ſententia ex electione. (Voluntas)

luntas) hoc nomen, vt communiter DD. annotant, non ponitur pro potentia ſed eius actu. Additur autem ſecundum S. Thomam in d. art. 1. ad 2. quia ſimonia cum ſpectet ad iniuſtitiam, quæ eſt in voluntate, etiam conuenienter per voluntatem definitur. Illa etiam dictione includitur ſimonia mentalis, qua quis appetit committere realem, non tamen opere perficit. Certum enim eſt talem actum voluntatis interiorē eſſe peccatum, nec aliud niſi ſimoniæ: quippe peccata cordis ſiue voluntatis, & operis correſpondentis ſunt eiuſdem ſpeciei, iuxta doctrinam S. Thomæ receptam 1.2. q. 20. art. 3. & 4: Hinc Gloſſa in c. Conſulere. & c. fin. infra eod. quando vult, quod ſola voluntas non faciat hominem ſimoniacum, licet peccet, intelligenda, quod ſola voluntas, ſi non procedatur ad opus exterius, non faciat hominem ſimoniacum, qui puniri poſſit pœnis Eccleſiaſticis in foro Eccleſiaſtico. & ſic non rectè carpit Gloſſam, Ioan. Maior. in 4. d. 25. q. 1. quaſi ſentiat Gloſſa in d. c. fin. ſimoniam mentalem non eſſe peccatum, nec facere hominem reum peccati ſine opere ſubſecuto, vt etiam obſeruat Nauarrus in manuali confeſſariorum, cap. 23. num. 10. (Emendi vel vendendi) Quia vtroq; modo ſimonia committitur. Emere ſtuduit Simon Magus: vendere voluit Giezi. Nomine autem emptionis & venditionis, intelligitur omnis contractus non gratuitus, vt tranſactio, renunciatio,

tio, electio, nominatio, &c. vt S. Thomas in d. art. 1. ad 5. & eius commentatores ibidem. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 1. Archidiac. Cardinalis Alexand. & Turrecre. in principio 1. q. 1. Adrian. quodl. 9. Angel. Summa Piſanella in verb. ſimonia. 1. Syluest. & alij ibidem & communiter DD. ſentiunt. (aliquid ſpirituale) Quemadmodum nomen ſpiritus, tam in humanioribus libris, quam in ſacris literis multipliciter accipitur: Ita etiam ſpirituale, quod inde denominatur variè dicitur. Spiritus magis propriè nominatur anhelitus, ſiue aër ipſe quem ſpirando attrahimus. Cicero lib. 2. de natura Deorum. Tribus rebus vita mortalium continetur. Cibo, potione, & ſpiritu. Iob 14. Spiritus meus attenuabitur, dies mei abbreuiabuntur. Aliquando etiam ventus vocatur ſpiritus, iuxta illud Vergilij lib. 12. Æneid.

Ac velut Edoni Boreæ cum ſpiritus alto.
Inſonat Ægeo.

& aliud ſacræ ſcripturæ Actor. 2. Tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Nonnunquam etiam ſpiritus animi elatio nuncupatur. Cicero in oratione pro Sylla. Res geſtæ meæ me nimis extulerunt, & mihi neſcio quos ſpiritus attulerunt. Cæſar lib. 3. belli ciuilis, his rebus tantũ fiduciæ ac ſpiritus Pompeianis acceſſit, vt non de ratione belli cogitarent, ſed viciſſe ſibi viderentur. In qua ſignifi-

catione

catione poteſt intelligi & illud Matth.5. Beati pauperes ſpiritu. Chryſoſt. hom.15. in Matth. non longe à principio. Vel ſpiritum hîc, inquit, elationem & animum dicit. & D. Auguſtin. lib.1. de ſermone Domini in monte, cap. 2. præſumptio quidem ſpiritus audaciam & ſuperbiam ſignificat. Vulgo enim magnum ſpiritum ſuperbi habere dicuntur & rectè. Nam ſpiritus ventus vocatur. Quis vero neſciat ſuperbos inflatos dici, quaſi vento diſtentos? Quapropter rectè hîc intelliguntur pauperes, ſpiritu humiles, timentes Deum, id eſt nõ habentes inflantem ſpiritum, &c. Anima etiam hominis ſpiritus appellatur. Ioan. 19. Et inclinato capite emiſit ſpiritum. Gregor. lib. 11. moral. cap. 3. Spiritus autem hic pro anima ponitur. Si enim aliud, ſpiritum quam animam Euangeliſta diceret, exeunte ſpiritu anima remanſiſſet. & D. Auguſtin. tract.119. in Ioannem. Angeli quoque dicuntur ſpiritus, Pſalm. 103. & ad Hebræos 1. Qui facit angelos ſuos ſpiritus. & mali angeli ſunt ſpiritus Matth.8. & 10. Marc.1. Luc.6. Actor. 16. & ſæpe alibi. ſic ergo omnis creatura incorporea & inuiſibilis, ſpiritualis dicitur. Has omnes ſignificationes paucis colligit D. Thomas 1. part. q.41. art.3. ad 4. dum ait: de ſpiritu creato, quod quandoque dicitur ventus, quandoque aër, quandoque flatus hominis, quandoque etiam anima, vel quęcunque ſubſtantia inuiſibilis. Spirituale autem, vt alia omitta-

omittamus, in propoſito non accipitur vt deducitur à nomine ſpiritus in præſcriptis acceptionibus, ſed impropriè, vt ſignificat bona ſpiritualia, id eſt, inuiſibilia quæ animis noſtris accidunt. Hæc autem ſunt in duplici genere. Quædam procedunt à ſpiritu increato, id eſt, Diuinitus, vi quadam ſupernaturali: vt gratia ſanctificans, habitus infuſi, donũ prophetiæ, &c. Alia procedunt à ſpiritu creato, vt ſcientia habituſque naturales, qui ab anima noſtra via naturali procedunt & acquiruntur. Spirituale autem in noſtra definitione ſumptum, nunc intelligitur omne donum ſpirituale diuinitus particulari ratione datum, aut inſtitutum, quod nos ad gratiam in præſente, & ad gloriam in futuro promouet & præparat. Spiritualia à DD. in triplici conſtituuntur differentia. Quædam enim ſunt ſpiritualia per eſſentiam, vt gratia iuſtificans, dona Spiritus ſancti, &c. Quædam ſpiritualia ſunt per cauſam, vt ipſa ſacramenta, quæ ſunt cauſa gratiæ & virtutum infuſarum. Alia ſunt ſpiritu: alia per effectum & actum, vt ſunt ea quæ conueniunt alicui ex aliquo dono, aut officio ſpirituali, vt prophetare, prædicare, diuina officia celebrare, &c. (Vel ſpirituali annexum) Dupliciter enim aliquid poteſt ſpirituali eſſe annexum. Vno modo ſicut ex ſpiritualibus dependens, vt beneficia eccleſiaſtica, quæ non competunt, nec poſſidentur niſi ab eo qui militiæ clericali inſcriptus eſt, ius ad decimas, &c.

mas,&c. Alio modo aliqua ſpiritualibus antecedenter anneƈtuntur, vt ius patronatus, ad præſentandum clericos ad beneficia, ad curam animarum. Vaſa,& veſtes ſacræ quæ ordinantur ad ſacrificium,at dignam congruamq; ſacramentotum adminiſtrationem. Hoc in loco dicendũ de illo ſolemni, & apud doƈtores controuerſo dubio. An ius patronatus ſit ſpirituale, vel temporale,aut mixtum? Quoniam DD. iuris canonici non conueniunt, ſed in diuerſas abeunt ſententias, cum ad doƈtos ſpeƈtet ſingulorum diſcutere opiniones, arg. Eccleſiaſtici cap. 39. Sapientiam omnium antiquorũ exquiret ſapiens.& iterum. Narrationem virorum nominatorũ conſeruabit, ad pleniorem rerum intelligentiam, & leƈtorum eruditionem, placet hîc ante oculos ponere, quid DD. ſentiant. Prima opinio eſt eorũ qui iudicãt ius patronatus ex ſua origine & natura, eſſe ſpirituale, hanc tradunt Anto. à Butr. in c. Quanto. de iudicijs. vbi cõmuniter hanc q. mouent DD. Andreas Siculus, Barbat. ibidem num. 16.& tandem dicit, quod forte eſſet neceſſaria declaratio papalis, ex quo paſſu videtur dubius. Anton. tribuit etiã Godfredo in ſumma hanc ſententiã. quam opinionem, ſubtilius & latius nunc ſecutus eſt, & defendit Martinus Nauarr. in Rub. de iud. à num. 21. & ſeq. Rationes pro hac ſententia. Prima. Ius patronatus non poteſt nec vendi, nec emi. c. De iure vero, de iure pat. & cõmunis eſt omnium

ſenten-

ſententia. Ergo eſt ſpirituale. Secunda. Ius patronatus dicitur communicatũ laicis ex gratia. c. 3. tit. eod. Ergo datur intelligi quod ſit de ſua natura ſpirituale. Quia ſi eſſet temporale, iure cõmuni abſq; gratia laicis concederetur. Andr. Siculus vbi ſupra aliam rationẽ adfert. Iſtud ius ſcilicet patronatus cauſatur à Papa. Ergo tale eſt, quale eſt ſubiectum producens. Sed cauſa productiua eſt ſpiritualis. Ergo ſequitur quod effectus erit ſpiritualis, & ſic ius patronatus eſt ius merè ſpirituale, cum non habeat cauſam productiuam, ſecularem ſeu temporalem, quia illa eſt extincta per ædificationem Eccleſiæ. Eandem ſententiam tenent Anton. n. 1. & Barbat. latius à num. 26. in Rub. de iudic. Alia opinio eſt Panorm. in d. Rub. & c. Quanto. de iud. Decij latè in Rub. num. 8. & in d. c. Quanto. Felini & aliorum ibid. Ioannis de Selua in tract. de benefic. prima part. q. vlt. prope finem. Rochi de Curte. in tract. de iure patronat. in verbo Ius. num. 2. Archidiac. 1. q. 1. in princ. & c. Piæ mentis. 16. q. 7. Turrecr. in eod. cap. num. 3. Card. Alexand. in d. princ. 1. q. 1. & hæc eſt communis DD. ſententia, auctoribus Nauarro & Selua ius patronatus non eſſe ſpirituale, ſed quid temporale & annexum ſpirituali. & hæc opinio his argumentis fundatur. Primũ. Iura, ius patronatus non ſpirituale, ſed ſpirituali annexum vocant. d. cap. Quanto. expreſſe ait: Cauſa vero iuris patronatus ita coniuncta eſt, & connexa

connexa ſpiritualibus cauſis: quod non niſi eccleſiaſtico iudicio valeat diffiniri. & expreſſius in cap. De iure. de iure pat. his verbis: De iure vero patronatus: & infra. Mandamus quatenus ſi R. illud comparauit (cum inconueniens ſit vendi ius patronatus quod eſt ſpirituali annexum) contractum illum irritum eſſe decernas. Huc accedit communis Theologorum, Canoniſtarum, Summiſtarum, & decretiſtarum conſenſus, dum in definitione ſimoniæ, ſub illa particula, (vel ſpirituali annexum) comprehendunt ius patronatus. Nauarr. in d. Rub. de iud. num. 30. obiicit ſibi auctoritatem S. Thomæ in 2.2. q. 100. art. 4. dum ius patronatus refert inter annexa ſpiritualibus antecedenter, vel dependenter. non tamen adfert text. iuris allegatos. & ita reſpondet, quod non repugnet vt vnum & idem ſit ſpirituale, & annexum alteri ſpirituali, ſicut nec repugnat vnum & idem eſſe temporale, & annexum alteri temporali. Multæ enim eccleſiæ ſpirituales ſunt annexæ eccleſijs cathedralibus, & alijs collegiatis regularibus & ſecularibus. cap. Extirpandæ. §. Qui vero. de præbend. c. ſuper eo. eod. tit. lib. 6. &c. Nauarr. rectè oſtendit non eſſe repugnantiam, quod poſſit eſſe connexio rerum ſpiritualium: ſicut etiam eſt cohærentia temporalium. Sed non docet canones & DD. ita loqui, imò aperta eſt omnium mens in contrariũ, quando enim dicunt can. & DD. ius patronatum

anne-

nnexum ſpiritualibus, intelligunt aliquid temporale diſtinctum contra ſpirituale, alioquin malè dicti canones ſuam deciſionem fundarent; nec ratio vlla dubitandi extitiſſet. & ſic DD. cohærenter canonibus loquendo, in omnibus quæ numerant inter ſpiritualibus annexa, aliquid temporalis agnoſcunt, quod ſecundum iſtam ſententiam non poteſt ſtare in iure patronatus, ſi ſuapte natura ſpirituale ſtatuatur. Quis enim non videret Pontificem Alexandrum III. in d.c. Quanto. quando dubium proponitur, an cauſa iuris patronatus ſpectet ad iudicium Eccleſiæ: perfectius reſpondere potuiſſe, quod ſic: cum ſuapte natura ſit ſpiritualis, & tamen reddit rationem ſumptam à coniunctione & adhærentia ad cauſas ſpirituales. & in d.c. De iure. idem Alexand. definiens ius patronatus per ſe vendi non poſſe. non reddit rationem, quia ſpirituale eſt, quæ certè expeditiſſima fuiſſet reſponſio, ſi ius patronatus per ſe eſſet ſpirituale, ſed quod vendi non poſſit, quia ſpirituali annexum eſt. & ſic Andr. Siculus Barb. in apoſtilla ad Panorm. in d.c. Quanto. ſuper verbo. Non merè. admonet in fine bene ponderandum eſſe text. in d.c. De iure. cum prius fundaſſet hanc ſententiam. & ſuam, quam loc. ſupra cit. tenuit, deſtruxiſſet: & quia profundius quam alius, communem ibi paucis munit & explicat de verbo, ad verbum, eius verba ponam. Gloſſ. in d.c. Quanto. dicit quod ius patrona-

tus non eſt merè ſpirituale. & ita Barbat. commentatur ſuper illa verba non merè, & pondera, ait: quia ius patronatus oritur à re prophana, quam quis dedicat Deo, & nihilominus talis res poſt dedicationẽ ſapit quandam laicalitatem, quia iam aliqualiter remanent reliquiæ dominij, & laicaliter: quia hac contemplatione laicus dedicat illam rem Eccleſię. facit l. Talem. §. fin. ff. de hæred. inſtit. Vnde cauſatiuè illud ius patronatus introducitur à re temporali. licet ergo res ſit facta Dei, & eccleſia Dei concedat illud ius patronatus laico, vt habeat originem ab Eccleſia, clarum eſt quod res partim dicetur ſpiritualis, & in parte temporalis, & ſic ius patronatus dicitur quoddam participium, quia partem capit à temporalitate, & partem capit à ſpiritualitate, & iſtud videtur verius. Et pondera quia hic dicitur, quod eſt coniuncta & annexa cauſa iuris patronatus cauſæ ſpirituali, non dicit quod ius patronatus ſit annexum iuri ſpirituali, pondera etiam, quia ſi eſt annexa. Ergo ſubiectum eſt cauſa ſpiritualitatis, & cauſa iuris patronatus eſt accidens. Ergo ſequitur quod per accidens eſt ſpiritualis & non per ſe. ſic ille Doctor.

Secundum argumentum. Si ius patronatus laicorum eſſet ex ſua origine & natura merè ſpirituale, non poſſet poſſideri, nec præſcribi per laicum. cap. cauſa. de præſcript. Sed ius patronatus etiam à laicis præſcribi poteſt, & præ-

præſcriptione acquiri. Ioan. Andr. in reg. uod alicui. de regulis iuris in 6. Felin. in d. p. Cauſam. Rochus de iure pat. in verb. Ipſe. l. 15. q. 36. Bald. de præſcript. 1. part. 5. part. incipalis. q. 9. & poſt alios multos. Didac. ouarr. in 2. part. Relect. c. poſſeſſor malæ fi- i. de reg. iur. lib. 6. §. 10. & dicit commu- em eſſe concluſionem, omniumq́; conſen- receptam. Ergo ius patronatus ſua natura on eſt quid ſpirituale. Atque ex his conſtat, uod etiam Couarr. in d. §. 10. nu. 2. verſ. Hæc tem ratio, &c. docet laicos eſſe capaces poſ- ſſionis iuris patronatus.

Tertium argumentum. Spirituale nunquam quiritur iure hæreditario. cap. 1. de prębend. c. ſciendum. 8. q. 1. Sed ius patronatus ac- iiritur iure hæreditario. Gloſſ. per text. in c. onſiderandum. 16. q. 7. & ibid. cap. Filijs. & Cum ſeculum. de iure patr. Iaſ. in l. 1. num. . ff. de legat. 1. Rochus in d. verb. Ipſe vol. 15. 8. & poſt plures alios Couarr. lib. 2. var. re- lut. cap. 18. à num. 6. Ergo.

Quartum. Ius patronatus acquiritur con- ructione, dotatione, & fundatione eccleſiæ, canoniſtis in Rubr. de iure patr. & ſummi- is in eodem verbo. Sed iſta ſunt tempora- a, vt manifeſtum. Ergo ius patronatus eſt uid temporale, cum originem ſumat à rebus mporalibus.

Quintum argumentum poteſt formari ex elin. in dicto cap. Quanto. Imperator

tantum legitimat ad temporalia ſecundum communem DD. ſententiam in c. Venerabilem. Qui filij ſint legitimi. & tamen ſua legitimatio operatur quantum ad ius patronatus. Dominic. in c. 1. d. 10. Ergo ius patronatus non eſt ſpirituale. Ad argumenta in contrarium reſpondetur à Decio & alijs. Ad 3. ex Andrea Siculo Barbatio ſatis patet ex ſuis proprijs in apoſtilla ad Panor. Negatur enim, quod ius patronatus origine ſit ſpirituale, eius origo eſt quid temporale. vt ex dictis liquidum eſt. Nec obſtat, inquit, Panorm. in d. c. Quanto. num. 7. in fine. quod ius patronatus ordinatur ad finem ſpiritualem: quia hoc eſt quoddam præambulum, & inchoamentum à remotis: Non enim omne ordinamentum ad finem rei ſpiritualis & animæ, dicitur ſpirituale. Exemplum in libris Eccleſiaſticis, qui ordinantur ad finem animæ & rei ſpiritualis: non tamen ſunt ſpirituales. ſic Panormit. Et ſi ius patronatus ſit quid temporale, non tamen ſequitur, quod poſſit vendi, aut emi: cum non ſolum ſpiritualia non vendantur, ſed etiam annexa ſpiritualibus. argum. ſumpto à definitione cõmuni ſimoniæ. Connexorum autem eſt eadem ratio. cap. Tranſlato. de conſtitutionib. Alij quidam volunt ius patronatus eſſe quid mixtum ex temporali & ſpirituali. ſed omnes eo recidunt, quod rectius dicatur annexum ſpirituali: & id melius: quia canones, gloſſæ, & Theologi ſic loquuntur.

Octauum

Octauum Notab. Circa obiectum ſimoniæ, ſiue materiam, apud Doctores eſt difficultas, vtrum ſpiritualia naturalia quæ procedunt à ſpiritu creato, vt ſcientia & doctrina ſint materia ſimoniæ, & comprehendantur in definitione, ita vt quis pretium non poſſit accipere pro ſcientia. Sed vt difficultatis ſenſus intelligatur, non dubitatur, an quis poſſit emere, aut vendere ſcientiam, aut artem aliquam in ſeipſa: ſicut triticum, aut vinum vendimus: cum id ſtultum & alienum à ratione ſit, vt recte Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure, q. 5. art. 1. Petrus de Aragon. in 2. 2. S. Thomæ. q. 100. art. 1. & alij quidam obſeruarunt: Quippe in nullius hominis eſt poteſtate, vendere ſcientiam quam habet in anima, ſed dubium quærit: An peritus ſcientiæ, vel artis, poſſit pro pretio docere, exempli gratia. An doctor iuris, vel magiſter in philoſophia, pro munere docendi poſſit conuenire, & pecuniam certam accipere abſque vitio ſimoniæ. Ex Theologis Guilhelmus Altiſiodoren. lib. 3. ſummæ. tract. 21. in tit. de ſimonia. cap. 3. Alexand. Alenſis 2. part. q. 187. memb. 4. art. 3. §. 1. S. Thom. in 4. d. 25. q. 3. art. 3. Guilhelmus Peroald. Lugdunenſis Epiſcopus tomo 2. de virtutib. & vitijs. in tract. de Auaritia. cap. 7. prope finem. & ex canoniſtis Hoſtien. Cardinal. Ioannes ab Anania. Panorm. Anton. & alij in cap. Quia nonnullis. de magiſtris. Cardin. Alexandrin. & Turrecrem. in c. Qui ſtudet. 1. q. 1. poſt Hugo-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nem ibid.& Gloſ. in c. Non licet. 11. q.2. cenſent doctrinam & ſcientiam non poſſe vendi. hæc opinio perſuadetur his argumentis. Prouerb. 23. Noli vendere ſapientiam, & doctrinam, & intellectum. His accedit dictum D. Auguſtini in lib. de magiſterio. Spiritus ſanctus eſt qui interius homines edocet ſcientias, etiam naturales. Poſtremo, ratio, quare res ſacræ non poſſunt vendi, eſt, quia nullo pretio poſſunt æſtimari. Prouerb. 3. pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Congruit etiam illud l. 1. ff. de var. & extraord. cognit. Res ſanctiſſima eſt ciuilis ſapientia, quæ pretio nummario nõ ſit æſtimanda. In contrarium quod non ſit ſimonia vendere ſcientiam, & doctrinam ſentiunt, Durand. in 4. d. 25. q. 3. Paludan. ead. d. q. 5. Adrian. quodlib. 9. Victoria in Relect. de ſimonia. 1. part. num. 5. Sotus, & Petrus de Aragon. loc. cit. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 23. num. 100. & in comment. de datis & promiſſis. num. 43. & communiter nunc recentiores Theologi, & horum ſententia amplectenda, quæ his fundamentis ſtabilitur, præſuppoſito in primis, quod ſermo ſit de ſcientijs humanis & naturalibus. Obiectum ſimoniæ iudicandum eſt ex ſacris literis. Sed in ſacris literis ſolum damnantur, qui voluerunt vendere, vel emere ſpiritualia ſupernaturaliter data, vt patet de Giezi. 4. Reg. 5. cap. De Ieroboam. 3. Reg. cap. 13. & in nouo te-

o teſtamento. Matth.10. Ioan.2. Actor.8. de imone, nec quicquam de naturalibus bonis ecernitur. Et Matth.10.dicitur. Gratis acceiſtis, gratis date. Ergo quæ noſtro ſtudio, laore, & induſtria acquiſita ſunt, vt doctrina, ſcientiæ, & artes, poſſunt ſine vllo vitio vendi. S. Chryſoſt.hom.33.in Matth. Gratis accepiſtis, quaſi diceret, ait, nihil vos de veſtro largimini ſuſcipientibus, neque enim mercede hoc accepiſtis, neque laborantes: mea eſt gratia, gratis enim accepiſtis: ita etiam alijs date. Neque enim condignum pretium eorum eſt inuenire. Ex mente ergo D.Chryſoſtomi colligitur, quod ea quæ pretio & labore acquiruntur, non cadant ſub illam legem: Gratis date. Deinde ſi ſcientias arteſque vendere, eſſet ſimoniacum, ſequeretur quod etiam artem fabrilem, aliaſque mechanicas vendere eſſet ſimonia, contra communem omnium hominum mentem & conſuetudinem. Quia hę etiam dependent à generali Dei concurſu, ſicut ſcientia philoſophiæ, aut iuris, aut medicinæ. Omnes enim ſcientiæ & facultates, ſunt dona Dei per generalem influxum: Sed ad materiam ſimoniæ neceſſarium eſt, vt ſint dona Dei ſupernaturaliter, & per ſpecialē influxū conceſſa. Ad argumenta in contrarium. Sermo ille in d. cap. Prouerb. eſt metaphoricus, & ſignificat tanti eſſe faciendam ſapientiam, vt ſi quis eam non habeat, tanto labore ad eam contendere debeat, ac ſi emi, vendiuè

poſſit. & qui eam poſſidet nullo pretio, aut modo patiatur eam à ſe recedere. Atque hic ſenſus metaphoricus, ſatis eruitur ex eodem ſcripturæ loco, quando præmittitur: Veritatẽ eme, & noli vendere ſapientiam. Dictũ L. 1.ff.de var.& extraord.cognit.ſignificat excellentiam ſapientiæ ciuilis in ſe. Ad aliud D. Auguſtini. Spiritus ſanctus docet omnes ſcientias, ſed alio modo naturales, alio ſupernaturales. Quæ enim ſtudio, labore, ac naturali modo acquiruntur, non dicuntur alio modo dona Spiritus ſancti, niſi communi modo, quo omnes res creatæ & naturales ſunt dona Dei: & Spiritus ſanctus generali tantum influxu docet veritates naturales, quæ vſu naturali à nobis parantur. Peculiari autem ratione & ſupernaturali modo, docet ſupernaturales, vt myſteria fidei, de quibus dictum à Chriſto. Ipſe vos docebit omnem veritatem, & pecuniam accipere pro harum veritatum doctrina, ſimonia eſſet. Ad tertium. Scientiæ naturales abſolutè & in ſe conſideratæ, quatenus videlicet continent cognitionem alicuius veri, non ſunt pretio æſtimabiles, relatæ tamen ad vſum hominum, pretio æſtimantur, & vendi poſſunt: exemplum pro maiori inſtructione eſſe poteſt. Vita hominis, aut membrum non poſſunt pecunia æſtimari, arg. l. liber homo. ff. ad leg. Aquil. & l. fin. ff. de his qui deiecerint, vel effuderint: habita tamen ratione vtilitatis quam filij, aut proximi hæredes

es ex vita, aut vſu membri percipiebant, aut ercipere debebant, vita & membrum pretio ſtimantur, atque compenſantur. vt latè oſendimus in comment.cap.1. q.3.de iniurijs & dam, dato. Maior autem eſt ratio dubitandi de Theologia, an hæc doceri poſſit pro pretio taxato : quandoquidem hæc continet doctrinam rerum ſupernaturalium,& myſteriorum diuinitus reuelatorum, ad communem omnium animarum ſalutem. Negant Hoſtienſis in d.c. Quia nonnullis. Paludan.in 4.d.25.q.5. & Syluest. cum limitatione in verb. Simonia. q.10. & in hac ſententia à fortiori ſunt omnes qui contendunt ſimoniacum eſſe, docere ſcientias naturales pro pretio. In contrarium ſunt Adrian. Victoria, Sotus, Gregorius de Valentia in 2.2. S.Thomæ. q.100. & communiter recentiores Theologi. Quia Theologia ex cathedra in ſcholis traditur ad erudiendum intellectum, & non ad inflammandum affectum. Alia tamen ratio foret, ſi Theologiæ ſcientia per modum prædicationis, exhortationis,aut ſpiritualis conſilij traderetur: & huic ſententiæ adhærendum eſt. Petrus tamen de Aragon.in 2.2. S.Thomæ in d. q. 100. art.1. diſtinguit. Aut loquimur de Theologia ſcholaſtica : aut de pura & vera Theologia. De prima eadem eſt ratio quæ de alijs facultatibus. Quia vt ſic tantum illuminat intellectum ſicut aliæ ſcientiæ. nec ordinatur ad corrigendos mores, aut inflammandos animos

amore rerum ſupernaturalium. At alia ratio eſt de pura Theologia, quæ docet & defendit ea, quæ ad ſalutem animarum neceſſaria ſunt. De hac enim Chriſtus Matth. vlt. dicit: Docete omnes gentes. & Paulus ad Epheſ. cap. 4. Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, alios doctores, &c. Sed hic doctor confundit verbum prædicationis & exhortationis cum Theologia. Hoc tamen obſeruandum cum S. Thoma, Durando, & alijs quibuſdam Theologis, quod quamuis in venditione muneris docendi, non interueniat ſimonia, poteſt tamen committi peccatum iniuſtitiæ, vtpote ſi quis haberet aliunde taxatum ſtipendium pro docendi officio, & etiam pretium ab auditoribus exigeret: Tunc enim idem bis venderet quod iniuſtum eſt. Poſtremo ex d. cap. Quia nonnullis. cum DD. mente tenendum, eum qui pecuniam recipit pro licentia docendi, & facultate danda, committere quaſi ſimoniam: & eſt communis opinio, vt poſt Bertrandum in conſil. 157. lib. 5. atteſtatur Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. ſimonia. num. 3.

Nonum Notabile. Dubium eſt inter Theologos? An ſimoniæ peccatum in aliqua re, etiam apud infideles, extra Catholicam Eccleſiam ſibi locum vendicet. Occaſione huius dubij altius per Concluſiones reſpondeo: quarum ſit.

Prima concluſio. In lege Moſaica non ſolum potuit committi ſimonia, ſed etiam de facto fuit

fuit commiſſa. Patet ex ſacra ſcriptura. De Balaam. Num. 22. vendente Madianitis maledictionem populi. Et 4. Reg. 5. de Giezi, qui vendidit Naaman donum ſanitatis. & 1. q. 1. c. qui ſtudet, & alibi. Præterea, vt manifeſtiſſimum eſt. In illa lege erant dona prophetiæ, ſanitatis, &c. nec non ſacerdotalis poteſtas, & alia multa, quæ cultum diuinum concernebant: ſed hæc omnia ſunt materia ſimoniæ. Atq; in hac concluſione non poteſt eſſe controuerſia.

Secunda concluſio. In lege naturæ potuit eſſe ſimonia. Hanc docent Vict. in 1. part. relectionis de ſimonia. num. 19. Sotus in d. art. 1. Greg. de Valentia, & Petrus de Aragon. in d. art. 1. S. Thomæ, & communiter recentiores, nec eſt in ea dubium. Probatur. In lege naturæ fuit legitimum, & verum ſacerdotium inſtitutum ad finem, & effectum ſpiritualem, vt patet de Melchiſedech, qui in lege naturæ fuit ſacerdos. Gen. 14. Pſalm. 109. ad Hebr. 7. 8. & 9. Ergo potuit eſſe ſimonia in venditione poteſtatis ſacerdotalis. Nec etiam dubitandum, quin fuerint in illa lege ſacramenta aliqua ordinata in ſalutem, in quibus ſimonia locum potuiſſet ſortiri.

Tertia concluſ. Ante legem Euangelicā apud paganos & infideles nō potuit eſſe ſimonia ex obiecto, ſed tantum ſecundū conſcientiam, & æſtimationem. Hanc docet Durand. Paludan. Adrian. & Petrus de Aragon. loco cit. Ratio.

Quoniam

tus non eſt merè ſpirituale.& ita Barbat.commentatur ſuper illa verba non merè, & pondera, ait: quia ius patronatus oritur à re prophana, quam quis dedicat Deo, & nihilominus talis res poſt dedicationẽ ſapit quandam laicalitatem, quia iam aliqualiter remanent reliquiæ dominij, & laicaliter: quia hac contemplatione laicus dedicat illam rem Eccleſię. facit l. Talem. §.fin. ff. de hæred. inſtit. Vnde cauſatiuè illud ius patronatus introducitur à re temporali. licet ergo res ſit facta Dei,& eccleſia Dei concedat illud ius patronatus laico, vt habeat originem ab Eccleſia, clarum eſt quod res partim dicetur ſpiritualis, & in parte temporalis,& ſic ius patronatus dicitur quoddam participium, quia partem capit à temporalitate, & partem capit à ſpiritualitate, & iſtud videtur verius. Et pondera quia hic dicitur, quod eſt coniuncta & annexa cauſa iuris patronatus cauſæ ſpirituali, non dicit quod ius patronatus ſit annexum iuri ſpirituali, pondera etiam, quia ſi eſt annexa. Ergo ſubiectum eſt cauſa ſpiritualitatis, & cauſa iuris patronatus eſt accidens. Ergo ſequitur quod per accidens eſt ſpiritualis & non per ſe. ſic ille Doctor.

Secundum argumentum. Si ius patronatus laicorum eſſet ex ſua origine & natura merè ſpirituale, non poſſet poſſideri, nec præſcribi per laicum. cap. cauſa. de præſcript. Sed ius patronatus etiam à laicis præſcribi poteſt, & præ-

Digitized by Google

&præſcriptione acquiri. Ioan. Andr. in reg. Quod alicui. de regulis iuris in 6. Felin. in d. cap. Cauſam. Rochus de iure pat. in verb. Ipſe vol. 15. q. 36. Bald. de præſcript. 1. part. 5. part. principalis. q. 9. & poſt alios multos. Didac. Couarr. in 2. part. Relect. c. poſſeſſor malæ fidei. de reg. iur. lib. 6. §. 10. & dicit communem eſſe concluſionem, omniumq; conſenſu receptam. Ergo ius patronatus ſua natura non eſt quid ſpirituale. Atque ex his conſtat, quod etiam Couarr. in d. §. 10. nu. 2. verſ. Hæc autem ratio, &c. docet laicos eſſe capaces poſſeſſionis iuris patronatus.

Tertium argumentum. Spirituale nunquam acquiritur iure hæreditario. cap. 1. de prębend. & c. ſciendum. 8. q. 1. Sed ius patronatus acquiritur iure hæreditario. Gloſſ. per text. in c. Conſiderandum. 16. q. 7. & ibid. cap. Filijs. & c. Cum ſeculum. de iure patr. Iaſ. in l. 1. num. 71. ff. de legat. 1. Rochus in d. verb. Ipſe vol. 15. q. 8. & poſt plures alios Couarr. lib. 2. var. reſolut. cap. 18. à num. 6. Ergo.

Quartum. Ius patronatus acquiritur conſtructione, dotatione, & fundatione eccleſiæ, canoniſtis in Rubr. de iure patr. & ſummiſ in eodem verbo. Sed iſta ſunt temporalia, vt manifeſtum. Ergo ius patronatus eſt quid temporale, cum originem ſumat à rebus temporalibus.

Quintum argumentum poteſt formari ex in. in dicto cap. Quanto. Imperator

tantum legitimat ad temporalia ſecundum communem DD. ſententiam in c. Venerabilem. Qui filij ſint legitimi. & tamen ſua legitimatio operatur quantum ad ius patronatus. Dominic. in c. 1. d. 10. Ergo ius patronatus non eſt ſpirituale. Ad argumenta in contrarium reſpondetur à Decio & alijs. Ad 3. ex Andrea Siculo Barbatio ſatis patet ex ſuis proprijs in apoſtilla ad Panor. Negatur enim, quod ius patronatus origine ſit ſpirituale, eius origo eſt quid temporale. vt ex dictis liquidum eſt. Nec obſtat, inquit, Panorm. in d. c. Quanto. num. 7. in fine. quod ius patronatus ordinatur ad finem ſpiritualem: quia hoc eſt quoddam præambulum, & inchoamentum à remotis: Non enim omne ordinamentum ad finem rei ſpiritualis & animæ, dicitur ſpirituale. Exemplum in libris Eccleſiaſticis, qui ordinantur ad finem animæ & rei ſpiritualis: non tamen ſunt ſpirituales. ſic Panormit. Et ſi ius patronatus ſit quid temporale, non tamen ſequitur, quod poſſit vendi, aut emi: cum non ſolum ſpiritualia non vendantur, ſed etiam annexa ſpiritualibus. argum. ſumpto à definitione cõmuni ſimoniæ. Connexorum autem eſt eadem ratio. cap. Tranſlato. de conſtitutionib. Alij quidam volunt ius patronatus eſſe quid mixtum ex temporali & ſpirituali. ſed omnes eo recidunt, quod rectius dicatur annexum ſpirituali: & id melius: quia canones, gloſſæ, & Theologi ſic loquuntur.

Octauum

tauum Notab. Circa obiectum ſimoniæ,
nateriam, apud Doctores eſt difficultas,
n ſpiritualia naturalia quæ procedunt à
u creato, vt ſcientia & doctrina ſint ma-
ſimoniæ, & comprehendantur in defi-
ne, ita vt quis pretium non poſſit accipe-
ɔ ſcientia. Sed vt difficultatis ſenſus in-
atur, non dubitatur, an quis poſſit eme-
t vendere ſcientiam, aut artem aliquam
pſa: ſicut triticum, aut vinum vendimus:
d ſtultum & alienum à ratione ſit, vt re-
ɔtus lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 5. art. 1. Pe-
le Aragon. in 2. 2. S. Thomæ. q. 100. art. 1.
quidam obſeruarunt: Quippe in nul-
ominis eſt poteſtate, vendere ſcientiam
1 habet in anima, ſed dubium quærit:
eritus ſcientiæ, vel artis, poſſit pro pretio
re, exempli gratia. An doctor iuris, vel
ſter in philoſophia, pro munere docendi
t conuenire, & pecuniam certam accipe-
ſque vitio ſimoniæ. Ex Theologis Guil-
ıus Altiſiodoren. lib. 3. ſummæ. tract. 21.
. de ſimonia. cap. 3. Alexand. Alenſis 2.
q. 187. memb. 4. art. 3. §. 1. S. Thom. in 4. d.
3. art. 3. Guilhelmus Peroald. Lugdunen-
piſcopus tomo 2. de virtutib. & vitijs. in
. de Auaritia. cap. 7. prope finem. & ex ca-
iſtis Hoſtien. Cardinal. Ioannes ab Ana-
Panorm. Anton. & alij in cap. Quia non-
is. de magiſtris. Cardin. Alexandrin. &
recrem. in c. Qui ſtudet. 1. q. 1. poſt Hugo-

 nem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nem ibid.& Gloſ. in c. Non licet. 11. q.2. cenſent doctrinam & ſcientiam non poſſe vendi. hæc opinio perſuadetur his argumentis. Prouerb. 23. Noli vendere ſapientiam, & doctrinam, & intellectum. His accedit dictum D. Auguſtini in lib. de magiſterio. Spiritus ſanctus eſt qui interius homines edocet ſcientias, etiam naturales. Poſtremo, ratio, quare res ſacræ non poſſunt vendi, eſt, quia nullo pretio poſſunt æſtimari. Prouerb. 3. pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Congruit etiam illud l. 1. ff. de var. & extraord. cognit. Res ſanctiſſima eſt ciuilis ſapientia, quæ pretio nummario nō ſit æſtimanda. In contrarium quod non ſit ſimonia vendere ſcientiam, & doctrinam ſentiunt, Durand. in 4. d. 25. q. 3. Paludan. ead. d. q. 5. Adrian. quodlib. 9. Victoria in Relect. de ſimonia. 1. part. num. 5. Sotus, & Petrus de Aragon. loc. cit. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 23. num. 100. & in comment. de datis & promiſſis. num. 43. & communiter nunc recentiores Theologi, & horum ſententia amplectenda, quæ his fundamentis ſtabilitur, præſuppoſito in primis, quod ſermo ſit de ſcientijs humanis & naturalibus. Obiectum ſimoniæ iudicandum eſt ex ſacris literis. Sed in ſacris literis ſolum damnantur, qui voluerunt vendere, vel emere ſpiritualia ſupernaturaliter data, vt patet de Giezi. 4. Reg. 5. cap. De Ieroboam. 3. Reg. cap. 13. & in nouo te-

eſtamento. Matth.10. Ioan.2. Actor.8. de
one, nec quicquam de naturalibus bonis
ernitur. Et Matth.10.dicitur. Gratis acce-
s, gratis date. Ergo quæ noſtro ſtudio, la-
e, & induſtria acquiſita ſunt, vt doctrina,
ntiæ, & artes, poſſunt ſine vllo vitio ven-
.Chryſoſt.hom.33.in Matth. Gratis acce-
is, quaſi diceret, ait, nihil vos de veſtro
imini ſuſcipientibus, neque enim merce-
oc accepiſtis, neque laborantes: mea eſt
ia, gratis enim accepiſtis: ita etiam alijs
. Neque enim condignum pretium eo-
eſt inuenire. Ex mente ergo D.Chryſo-
ni colligitur, quod ea quæ pretio & labo-
cquiruntur, non cadant ſub illam legem:
atis date. Deinde ſi ſcientias arteſque ven-
e, eſſet ſimoniacum, ſequeretur quod et-
artem fabrilem, aliaſque mechanicas ven-
e eſſet ſimonia, contra communem omni-
hominum mentem & conſuetudinem.
ia hę etiam dependent à generali Dei con-
ſu, ſicut ſcientia philoſophiæ, aut iuris, aut
dicinæ. Omnes enim ſcientiæ & facultates,
t dona Dei per generalem influxum: Sed
materiam ſimoniæ neceſſarium eſt, vt ſint
na Dei ſupernaturaliter, & per ſpecialē in-
xũ conceſſa. Ad argumenta in contrarium.
rmo ille in d. cap. Prouerb. eſt metapho-
us, & ſignificat tanti eſſe faciendam ſapien-
m, vt ſi quis eam non habeat, tanto labore
eam contendere debeat, ac ſi emi, vendiuè

poſſit. & qui eam poſſidet nullo pretio, aut modo patiatur eam à ſe recedere. Atque hic ſenſus metaphoricus, ſatis eruitur ex eodem ſcripturæ loco, quando præmittitur: Veritatē emé, & noli vendere ſapientiam. Dictū L. 1.ff.de var.& extraord.cognit.ſignificat excellentiam ſapientiæ ciuilis in ſe. Ad aliud D. Auguſtini. Spiritus ſanctus docet omnes ſcientias, ſed alio modo naturales, alio ſupernaturales. Quæ enim ſtudio, labore, ac naturali modo acquiruntur, non dicuntur alio modo dona Spiritus ſancti, niſi communi modo, quo omnes res creatæ & naturales ſunt dona Dei: & Spiritus ſanctus generali tantum influxu docet veritates naturales, quæ vſu naturali à nobis parantur. Peculiari autem ratione & ſupernaturali modo, docet ſupernaturales, vt myſteria fidei, de quibus dictum à Chriſto. Ipſe vos docebit omnem veritatem, & pecuniam accipere pro harum veritatum doctrina, ſimonia eſſet. Ad tertium. Scientiæ naturales abſolutè & in ſe conſideratæ, quatenus videlicet continent cognitionem alicuius veri, non ſunt pretio æſtimabiles, relatæ tamen ad vſum hominum, pretio æſtimantur, & vendi poſſunt: exemplum pro maiori inſtructione eſſe poteſt. Vita hominis, aut membrum non poſſunt pecunia æſtimari, arg. l. liber homo. ff.ad leg.Aquil.& l.fin. ff.de his qui deiecerint, vel effuderint: habita tamen ratione vtilitatis quam filij, aut proximi hære-

des

s ex vita, aut vſu membri percipiebant, aut
rcipere debebant, vita & membrum pretio
timantur, atque compenſantur. vt latè oſ-
ndimus in comment.cap.1. q.3.de iniurijs &
am, dato. Maior autem eſt ratio dubitandi
e Theologia, an hæc doceri poſſit pro pretio
axato: quandoquidem hæc continet doctri-
nam rerum ſupernaturalium,& myſteriorum
diuinitus reuelatorum, ad communem om-
nium animarum ſalutem. Negant Hoſtienſis
in d.c. Quia nonnullis. Paludan.in 4.d.25.q.5.
& Syluest. cum limitatione in verb. Simonia.
q.10. & in hac ſententia à fortiori ſunt omnes
qui contendunt ſimoniacum eſſe, docere ſci-
entias naturales pro pretio. In contrarium
ſunt Adrian. Victoria, Sotus, Gregorius de
Valentia in 2.2. S.Thomæ. q.100. & commu-
niter recentiores Theologi. Quia Theologia
ex cathedra in ſcholis traditur ad erudien-
dum intellectum, & non ad inflammandum
affectum. Alia tamen ratio foret, ſi Theolo-
giæ ſcientia per modum prædicationis, ex-
hortationis,aut ſpiritualis conſilij traderetur:
& huic ſententiæ adhærendum eſt. Petrus ta-
men de Aragon.in 2.2. S.Thomæ in d. q. 100.
art.1. diſtinguit. Aut loquimur de Theologia
ſcholaſtica: aut de pura & vera Theologia.
De prima eadem eſt ratio quæ de alijs faculta-
tibus. Quia vt ſic tantum illuminat intelle-
ctum ſicut aliæ ſcientiæ.nec ordinatur ad cor-
rigendos mores, aut inflammandos animos
B 5 amore

amore rerum ſupernaturalium. At alia ratio eſt de pura Theologia, quæ docet & defendit ea, quæ ad ſalutem animarum neceſſaria ſunt. De hac enim Chriſtus Matth. vlt. dicit: Docete omnes gentes. & Paulus ad Epheſ. cap. 4. Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, alios doctores, &c. Sed hic doctor confundit verbum prædicationis & exhortationis cum Theologia. Hoc tamen obſeruandum cum S. Thoma, Durando, & alijs quibuſdam Theologis, quod quamuis in venditione muneris docendi, non interueniat ſimonia, poteſt tamen committi peccatum iniuſtitiæ, vtpote ſi quis haberet aliunde taxatum ſtipendium pro docendi officio, & etiam pretium ab auditoribus exigeret: Tunc enim idem bis venderet quod iniuſtum eſt. Poſtremo ex d. cap. Quia nonnullis. cum DD. mente tenendum, eum qui pecuniam recipit pro licentia docendi, & facultate danda, committere quaſi ſimoniam: & eſt communis opinio, vt poſt Bertrandum in conſil. 157. lib. 5. atteſtatur Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. ſimonia. num. 3.

Nonum Notabile. Dubium eſt inter Theologos? An ſimoniæ peccatum in aliqua re, etiam apud infideles, extra Catholicam Eccleſiam ſibi locum vendicet. Occaſione huius dubij altius per Concluſiones reſpondeo: quarum ſit.

Prima concluſio. In lege Moſaica non ſolum potuit committi ſimonia, ſed etiam de facto fuit

fuit commiſſa. Patet ex ſacra ſcriptura. De Balaam. Num. 22. vendente Madianitis maledictionem populi. Et 4. Reg. 5. de Giezi, qui vendidit Naaman donum ſanitatis. & 1. q. 1. c. qui ſtudet, & alibi. Præterea, vt manifeſtiſſimum eſt. In illa lege erant dona prophetiæ, ſanitatis, &c. nec non ſacerdotalis poteſtas, & alia multa, quæ cultum diuinum concernebant: ſed hæc omnia ſunt materia ſimoniæ. Atq; in hac concluſione non poteſt eſſe controuerſia.

Secunda concluſio. In lege naturæ potuit eſſe ſimonia. Hanc docent Vict. in 1. part. relectionis de ſimonia. num. 19. Sotus in d. art. 1. Greg. de Valentia, & Petrus de Aragon. in d. art. 1. S. Thomæ, & communiter recentiores, nec eſt in ea dubium. Probatur. In lege naturæ fuit legitimum, & verum ſacerdotium inſtitutum ad finem, & effectum ſpiritualem, vt patet de Melchiſedech, qui in lege naturæ fuit ſacerdos. Gen. 14. Pſalm. 109. ad Hebr. 7. 8. & 9. Ergo potuit eſſe ſimonia in venditione poteſtatis ſacerdotalis. Nec etiam dubitandum, quin fuerint in illa lege ſacramenta aliqua ordinata in ſalutem, in quibus ſimonia locum potuiſſet ſortiri.

Tertia concluſ. Ante legem Euangelicã apud paganos & infideles nõ potuit eſſe ſimonia ex obiecto, ſed tantum ſecundũ conſcientiam, & æſtimationem. Hanc docet Durand. Paludan. Adrian. & Petrus de Aragon. loco cit. Ratio.

Quoniam

Quoniam apud tales idololatras infideles non erat aliquid reuera ſpirituale, aut ſpirituali annexum. Quia omnia eorum ſacerdotia, ordinabantur ad falſos deos. Ergo nec potuit eſſe vera ſimonia. Contrarium tamen tenet Victoria, dicta Relectione num. 21. concluſione 3. ſed fragili fundamento: exiſtimat enim ſacerdotium apud idololatras, fuiſſe verè ſpirituale. Sequitur tamen illum Gregor. de Valentia vbi ſupra art. 2.

Quarta Concluſio. Nunc, tempore Euangelij, apud Ethnicos & Iudæos, non poteſt eſſe ſimonia ex obiecto, ſed tantum ſecundum humanam exiſtimationem. Hanc tenent Victoria, Sotus, Gregor. de Valentia, & alij. Ratio. Quia nihil poteſt apud eos eſſe ſpirituale, & omnis ſpiritualis poteſtas apud eos expirauit, propagatione Euangelij, cuius præceptis ſubduntur. Quamuis aliqui propter ignorantiam inuincibilem excuſentur à peccato, ſi Euangelium non ſeruent, vt poſt Sotum, Valentia annotauit.

Decimum Notab. In materia ſimoniæ, nomine pecuniæ intelligimus quicquid pretio æſtimari poteſt. Vnde illud Auguſtini cap. Totum. 1. q. 3. Totum quicquid habent homines in terra, quorum ſunt domini, pecunia vocatur. Seruus, ager, vas, arbor, pecus, & huiuſmodi. Ideo pecunia vocata quaſi à pecu, quia quicquid antiqui habebant, in pecoribus habebant. Doctores autem omne pretium, quo

ſimonia

ſimonia inducitur, reducunt ad triplex munus, quorum vnum munus à manu, aliud ab obſequio, tertium à lingua nominatur. De his S. Thomas 2.2.q.100.art.5. Alenſis 2.par.q. 187.membro 3. S. Antonin.2. par. tit. 1. cap. 4. §. 2. Doctores in 4. d. 25. Cardinal. Alexand. Archidiac. Turrecrem. in c. ordinationes. 1.q. 1. Huc facit illud Vrbani Papę relatum à Gratiano in c. Saluator. 1.q.3. Quiſquis res Eccleſiaſticas, & Dei dona, quæ à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæque ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent, propter ſua lucra vendit, vel emit, cum eodem Simone donũ Dei pecunia poſſideri exiſtimat. Ideo qui eas non ad hoc, ad quod inſtitutæ ſunt, ſed ad propria lucra munere linguæ, vel obſequij, vel pecuniæ largitur, vel adipiſcitur ſimoniacus eſt. Munus à manu, eſt pecunia numerata largè ſumpta, pro rebus mobilibus, vel immobilibus, quæ temporaliter poſſidentur, iuxta cap. Totum eas. q. 3. Munus ab obſequio, eſt ſeruitus indebitè impenſa, vt ſi quis inſeruiat prælato eccleſiaſtico, ſine ſtipendio, cum pacto, vt ei beneficium conferat. Munus à lingua, eſt fauor, vel laus humana; & ad hoc caput referuntur preces. Multa in ſpecie poſſunt referri ad hæc capita, de quibus infra latius tractabitur. D. Bonauent. in 4. d. 25. Magiſtri, duobus verſibus comprehendunt modos quinque, quibus ſolet committi ſimonia.

Munus

Munus, lingua, timor, caro, cum fama populari
Non faciunt gratis ſpirituale dari.

Vndecimum notabile. Quia tantum ſimoniæ malum nunc vſitatum eſt, & maiorum extat frequenter mucrone ſucciſum, 1. q. 1. cap. reperiuntur: Et experientia rerum magiſtra teſtis eſt, ideo exaggerandum videtur. argum. L. Aut facta. ff. de pœnis. In primis ſimoniæ crimen eſt peccatum mortale, & ex numero grauium, & maximorum. Mortale crimen eſſe nemo negare poteſt. Scriptura eſt aperta. Act. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c. & multi ſunt Canones 1. quæſt. 1. per totum. Et in hoc noſtro tit. Rationes etiam format D. Thomas in dicto art. 1. Res ſpiritualis non poteſt eſſe debita materia emptionis, & venditionis. Ergo iniquus eſt contractus, quando emitur, aut venditur aliquid ſpirituale, prout contingit in crimine ſimoniæ. Antecedens probatur ex triplici capite. Primo enim ex parte rei quæ venditur. In ſimonia enim venditur res ſpiritualis, quæ ſuperat omne pretium rei temporalis. Vnde de diuina Sapientia Prouerb. 3. dicitur. Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Atque id D. Petrus ſignificat. Actor. 8. cum ait: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Falſum enim eſt, & in pertinaci hære-

ıæreticum, quod donum Dei, id eſt, res ſa-
:ra quatenus talis, poſſit cadere ſub pretium,
x æſtimationem humanam. Hanc ratio-
ıem, innuit Tharaſius Epiſcopus Conſtan-
inopolitanus in epiſt. ad Adrianum Papam.
lum ait. Tolerabilis eſt enim Macedonij, &
orum, qui circa ipſum ſunt, Spiritus ſan-
ti impugnatorum impia hæreſis. Illi enim
reaturam, & ſeruum Dei Patris, & Filij,
piritum ſanctum delirando fatentur. Iſti
ero eundem ſpiritum efficiunt ſuum ſer-
um. Omnis enim dominus, quod habet, ſi
ult, vendit, ſiue ſeruum, ſiue aliud eorum,
uæ poſſidet. Similiter & qui emit, dominus
ius volens eſſe, quod emerit per pretium
ecuniæ illud acquirit. Ita & qui hanc ini-
uam actionem operantur, detrahunt Spi-
tui ſancto, æqualiter peccantes, &c. & in-
ritur à Gratiano 1. quæſt. 1. cap. Eos. Vbi
ı opere emendato & edito iuſſu fœliciſſimæ
ıemoriæ Pontificis Gregorij XIII. prima
ırs illius epiſtolæ correctius, & latius in pri-
is græcè apponitur, deinde latinè reddi-
r. Secunda probatio ducitur ex parte eius,
ıi venditor eſt in ſimonia. Etſi ſpiritualia
:r ſe eſſent venalia, non poſſunt tamen ven-
à Præpoſitis Eccleſiæ, cum non ſint domi-
, ſed tantum diſpenſatores rerum ſpiritua-
ım, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 4. Sic
ɔs exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti,
diſpenſatores myſteriorum Dei: nec
etiam

etiam habeant conſenſum domini ad vendendum, ſed potius prohibitionem. Matth. 10. Gratis accepiſtis, gratis date. At diſpenſatores, ſine voluntate & conſenſu Domini, nihil poſſunt vendere. Tertia probatio antecedentis ducitur ab origine rerum ſpiritualium: Gratuito enim à Deo nobis collata ſunt ſupernaturaliter, in bonum publicum totius Eccleſiæ. Ergo neceſſarium eſt, vt gratis etiam adminiſtrentur. Hanc rationem innuit etiam Vrbanus II. in epiſtola ad I. præpoſitum Eccleſiæ S. Iuuentij, apud Ticinum: & inſcritur pro parte 1. q. 3. cap. Saluator: ibi: Quiſquis igitur res Eccleſiaſticas (quæ dona Dei ſunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent) propter ſua lucra vendit, cum eodem Simone donum Dei poſſideri pecunia exiſtimat. Natura enim donorum gratuitorum ex inſtitutione diuina eſt, vt gratis dentur. Sic 1. q. 1. cap. 1. Leo Papa. Gratia ſi non gratis datur, vel accipitur, gratia non eſt. Qua de cauſa Guilhelmus Peroaldus in d. tract. de auaritia. cap. 7. non longius à principio. verſ. Secundo vero facit ad deteſtationem ſimoniæ. Dionyſius Carthuſianus lib. 1. de ſimonia, art. 3. & alij quidam dicunt, quod ſimonia ſit ſpiritualis ſodomia. Nam non ſecus atque peccatum ſodomiæ eſt contrarium naturæ, eamque quantum in ipſo eſt, deſtruit: ſic vitium ſimoniæ gratiæ aduerſatur, eandemque

emque quantum fieri poteſt corrumpit. Quod etiam ſimonia ſit ex numero grauium, : maximorum peccatorũ, nunc clarè oſten-itur. Primo facit, quod Innocent. III. in p.fin. prope finem de purgatione canonica, idem in cap. Inquiſitionis. de accuſationi-is. & inquiſit. inter maiora crimina refert. Lucius Papa in cap. ſicut ſimoniaca, infra, quod ſimoniæ peſtis ſui magnitudine alios orbos vincit. Et in cap. ſtudet. 1. q. 1. capita-crimen appellatur. Secundo confirmat ſi-oniam eſſe de grauioribus, quod Patres, & nones dicunt, eſſe hæreſin. d. cap. Qui ſtu-. Nam ait, Spiritus ſancti donum pretio mparari, quid aliud, quam capitale crimen, imoniaca hæreſis. Et Greg. lib. 7. epiſt. 100. igrio, & alijs epiſtolis. 1. q. 1. cap. cum liqueat ic hæreſin ante omnes radice peſtifera ſub-ſiſſe, atque in ipſa origine ſua apoſtolica eſ-eteſtatione damnatam, cur, non perpendi-, quia benedictio illi in maledictionem uertitur, quia ad hoc vt fiat hæreticus mouetur, & ibidem. q. 3. cap. Altare & de-as per pecuniam dare, & Spiritum ſan-n vendere, ſimoniacam hæreſin eſſe, nul-idelium ignorat. hunc canonem Gratian. chali 2. Sed S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. in arg. contra: tribuit Gregorio in regiſtro, & aſſe Paſchalis à Gregorio habet. In eadem a. & q. 1. cap. Eos. Tolerabilior cenſetur ia Macedonij & ſuorum ſequacium hæ-

 reſis.

reſis. & 1.q. 7. cap.fin. Paſchalis Pontifex: Patet, inquit, ſimoniacos veluti præcipuos, & primos hęreticos ab omnibus fidelibus reſpuendos, & ſi commoniti nõ reſipuerint, ab exteris poteſtatibus opprimendos. Omnia enim crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis, quaſi pro nihilo reputantur. Et Innocent. III. in cap. Per tuas. 1. infra hoc tit. Propter immanitatem ſimoniacæ hæreſis, ad cuius comparationem cætera crimina quaſi pro nihilo reputantur. Non tamen exiſtimandum, quod omnis ſimonia in veritate ſit hæreſis. Ille enim ſimoniacus eſt hæreticus, qui verè credit, quod gratia Spiritus ſancti, & ſpiritualia ſint venalia, & cadant ſub æſtimationem hominum: quam hæreſin Simon tenuit. Si autem quis ſine errore infidelitatis committat ſimoniam ex auaritia, cupiditate bonorum temporalium, aut alia affectione, non verè hæreticus eſt, iuxta tradita ab Alexan. Alen. 2.p. q. 187. M.3. Innocent. in cap. Quoties infra. Turrecrem. poſt alios in c. Eos. 1. q. 1. Anton. de Roſell. in lib. de poteſt. Papæ, & Imperat. q.3. princip. num.48. Simonia autem hæreſis vt plurimum ab antiquioribus dicitur ſecundum exteriorem proteſtationem, quia in hoc, quod aliquis vendit donũ Spiritus ſancti, quodammodo proteſtatur, ſe eſſe dominum Spiritus ſancti doni, quod eſt hæreticum ex mente S. Thomæ in d. art. ad 1. & alios. Vel hæretici dicuntur propter ſimilitudinẽ actus

cum

cum ita operentur, ac ſi ſentirent donum Spiritus ſancti pecunia poſſideri, quod vtiq; hæreticum eſſet. Cui concordare videtur illud Gregorij lib.9.epiſt.53. ad Theodoricum Regem relatum à Gratiano 1. q. 1. c. Cum omnis auaritia idolorum ſit ſeruitus, quiſquis hanc, & maximè in dandis Eccleſiaſticis honoribus vigilanter non præcauet, infidelitatis perditioni ſubijcitur, etiamſi tenere fidem, quam negligit videatur. Tertio. Confirmatur illud crimen eſſe ex grauioribus. Quia à Doctoribus refertur in numerum exceptorum, etſi tantum ſit commiſſa in beneficio. Gloſſ. in c. cum P. De accuſat. Alexand. in conſ.11.in cap. circa primum dubium.num.15.vol.1.Panorm. infra in cap.De hoc. Maſcard.de probat.3.vol. concl. 1304. num.31. Et hæc eſt communis opinio, vt poſt Aretium.in cap.Cum P.Mancoiella. num.27. de accuſat. & Iulius Clarus lib. .ſentent. §. Sodomia atteſtatur. & corroboat, quod ſimonia æquiparatur crimini læſæ maieſtatis, vt elicitur ex textu infra in c. licet Heli. Et annotant Anto. à Butr.ibid.n.7.Balus in l. ſi quenquam. C. de Epiſc. & Clericis. Alexand.in addit.ad Barthol. in l.1. ff.de publ. idic. Et Damhauderus in praxi criminali. c. 1. ad crimen læſæ diuinæ maieſtatis refert ſimoniam. Maſcard. loco cit. Roland. à Valle. onſ.31.incipit.In cauſa inquiſitionis. num.12. ol.3. Ex hac radice in ſimonia locum habent, uæ alijs criminibus exceptis attribuuntur,

 vt quod

vt quod in ſimonia etiam ſocius poſſit de ſocio interrogari, eique fides adhibenda ſit. c. Si quis Papa. 89. diſt. cap. 1. de teſtib. in 6. Innocent. in cap. veniens. de teſtib. Salycet. in cap. Quoniam liberi. C. de teſtib. & in l. ſi magnum. C. qui accuſ. non poſſunt. Boërius in deciſ. 319. num. 2. Campegius in tract. de teſtibus. reg. 86. fallent: 1. Guilhelmus Rodanus in tract. de ſimonia. par. 4. cap. 5. Menoch. de arbit. iudic. qq. caſ. 472. num. 31. & alij alibi. Et ſic etiam ob eandem cauſam videtur nullus in crimine ſimoniæ excuſandus à tortura. Gloſſ. in l. Nullus. C. ad leg. Iul. Maieſt. in verbo Maieſt. per text. in d. l. ſi quenquam ibi: Ad inſtar publici criminis, & læſæ maieſtatis accuſatione propoſita, à gradu ſacerdotij retrahatur. Damhaud. in praxi rerum crimin. cap. 41. num. 10. Quod tamen intelligendum puto, quando in grauiſſima re ſimonia committeretur, vt in promotione ad Epiſcopatum. Quarto ſimoniæ peccatum comparatur cum crimine Iudæ, qui vendidit Saluatorem. cap. Qui ſtudet. 1. q. 1. & ibid. in cap. Eos. Ita, inquit, de ſimoniacis, Qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui ſancto, æqualiter peccantes ijs, qui blaſphemarunt dicentes, Chriſtum in Beelzebub eijcere dæmonia: atq; vt verius dicamus Iudæ comparantur proditori, qui Dei occiſoribus Iudæis Chriſtum vendidit. Quinto crimini ſacrilegij ſimonia comparatur. Sic D. Gregor. vniuer-

Digitized by Google

niuerſis Epiſcopis Hiſpanis ſcribens, & re-
ertur 1.q.13. cap.ſtuduimus. A ſacrilegio, ait,
uoque hoc facinus non diſpar dixerim, &
idem Decretiſtæ. Sexto ex magnitudine
œnæ grauitas huius criminis cognoſcitur.
uius enim pœna maior eſt, illud peccatum
auius eſſe cenſetur, argum. illius Deuteron.
. Secundum menſuram delicti erit & plaga-
m modus, & c.non afferamus. 24. q.1. Quis
im dubitat ſceleratius eſſe commiſſum,
od grauius vindicatur. Et l.Reſpiciendum.
de pœnis. At crimen ſimoniæ grauiſſimè
nper fuit punitum, tam in veteri, quam in
uo teſtamento. 4.Reg 5. Sanctus Propheta
eliſęus familiari ſuo diſcipulo & puero Gie-
, cum ſimoniæ crimen incurriſſet, non ei
percit, ſed lepra eum percuſſit: Et quia inſi-
is eſt textus ſcripturæ, ad hoc propoſitum
dominis & ſeruis, libet eum de verbo ad
bum ſubiungere, & ob oculos ponere.
m enim Heliſæi meritis Naaman Syrus
ſſet curatus à lepra, obtulit Heliſæo mune-
quæ noluit accipere. Itaque Giezi tentatus
ictus cupiditate munerum, quæ excæcant,
ppetijt: & ſic ſcriptura loquitur: Dixitque
zi puer viri Dei: pepercit dominus meus
aman Syro illi, vt non acciperet ab eo, quæ
lit. Viuit dominus, quia curram poſt eum,
ccipiam aliquid ab eo. Et ſecutus eſt Gie-
oſt tergum Naaman. Quem cum vidiſſet
currentem ad ſe: deſilijt de curru in occur-

ſum eius, & ait, Recténe ſunt omnia? & ille ait, Rectè. Dominus meus miſit me ad te dicens: Modo venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim, ex filijs prophetarum. Da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices. Dixitque Naaman. Melius eſt, vt accipias duo talenta: Et coëgit illum, ligauitque duo talenta auri in duobus ſaccis, & duplicia veſtimenta, & impoſuit duobus pueris ſuis, qui & portauerunt coram eo. Cumque veniſſet iam veſperi: tulit de manu eorum, & repoſuit in domo, dimiſitque viros, & abierunt. Ipſe autem ingreſſus ſtetit coram domino ſuo. Et dixit Heliſæus; Vnde venis Giezi? Qui reſpondit. Non iuit ſeruus tuus quoquam? At ille ait, nonne cor meum in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum, & veſtes: vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas: ſed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix. Hucuſq; ſcriptura. Ex quibus intelligitur, quanto zelo propheta Dei, execratus ſit hoc peſſimum crimen, & quanta ſeueritate puniuerit. Non enim ſimplex & vnicum fuit peccatum, (inquit ſuper hunc locum Lyranus) ſed multiplex: quorum primum fuit cupiditas, quę eſt radix omnium malorum. 1. Timoth. 6. ſecundum, mentiebatur, tertiũ periurium, quia in Hebræo habetur, Iura mihi, quod

quod miſerit te Heliſæus, & accipe duo talenta, quartum verò furtum rei notabilis. Nec minus ad propoſitum facit illud 3. Reg. 13. de Hieroboam, qui ſacerdotia vendebat, ſecundum Lyrani, & quorundam aliorum expoſitionem. Vbi prope finẽ cap. dicitur. Quicunque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos excelſorum. Et ſubijcitur ſtatim: Et propter hanc cauſam peccauit domus Hieroboam, & euerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ. In nouo teſtamento inprimis ſe offert exemplum Chriſti: Aſcendit Ieſus Hieroſolymam, & inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & numularios ſedentes. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoq;, & boues, & numulariorũ effudit æs, & menſas ſubuertit. Et his qui columbas vendebant, dixit. Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domũ negociationis. Recordati verò ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt, Zelus domus tuæ comedit me. Hoc factum Saluatoris huic materiæ PP. & DD. accõmodant. Aug. tract. 10. in Ioã. vbi ait, Simon ille ideo volebat emere Spiritũ ſanctum, quia vendere volebat Spiritũ ſanctum: & putabat Apoſtolos mercatores eſſe, quales Dominus de tẽplo flagello eiecit. Talis enim ipſe erat, & ꝙ venderet, emere volebat. De illis erat, qui colũbas vendebãt. Etenim in colũba apparuit Spiritus ſanctus. Hæc ille: D. Greg. hom. 39. in Euãg. Vrb. II. in ep. ad

 Præpo-

Præpoſitum Eccleſiæ S. Iuuentij: & habetur 1. q. 3. cap. Saluator. Alexand. II. in epiſt. ad clerum & populum Lucenſis Eccleſiæ. & inſeritur in d. cauſ. & q. cap. Ex multis. Leo IV. in epiſt. ad Epiſcopos Britanniæ. in cap. Requiritis. 1. q. 7. Gregor. Nazianz. in d. cauſ. 1. q. 1. cap. Qui ſtudet. Animaduerſum tamen eſt in Corpore Iuris canonici correcto, hoc cap. non inueniri in operibus Gregor. Nazianz. ſed ſimilia haberi in epiſt. Taraſij Conſtantinop. Epiſcopi ad Adrianum Pontificem. Beda in cap. 2. Ioannis. Dionyſius Carthuſ. ibid. Et communiter recentiores. Et teſtatur Vrbanus in d. epiſt. 2. quod omnes huius Euangelici cap. tractatores ita accipiunt, & intelligunt. Et licet omnes DD. in eundem tendant ſenſum, tamen libet aſcribere Alexand. II. ſententiam, quæ clarior, & aptior de facto Chriſti, his verbis profertur. Illud quoque in eodem facto ſollicitè conſiderandum, quod per totum textum ſancti Euangelij, nuſquam reperitur dominus tanta ſeueritate, tam diſtricta cenſura iuſtitiæ, peccantes corripuiſſe, cum non ſolum eloquio increpans, verum etiam facto flagello de funiculis verberans, omnes eliminauit de templo, apertè demonſtrans, quod tales negociatores non ſicut cæteri peccatores ſunt corripiendi, ſed à templo Dei, id eſt, à ſancta Eccleſia longius ſunt proijciendi. Nam ſicut per columbarum venditores illi denotantur, qui ſacram manus impoſitio-

poſitionem vendere conantur; ſic per nummularios, Eccleſiaſtici beneficij venditores deſignantur, qui domum Dei (teſte Euangelio) ſpeluncam latronum efficiunt. Sic Alexand. II. Maximam etiam huius criminis pœnam indicant D. Petri ad Simonem Magum verba. Act. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c. non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto: Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, &c. Hęc & ſimilia intuens Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Eccleſiæ. art. 9. egregiè exclamat in hoc vitium, & verbis exaggerat in hunc modum. O lepra contagioſa, lepra fœtida, vſque ad aures Domini Sabaoth, lepra labefaciens interiora vitalia, & ſacra in Dei Eccleſia ſacrificia, abominabilis Deo, & diuinis hominibus, apud homines incurabilis, ſoli Chriſto Domino, qui apparere voluit tanquam leproſus, Eſaiæ 43. cap. cura poſſibilis, ſed rara, & admirabilis, vnoque teſtamento prohibita ... s. cap. Qui ſtudet. 1. q. 1. Sanctio ciuilis te re[p]robat, Canonica te hæreticam vocat, vt mul[t]is alleg. liquidum eſt. A templo Dei eijceris [c]um flagellis. Ab Heliſæo lepra perfunderis, [4]. Reg. 5. A Petro in perditionem damnaris, [A]ctuum 8. Quæ fieri debent leproſis, Leuit. [1]3. tibi competunt, Quia caput nudum habes, [v]t cognoſcaris, & confundaris: quia caput habes

ff. ad L. Iul. de ambitu. l. 1. & c. ſancimus. 1. q. 7. 1. q. 3. cap. Ex multis.

Ioan. 2.

1. q. 1. c. ventum eſt.

Digitized by Google

arg. 33. q. 4. c. In eo. 1. q. 1. cap. cito. 16. q. 7. c. Sicut.

Exod. 4.

16 q. 6. c. 1.

3. Paral. 26.

2 q. 7. §. his ita, &c.

bes vulneratum. Os veſte contextum, ne alios tuo flatu inficias, quia contagioſa es. Conciſam veſtem, quia Eccleſiam diuidis, quia peſſimè ambis & mercaris, & ab Eccleſia, quæ vna eſt diuideris. Contagioſa ſemper & ſordida apparebis. Quia manum ad burſam poſuiſti, & extrahendo ſoluiſti, etſi homines, Deum tamen non latuiſti. Cum Ozia ſanctuaria profanaſti, & leproſa effecta cum lepra vſque ad mortem permanſiſti. Et alia plurima accumulat Aluar. Ad huius criminis immanitatem declarandam facit, quod Gregorius eius nominis ſeptimus Pontifex, Imperatorem Henricum Quartum Imperatoria dignitate priuauit, & excommunicatum pronunciauit; maximè, quia Epiſcopatus Germaniæ, Eccleſiaſticas dignitates, ſpiritualia, beneficiaque Eccleſiaſtica venalia habebat, vt Auctores ſunt Raphaël Volateranus libro 22. Antropologiæ. Fulgoſ. libro 1. capite 1. & libro 6. capite 3. Marianus Scotus in Chronico Anni 1075. & eius continuator Dodechinus in additione ad Marianum, Anno 1106. Trithemius in Chronicis, & alij, & habetur epiſtola Stephani Alberſtaden. viri ſancti, qui viuente Henrico Quarto ad Walranium Epiſcopum ſcripſit his verbis. Audi vera, non fucata, audi fortia, non faceta: Omnis qui dignitates ſpirituales vendit, hæreticus eſt: Dominus autem Henricus,

cus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus, & Abbatias vendit. Etenim Conſtantienſem, Bambergenſem, Moguntinenſem, & plures alios pro pecunia, Ratiſbonenſem, Auguſtenſem, & Straſburgenſem pro gladio, Fuldenſem pro adulterio, Monaſterienſem verò Epiſcopatum, quod dicere, & audire nefas eſt, pro Sodomitica immunditia vendidit; quæ ſi impudenter negare volueris, teſte cœlo, teſte terra, omnes etiam à furno redeuntes ſcioli concludent hoc, Dominus Henricus hæreticus eſt: Pro quibus nefandis malis ab Apoſtolica ſede excommunicatus, nec poteſtatem aliquam ſuper nos, qui Catholici ſumus, poterit exercere. Et Marianus circa Annum 1075. Gregorius, ait, quærimonijs, & clamoribus Catholicorum iuſtis aduerſus Henricum, & ſcelerum eius immanitatem auditis, zelo Dei accenſus, iam dictum Regem excommunicatum pronunciauit, maximè propter ſimoniam. Quod factum Catholicis quidem viris bene placuit: ſimoniacis verò, ac fautoribus Regis, nimium diſplicuit. Et ex iunioribus Ioannes Caluinus noſtræ fidei aduerſarius de hoc Henrico libro 4. Inſtitutionum. capite 11. §. 13. tale perhibet teſtimonium. Imperator Henricus eius nominis Quartus, homo leuis, & temerarius, nullius conſilij, magnæ audaciæ, & vitæ

& vitæ diſſolutæ, Epiſcopatus totius Germaniæ habebat in aula ſua, partim venales, partim prædæ expoſitos. Multa circa hoc Gregorij VII. factum, & de Henrici IV. ſcelerata vita, & ſimoniaca prauitate teſtimonia congerit, ex veterum Hiſtorijs, Robertus Bellarminus. tomo 1. controuerſ. lib. 4. de Romano Pontifice. cap. 13. & latius lib. 1. cap. 2. de Tranſlat. Imperij Romani. De pœnis canonum contra ſimoniacos infra, in notab. 15. latius pertractabitur.

Duodecimum Notabile. Nunc quia demonſtratum ſimoniam eſſe peccatum, & ex genere grauium, maximorumque videndum, cui legi opponatur. De hac quæſt. ex Theologis, tractant Victoria in relect. de ſimonia. 1. part. à num. 9. Sotus lib. 9. de iuſt. & iure. q. 5. Caiet. tom. 2. opuſc. tract. 9. q. 1. Petrus de Aragon. 22. q. 100. in art. 1. Gregor. de Valent. in eandem q. puncto 5. & recentiores ibid. Durand. in 4. d. 25. q. 5. Canoniſtæ alijs verbis videntur hanc quæſtionem attingere, occaſione diſtinctionis, quam facit Gloſſ. in cap. Ex parte. 1. de officio delegati, diſtinguens aliam eſſe ſimoniam prohibitam, quia ſimonia: Alteram ſimoniam, quia prohibita. Hanc diſtinctionem communiter recipiunt DD. Panorm. Anton. de Butr. & alij quidam in d. cap. Ex parte. Cardinalis, Hoſtienſ. Panorm. & alij infra in cap. 1. Angel. Sylueſt. & alij in verb. ſimonia. Adrian. q. 9. Nauar. in Manual. confeſ.

cap.

cap. 23. num. 100. & DD. Theologi locis cit. excepto Durando. Prohibita, quia ſimonia, ea eſt, quæ lege veteri, aut naturali, aut etiam noua, ante omnem canonicam, aut Pontificiam diſpoſitionem, ex ſua natura mala eſt, vt venditio gratiæ gratis datæ, ſacramentorum, &c. Simonia, quia prohibita, eſt, quæ iure humano ab Eccleſia, per poteſtatem ſupernaturaliter datam, diuinituſque traditam, inſtituto eſt prohibita; vt renunciatio, aut permutatio beneficij, cum pactis, vel modis alias licitis, niſi poteſtate Eccleſiæ inhibitum fuiſſet, vel alias quædam officia Eccleſiæ merè temporalia, quorum tamen venditio prohibita. de quibus in cap. Saluator. 1. q. 3. Durand. in d. q. 5. (In cuius ſententiam deſcendit Petrus de Aragon. loco cit. licet eius rationem reijciat.) Improbat hanc diſtinctionem, volens nullam ſimoniam eſſe contra ius merè poſitiuum, his potiſſimum rationibus motus. Prima. Circa id, quod non eſt ex ſe malum, niſi quia prohibitum, non contingit peccatum, niſi inobedientiæ, quia in tali caſu ratio peccati eſt ex tranſgreſſione prohibitionis, & non ex natura facti. Si ergo aliquid non eſt de ſe ſimoniacum, fieri haud poteſt, vt ex prohibitione iuris, aliud peccatum oriatur præter inobedientiam. Secunda. Simonia eſt venditio rei ſpiritualis pro temporali: ſed prohibitio iuris non mutat naturas rerum, vt de temporali faciat ſpirituale, vel è conuerſo. Ergo vbi non eſt ſimo-

eſt ſimonia ex natura rei, nō poteſt eſſe ex prohibitione iuris. Nunc pro reſolutione ſit.

Prima Concluſio. Omnis ſimonia ſpiritualium donorum ſupernaturalium, eſt contra ius diuinum, & naturale. Hanc docent Adrian. Quodlib. 9. Armacan. ab eo allegatus in quæſtionib. Armenorum. lib. 10. cap. 8. & 9. Victoria, Sotus, & Commentatores D. Thomæ loco cit. & communiter DD. vt ait Valentia. Nec poteſt in ea re eſſe dubium, conſtatq; ex illo 4. Reg. 5. de Giezi. Et Num. 22. de Balaam, & Matth. 10. Gratis accepiſtis, gratis date. Quæ verba communiter PP. & DD. ad hoc propoſitum adducunt: Cum autem Gennadius Patriarcha, & Synodus Conſtantinopolitana in epiſt. in totum orbē miſſa, ad omnes Metropolitanos, & Papam Romanum, illa Euangelij verba pulchrè vrgeant, libet ea aſcribere, & quidē ſtatim à principio ſic incipiunt: Dominus noſter, & Deus & Saluator Ieſus, cum ſanctis diſcipulis ſuis, quos per vniuerſum orbem hominum doctores miſit, Euangelij prædicationem credidiſſet, præcepit maniſeſtè, vt munus, quod abs ſe gratis accepiſſent, illud ipſi cæteris quoque mortalibus largirentur, proque illo neq; æs, neq; argentum, neque aurum, neque vllas alias facultates, aut materiales poſſiderent. Cœleſtibus enim & ſpiritualibus gratijs, terrena & caduca commutabilia non ſunt. Id mandati non illis modo, ſed & nobis præcepit per illos, in quorum

nos

nos gradum & locum ſubſtituere dignatus eſt. Itaque quemadmodum illi tunc, ita & nos nunc diligenter cuſtodire, & tenere oportet. Hic ſophiſmatis, & argutijs ne vtamur talum periculoſum hinc inde iactando. Gratis, inquit, accepiſtis, gratis date: non poſſidete æs, nec argentum, neque aurum in Zonis veſtris. Simplex & manifeſtus huius mandati ſermo eſt: Nihil hic ambiguum, nihil ſupra captum noſtrum: nihil hic opus ſophiſtica enarratione. A me, inquit, accepiſtis ſacerdotij dignitatem, pro qua ſi vel paruum, vel magnum quid dependiſtis, ſi hæc vendita eſt à me: venundate & vos eam alijs: Quod ſi gratis accepiſtis, date & vos gratis. Quid hoc mandato manifeſtius? Quid obſeruantibus magis vtile? Profecto væ ſuſpicantibus donum Dei pecunijs vel poſſideri, vel dari. Etenim tales iuxta ſententiam S. Petri amarulenti felle, & obærati iniuſtitiæ, à ſua ipſorum comprehenduntur auaritia. Hæc in dicta epiſtola. Facit etiam ad huius concluſionis probationem factum Chriſti, de eiectione vendentium, prout ſatis clarum ex PP. expoſitionibus ſupra allatis. Quod autem talis ſimonia iuri naturali aduerſetur, inprimis conuincitur omnibus rationibus, quibus ſupra à S. Thoma, alijſq; Theologis confirmatum eſt, ſimoniam eſſe peccatum mortale. Deinde Num. 22. Balaam dicitur commiſiſſe hoc peccatũ, & ob id criminis reus oſtenditur. 2. Pet. 2.

& in

& in epiſt. Iudæ, & tamen vixit tempore legis naturæ. Imo niſi lex naturalis venditionem, & emptionem rerũ merè ſpiritualiũ prohiberet, non videretur tam acri reprehenſione dignus Simon Magus, quia aliquo modo potuiſſet excuſari ob ignorantiam legis diuinæ poſitiuæ, maximè cum adhuc neophytus eſſet in Chriſtianiſmo. His accedit, quod lex noua, & Euangelica, præter illam partem, quæ de ſacramentis, & fide eſt, nihil continet, præter præcepta legis naturæ. Vt Victor. Sotus, & D. Thomæ imitatores communiter tradunt. Ergo ſimonia iure naturali prohibita eſt. Ex dicta concluſione elicitur, quod vendere, aut emere gratias gratis datas, ſacramenta, & actus intrinſecos ſpiritualibus ſupernaturalibus ſit ſimonia, contra ius diuinum & naturale.

Secunda Concluſio. Simonia quæ committitur in emptione & venditione beneficiorum Eccleſiaſticorum, eſt iure diuino prohibita. Hanc docent Caiet. in d.q.1. tract.9. vbi hanc quęſt. decidit. Palud. in d.25. in 4. q.4. Armach. lib.10. cap.16. Durand. loco cit. Vict. Sotus in d. lib.9. q.7. art.2. Nauarr. in manuali confeſſar. cap.23. num.108. Et hanc communiter videntur ſequi Theologi, vt Caiet. atteſtatur. Concluſio eſt contra aliorum opinionem, contendentium, quod in omnibus beneficijs Eccleſiaſticis ſimonia videatur tantum prohibita iure poſitiuo, & ex illo fundamento

eruunt,

ẽruunt, quod Pontifex, qui eſt ſupra ius poſitiuum, vendendo beneficia Eccleſiaſtica non committat peccatum ſimoniæ, ſicuti nec in eius incidit pœnas: quamuis ratione ſcandali peccet, &c. Sic Gloſſ. in d. c. Ex parte. Et ibid. Anton. de Butr. & Cardinalis in c. 1. Panorm. in d. cap. 1. de ſimonia. & in repetit. cap. Extirpandæ. §. Quia vero, de præbend. à num. 83. mediam recipit opinionem: nempè, quod ſimonia in beneficijs habentibus adminiſtrationem ordinis, aut executionem clauium, prohibeatur iure diuino: In alijs autem prohibetur tantum iure poſitiuo. Has opiniones etiã recitat Caietan. Pro clariori concluſionis intelligentia annotanda ſunt quædam cũ Caietano, quem Petr. de Aragon. in d. q. 100. S. Thomæ, art. 4. Coſmas Philiarcus lib. 6. de officio ſacerdot. c. 2. concluſ. 3. & alij quidam recentiores in hoc imitantur. Primum. In quolibet beneficio Eccleſiaſtico duo conſiderari poſſunt: Clericatus, & titulus præbendæ. Clericatus eſt quoddam diuinitus inſtitutum, quo perſona diuinis mancipatur, & redditur capax beneficij Eccleſiaſtici: & ſic in omni beneficio Eccleſiaſtico clericatus non poteſt emi, aut vendi. Secundum. Ius præbendæ, aut titulus beneficij: continet in ſe quatuor: ius ad petendum ſtipendium: ipſum ſtipendium: ius ad tale, tantumque ſtipendium, in tali loco determinatum: & tandem ipſum ſtipendium tale, & tantum. Ex his, duo vltima

ſunt ex iure poſitiuo, & hominum inſtitutione determinata. Quod enim vnum beneficium habeat 100. aureos, aliud 200. ſingulis annis, ex tali loco, villa, vel oppidulo, eſt ex hominum determinatione, & inſtitutione: priora autem duo, nempe ſtipendium abſolutè,& ius ad eius petitionem, eſt iuris diuini, & naturalis, vt ex diuinis literis elicitur. 1. Corinth. 9. Non alligabis os boui trituranti: Et, Qui altario inſeruiunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium denunciant, de Euangelio viuere. Et 1. Corinth.5. Non alligabis os boui trituranti. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Eſt ergo quiddam diuinum, ſpiritualeque ius petendi ſtipendium, & præſupponit Clericatum. Qui enim diuinis eſt mancipatus miniſterijs, & myſterijs, ius habet vt ſuſtentetur à populo, pro quo Deo militat. Concluſio ex dictis eſt manifeſta: addi tamen poteſt prædictis Nauar. ſupra citato loco poſitus ſyllogiſmus. Omne ſpirituale eſt inuendibile iure diuino. cap. Qui ſtudet. 1. quæſt. 3. cap. quam pio. eadem quæſt. 2. Non ſolum datum, vel immediatè inſtitutum à Deo, ſed etiam ab Eccleſiaſtica poteſtate diuinitus ei data. At omne beneficium eſt ius ſpirituale dependenter, ſiue conſequenter, prẹſupponens clericatũ, ſeu deputatione miniſterijs diuinis, factam ab Eccleſiaſtica poteſtate diuinitus ei tradita. cap. dilecto. de præ-

Digitized by Google

ꝛæbend. & D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. Ergo beneficium Eccleſiaſticum eſt inuendibile iure diuino.

Tertia Concluſio. Vendere officia merè temporalia, pertinentia tamen ad miniſterium Eccleſiæ, vt officium ſacriſtæ, procuratoris, aduocati, &c. non eſt ſimonia iure diuino prohibito, nec eſt propriè ſimonia. Hanc docent communiter Theologi, nec etiam diſſentiunt Canoniſtæ. Ratio. Quia huiuſmodi officia ſunt merè temporalia. Ergo ea vendere, aut emere non eſt contra ius diuinum, aut naturale. Quod etiam non ſit verè ſimonia, patet ex definit. ſimoniæ, cuius obiectum debet eſſe ſpirituale, aut ſpirituali annexum. Si quis tamen huiuſmodi officia vendat, facit contra prohibitionem Eccleſiæ, & punitur ſecundum ius, pœna ſimoniæ, ex cap. Saluator. 1. q. 3. & conc. Calcedonen. allegat. in eodem cap. & in d. epiſt. Gennadij. & Synod. Conſtantinopolitana. Quid verò nomine procuratoris intelligatur, etiam declaratur in d. cap. Saluator. Quando ait, In nomine procuratoris, intelligit præfata Synodus, quēlibet Eccleſiaſticarū rerum adminiſtratorem, vt v. g. Præpoſitum, œconomum, vicedominum: Defenſoris nomine aduocatū, ſiue caſaldū, & iudicē, &c. Eſt enim ſpecies mali huiuſmodi vēdere: Et cū ab omni ſpecie mali abſtinendū ſit, ſecundum apoſtolicā doctrinā, maximè Eccleſiaſticis, rectè prohibet Eccleſia

ſub pœnis ſimoniæ huiuſmodi officia vendere, more aliarum rerum temporalium, quæ maximè ab Eccleſia, & Eccleſiaſticis miniſterijs dependent.

Quarta Concluſio. Simonia eſt iure diuino prohibita, vendere, aut emere ea, quæ habent ex diſpoſitione iuris humani, quod ſint ſpiritualia, vt vendere calicem, ornamenta Eccleſiæ, aquam benedictam, &c. quantum ad id quod eſt ſpirituale: Dictũ eſt, quantum ad id quod eſt ſpirituale. Quia ob Eccleſiæ neceſſitatem poſſunt huiuſmodi vendi, quantum ad temporale, modo non carius vendatur ob conſecrationem, vel benedictionem. Non debent tamen vendi niſi alteri Eccleſiæ ad vſum ſacrum. Quando autem calix aut alia ornamenta vendenda forent ob inſtantem neceſſitatem laico, tum prius eſſent confringenda, & in aliam formam mutanda, vt communiter ſentiunt DD. S. Thom. in 4. d. 25. Rich. Quodlib. 2. q. 22. Angel. in verb. ſimonia. 2. num. 23. Sylu. in eod. verb. q. 12. Summa Piſanella in eod. verb. Et alij paſſim alibi. Si tamen laicus ſacra vaſa emeret ad vſum ſacrum, non eſſent confringenda, ſed in ſua integritate relinquenda, vt etiam Sylu. ſatis indicat. Concluſionem tradunt Victoria, Sotus, Petrus de Aragon. & alij recentiores Theologi, & hoc modo oſtenditur. Licet iure humano inductum ſit, vt vaſa ſacra, ornamentaque benedicantur, tamen poſtquam benedicta ſunt, & dedi-

edicata diuinis vſibus, ius diuinum, & na-
iralé vetat, ne vendantur, quantum ad id,
uod ſpirituale eſt,quandoquidem ſpirituale,
iatenus tale, non cadit ſub æſtimationem
imanam: & ita diuino, naturaliq; iuri repu-
iat ſpiritualis rei venditio.

Quinta Concluſio. Datur aliqua ſimonia,
iæ tantum iure poſitiuo ab Eccleſia eſt pro-
bita.Hanc communiter etiam docent DD.
c forte diſſentit Durand. qui vult non dari
noniam propriè dictam,& definitam ſupra,
iæ ſit tantum prohibita iure poſitiuo: at illa
nonia quæ tantum eſt iure poſitiuo indu-
ı,non eſt propriè ſimonia definita commu-
ter à DD.vt Sotus, Petrus de Aragon. Gre-
r. de Valent. & alij recentiores Theologi
notarunt. Sunt autem eæ ſimoniæ de iure
ıtum poſitiuo, quæ committuntur in em-
one & venditione officiorum temporali-
ı Eccleſiaſticorum,de quibus ſupra in con-
ıſ.3.Item eæ,quę fiunt in commutationibus
neficiorum alias licitis,ſine tamen authori-
e Pontificis,aut Epiſcopi, alteriuſque Præ-
i, ad quem de iure, aut conſuetudine ſpe-
ıt auctoritatem, conſenſumque præbere.
uando enim ſpirituale pro ſpirituali com-
ıtatur, non eſt propriè ſimonia, vt ex defi-
ione perſpectum eſt: quandoquidem nul-
n temporale pretium interuenit. Eſt ta-
en prohibitum ab Eccleſia tanquam ſimo-
ıcum, vt patet c. Quæſitum. de rerum per-

Digitized by Google

mut. de qua re latius infra. cap. Cum eſſent, quando agetur de ſimonia in permutationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum. Item renunciationes beneficiorum alias licitæ, cum nihil temporale intercedat, prohibitæ tamen ab Eccleſia, vt ego renuncio beneficium in fauorem Ioannis, vt Ioannes, quod poſſidet, reſignet alteri, &c.

Decimum tertium Notab. Simonia eſt crimen merè Eccleſiaſticum. Gloſ. in c. Cum ſit generale. in fine de foro competēti, quam ſequuntur communiter DD. ſecundum Ioannem ab Anania infra. in cap. 1. Iul. Clarum lib. 5. ſentent. §. ſimonia. num. 7. Hinc Iudex ſecularis non poteſt inquirere, aut cognoſcere in hoc crimine.

Decimum quartum Notab. Simonia eſt triplex, Mentalis, Conuentionalis, & Realis, Mentalis eſt, quæ ſola mente concipitur ſine pacto tacito, vel expreſſo: Et hæc eſt duplex: Purè mentalis, quando nec actum habet, nec procedit in actum exteriorem, ſed tantum in mente conſiſtit & voluntate, vt exempli gratia, cupit, deſiderat, & vult quis emere aliquod pingue beneficium Eccleſiaſticum, ſed non poteſt opere adimplere, vtpote, quia non eſt qui vendat, tunc talis committit peccatum ſimoniæ purè mentalis, & mortaliter delinquit: Altera non purè mentalis, quæ exit in actum, nullum tamen intercedit pactum tacitum, aut expreſſum, Exempli gratia,

tia, N. habet nominationem alicuius Canonicatus, concurrunt duo in petitione, B. pauper, qui alioquin eſt dignior, nil tamen ſperandum ab eo: & C. diuitis, & ambientis filius: N. non vult ſine temporali commodo aliquem nominare; nominat quidem C. diuitis filium, quem non nominaret, niſi ſperaretur, quod aliquo bono temporario reſponderet pro nominatione: interim tamen, ne infamia ſimoniæ notetur bonis viris, nullum pactum exterius exprimit: hic non eſt purè mentalis, cum voluntatem deprauatam opus ſequatur. Conuentionalis eſt, quando fit in actu interueniente pacto, tacito, vel expreſſo per ſigna, aut alium modum. Et hæc etiam duplex eſt, Purè conuentionalis, quando tantum fit conuentio, nihil tamen datur, aut accipitur. Non purè conuentionalis, quando præter pactum ex vna tantum parte aliquid datur, aut accipitur: Qua de cauſa dici poſſet ſemirealis, cum tantum ex altera parte aliquid datur, aut accipitur. Ex his intelligi poſſunt tres illi gradus ſimoniæ mentalis, quos conſtituit Caiet. in ſumma. V. ſimonia, quorum primus eſt, qui conſiſtit in ſolo actu interiori, & nihil eſt aliud quam deliberata voluntas emendi, vel vendendi rem ſpiritualem, quam purè mentalem ſupra diximus. Secundus, quando exterius imperata, & ad opus deducta, praua tamen intentione,

 inte-

interius latente, quam vocauimus non purè mentalem. Tertius, quando pactum intercedit, ſed non mandatur executioni, vtpote conueniunt duo ſuper beneficio curato, poſtea pœnitentia ducti, aut impotentia, aliáue cauſa impediti, recedunt à pacto: & hæc eſt nunc à nobis nominata purè conuentionalis, & quamuis ſit exterior ſimonia, tamen, quantum ad pœnas cenſurarum, inter mentales refertur. Realis ſimonia eſt, quando intercedente pacto tacito, vel expreſſo ſpirituale traditur, & temporale accipitur. Vt A conuenit cum B. vt ei nominationem beneficij conferat pro 2000. Regijs, aut Imperialibus daleris, prout fieri ſine pudore in aliquibus Cathedralibus Eccleſijs pinguibus aliquando à viris fide dignis intellexi. A nominat B. qui etiam ſtatim facta nominatione, & accepta præbendæ poſſeſſione numerat in præſenti pecuniam 2000. dalerorum. Similiter etiam realis eſt, etſi non totum pretium ſtatim ſoluatur, modo aliqua pars numeretur, vtpote B debet A nominanti ex conuentione ſoluere 2000. & de præſenti non habet, niſi 100. quos ad computum dat, facta fide de vlteriori ſolutione ad terminum. Statim perſolutis tantum illis centum, fit realis, & conſummata ſimonia, quæ ſubiacet pœnis ſimoniacorum à iure ſtatutis. Porrò inter has tres ſpecies ſimoniæ is eſt ordo, vt omnis ſimonia realis, ſit conuentionalis etiam, & mentalis; non tamen

men è contrario oportet omnem ſimoniam mentalem eſſe conuentionalem, neq; omnem conuentionalem eſſe realem. Dubium hic eſſe poteſt. An ſit ſimonia realis ſubiacens cenſuris, ſi quis accipiat ſpirituale, & tradat inſtrumentum pretij ſoluendi ad certum terminum, ſine animo tamen adimplendi, quod promittit, quam doloſam vocant, ſiue realem, ſiue mentalem. Nauarr. in manuali. cap. 23. num. 106. affirmat. Negant Caiet. tract. de ſimonia. q. 2. & Soto de iure & iuſt. lib. 9. q. 8. art. 1. quorum ſententiam veriorem eſſe arbitramur, vt optimè Valent. in 22. q. 100. art. 4. oſtendit.

Decimumquintum Notab. Variæ ſunt pœnæ ſimoniacorum in iure Canonico. Prima eſt ſpiritualium reſignatio, & temporalium perceptorum reſtitutio. 1. q. 1. can. Si quis Epiſcopus. & can. Præſbyterum. & cap. De hoc. & cap. Audiuimus infra hic cit. & Extrauag. 2. de ſimonia, & hæc eſt communis ſententia Theologorum, Summiſtarum, & Iuriſperitorum, quantũ ad realem ſimoniam. Ratio eſt. Quia nullus ſimoniacus realis aliquod acquirit ius in eo, quod acquirit per ſimoniã: Cum omnis collatio, præſentatio, electio, aut quæuis alia diſpoſitio ſimoniaca ſit nulla, viribuſque careat per allegata iura, & communem tam Theologorum, quam Iuriſperitorum ſententiam: ſic nec beneficij titulum validum in beneficio habet, nec fructus ſuos facit.

S.Thom.2.2.q.100. art.6.ad 3. & Commentatores eius ibidem. Felin. in cap. Simoniacè. num.6. & c.Inſinuatum. num.5. Decius conſil. 118. col. 1. Boërius in deciſ. 117. Rebuffus in praxi benef. in tit. de ſimonia. num. 7. Nauar.in releꝗ.cap.Si quando de reſcript. Exceptione 4.num.4. & communiter DD. Atque ex hoc fundamento procedit, quod ſimoniaco ſpoliato non reſtituitur. tit. nec poſſeſſio. Nemo autem, qui non poſſedit, reſtituitur. Caſſad.in deciſ.2.de ſimonia. Corſetus in reg. ſpoliatus. in 21. limitatione. Et poſt alios Antonius Gabrælius Roman. lib. 5. concluſ. 1. num.194.in tit.de reſtit.ſpoliat.Ludouic.Gomez. in reg. de triennali poſſeſſ. q. 12. Nauarr. loco cit. Quandoquidem prouiſionem nullam, nullus ſequitur effectus. An autem omnis ſimonia, & quomodo obliget ad reſtitutionem, diuino fauente auxilio, latè infra pertractabitur ſuper cap. finali huius tit.

Secunda pœna eſt excommunicatio, quæ ipſo iure incurritur, & ipſo facto, quamprimum aliquis ſimoniam realem commiſerit in ordine, aut beneficio, per extrauag. Pauli II. eod. tit. & cap. Reperiuntur. 1. q. 1. Et hæc eſt etiam communis doctrina Theologorum, Summiſtarum, & Canoniſtarum. Eidem excommunicationi ſubiacent mediatores, & promotores ſimoniæ in ordine, & beneficio. ex ead. extrauag. & communi omnium ſententia. Non tamen excommunicantur in d. extrauag. alij ſimo-

ſimoniaci, quã in ordine, & beneficio. Quod autem ibidem additur in prædicta bulla propè finem. verſic. Et vt huiuſmodi labes, &c. de ſcientibus, & non reuelantibus his verbis. Et vt huiuſmodi labis contagio frequentius reprimatur, omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis, ſæcularibuſque perſonis, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint: in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius iniungimus, vt eos omnes, quos ſimoniam huiuſmodi commiſiſſe, vel procuraſſe, aut in ea mediatores eſſe ſciuerint, pontifici prædicto, vel cui idem pontifex duxerit committendum, per ſe, vel alios reuelare quantocius non omittant, &c. Quod ſi non fecerint, abſolui non valeant, donec prędicta reuelent, & complices huiuſmodi detecti, arctius puniantur. Sic in d. Extrauag. Hæc pars non ligat, nec recepta fuit, niſi quantum ad eos, qui in curia Romana viuunt, vt atteſtantur Syluest. in verb. Excommunicatio. 7. Excommunicatione 43. & poſt eum Nauar. in Manual. confeſſar. cap. 27. num. 106. Didac. Couarr. in c. Peccatum. de reg. iuris. part. 2. §. 8. num. 7. & alij alibi. Quia aliter, vt ait Syluest. valdè irrationabilis conſtitutio fuiſſet, quod vellet pauperes ab extremis terræ adire curiam pro defendenda ſimonia. Imo nunc omnino locum non habet etiam in curia talis conſtitutionis pars extrema, ſecundum S. Antonin. in 3. part. titu. 24. cap. 66. Angel. in verb. ſimo-

ſimonia 6.num.10.Sylueſt. loco cit.& in verb. ſimonia. q. 19. Nauar.& Couar. loc.cit. Caietan. in verb.Excommunicatio. Auream Armillam in eod. verb. Excommunicatione 59. & alios alibi. Hoc tamen obſeruandum, quod d. Extrauag. Pauli II, nō videatur excommunicare non reuelantes, ſed tantum ſub obedientia mandare, vt ſatis innuit Nauar. & ex verb. allatis liquidum eſt, quamuis aliqui hoc ei attribuant: Verum tamen eſt, quod antiquiores Pontifices, totam illam materiam cenſurarum,& pœnarum, tam in ſimoniacos, quam mediatores antea conſtituerunt, & etiam non reuelantes in curia excommunicarunt. vt Martin. V. in Concil. Conſtantienſi in Extrauag. incipienti. Multæ, vt meminerunt Summa Piſanella in verb.ſimonia.7.Angel.in eod. verb. 6. num.9. S.Antonin. & Syl-ueſt.loco cit.Felin.in cap.de cætero.col.fin.de re iudic. Rochus Curt. de iure patronatus. verb.Et vtile.q.3. & alij alibi. Et idem Martin. in alia extrauag.incip. Damnabile: data Mantuæ, Anno 2. ſui Pontificatus, vt referunt Summa Piſanella,& Angel.& Eugenius IIII. in alia extrauag. incip. Cum deteſtabile. Martini V. veſtigijs inhæſit in hac re, referentibus eiſdem Doctoribus: qui etiam verba extrauagantium pro maxima parte inſerunt. Sed, vt dictum eſt, particula illa, quantum ad non reuelantes, in curia abrogata eſt; nec vllibi nunc recepta eſt. Meminit etiam Angel.Paulum

n Secund. in proceſſu, quem in die Iouis
cto fecit, quemque nos appellamus Cœnæ
omini, excommunicaſſe omnes ſimonia-
:, tam in ordine, quam beneficio, cum re-
uatione abſolutionis. Circa autem excom-
nicationem hanc, quę incurritur ob ſimo-
m in ordine, aut beneficio pro altiori rei
elligentia, longius aliqua ſunt obſeruanda.
Primum. Eiuſdem abſolutionem eſſe reſer-
tam Pontifici, aut alteri fungenti poteſtate
ntificis, præterquam in articulo mortis, vt
preſsè habet d. extrauag. Pauli II. quæ eſt ſe-
nda inter communes in tit. de ſimonia: ibi,
tuentes præterea, quod vniuerſi, & ſinguli,
iam præmiſſis dignitatibus pręditi, qui quo-
odolibet dando, vel recipiendo ſimoniam
mmiſerint, aut, quod illa fiat, mediatores
titerint, ſeu procurauerint, ſententiam ex-
mmunicationis incurrant, à qua niſi à Ro-
ano Pontifice pro tempore exiſtente non
oſſint abſolui, præterquam in articulo mor-
s conſtituti: ſic in d. conſtitutione, & ſic
ommuniter ſentiunt etiam DD. Et hæc con-
itutio Pauli II. eſt noſtris etiam temporibus
onfirmata, quantum ad ſimoniacos in ordi-
e & beneficio, nec non mediatores à Pio
Quinto fœliciſſimæ memoriæ Pontifice in
xtrauag. incip. Cum primum. §. Et vt ſimo-
iacæ prauitatis.

Secundum. Comprehenditur ſub hac ex-
communicatione ſimoniacus in ordine, &
benefi-

beneficio tam occultus, quam manifeſtus, vt patet in d. conſtitutione Pauli Veneti II. ibi: quauis Eccleſiaſtica, ſeu mundana dignitatibus præfulgeant, & eorum quemlibet, tam manifeſtum, quàm occultum, &c. & ſic communiter ſentiunt DD.

Tertium. Vt quis hanc incurrat ſimoniam, neceſſarium eſt, vt ſit realis, & ex vtraque parte completa, id eſt, vt ſpirituale ſit traditum, & temporale pro parte, aut toto acceptum: & ſic non ſufficit ad incurrendum hanc excommunicationem, quod ſpirituale tantum ſit traditum, & temporale promiſſum, vt poſt Guilhelmum Caſſiodor. in deciſ. 5. de conſtitut. & Ludouicum Gomezium in reg. de triennali poſſeſſore. quæſt. 12. ſentiunt Martinus Nauarrus in cap. Si quando. de reſcriptis. exceptione 4. Petrus à Nauarra libr. de reſtitut. 2. capite 2. à num. 426. quamuis de rigore Iuris exiſtimet aliam veriorem. Aurea Armilla in verb. Simonia. numero 4. Coſmus Philiarchus de officio ſacerdotis. tom. 2. libro 6. capite 16. & in hac ſententia eſt etiam Dominicus à Soto, quamuis alij aliud eundem ſentire exiſtiment, vt etiam Petrus à Nauarr. meminit. Nam 9. de iuſtit. & iure. quæſt. 8. art. 1. poſt diſtinctionem ſimoniæ, proponens dubium, vtrum ſicut contingit ſimonia mentalis abſque reali: ita vice verſa contingere poſſit realis abſque mentali. Poſtea loquitur ad propoſitum, Dicendum reue-

reuera non eſſe ſimoniam, neque in foro conſcientiæ præbenda donatum teneri eam relinquere, vt Caietan. ait, Eccleſia tamen certior ea de re facta, quia de exterioribus iudicat legitima præſumptione eum condemnaret. Didac. Couarr. in dicto cap. Peccatum. part. 2. §. 8. num. 7. non longè ab initio. Paul. Pariſ. lib. 4. conſil. 30. Henricus Henriquez Doctor Societatis IESV, & profeſſor Theologiæ Salmanticæ. tom. 1. moralis Theologiæ, lib. 13. cap. 37. num. 3. qui alios plures, vtriuſque facultatis pro hac ſententia etiam adducit: & hæc ſine dubio nunc eſt communior, & receptior ſententia. Quamuis quando Nauarr. ſcripſit Commentarium d. cap. Si quando, confeſſus ſit, quod aduerſæ parti ferè omnes ſcriptores adhæſerint. Porrò pro noſtra hac doctrina, quod excommunicatio hæc Pauli II. non incurratur, niſi ex ſimonia reali completa, eſt interpretatio Curiæ Romanæ, & prætorij Rotæ, vt poſt Caſſad. in dicta deciſ. 5. de conſtitut. & in deciſ. 2. de ſimonia. Nauarr. loco cit. & alij quidam teſtimonium perhibent. Pœnæ enim niſi ratio, & iura aliud ſtatuant, non ſunt ampliandæ, ſed potius reſtringendæ. Vnde pœnæ ſtatutæ in dicta extrauag. 2. intelligendæ ſunt de ſimonia reali, & completa vtrinque, & ſic Caſſador. ac Nauarr. (vt hoc pro conſolatione aliquorum Deum adhuc timentium, qui tamen quandoque

in rete

Digitized by Google

in rete diaboli cadunt, addam) exiſtimant, hanc interpretationem à tempore conditoris natam, propter periculum animarum, quod contraria inducit, quæ dura nimis eſt, & ita animabus valdè periculoſa, per quam, prô dolor, innumeri excommunicati iudicādi erunt, & titulis beneficiorum ſuorum vacui: Et quia vtilia quotidiana, & practica. Nauarr. in d. except. 4. num. 3. & 4. ad propoſitum adfert, libet ſua verba hic aſſcribere. Quam quidem, ait, deciſionem, vt doleo, tardius, quam vellem vulgatam fuiſſe à Caſſad. viro Romanarum rerum peritiſſimo, ita gaudeo, eam affirmari etiam à Gomezio, viro varia eruditione illuſtri, in illa quæſtione vtiliſſima, quam duodecimo loco diſputauit ſuper regula de triennali poſſeſſore. Nec parum lætor, quod ipſe quoque (vt arbitror) anſa ero piæ conſolationis multorum Deum timentium ex animo, quos partim ſcio, partim audio grauiſſimis ſcrupulis angi, tum ob titulorum ſuorum nullitatem, tum ob excommunicationem, tum ob irregularitatem per celebrationem diuinorum contractam, tum ob fructuum perceptorum reſtitutionem. Quæ tamen omnia ceſſant ſecundum hanc auream deciſionem, à pijs omnibus mea ſententia laudandam, ob ea fundamenta, & contrariorum ſolutiones, quæ prædictus Caſſador. in præfata 5. deciſ. diligēter, ac doctè ſcripſit. Quare omnes Chriſti fideles etiam, atque etiam dehortor,

hortor, primum ab omni ſimonia circa ordines, & beneficia, præſertim committenda, tanquam ab horrendo quodam monſtro, ſiue illa ſit mentalis tantum, ſiue mentalis & conuentionalis, ſiue etiam realis, propter ea, quæ leguntur, & notantur in c. Tanta. infra. de ſimonia. & cap.fin. 1. q. 7. Eos autem quibus vel per ignorantiam non probabilem, ſiue vincibilem, vt Theologi loquuntur, cupiditatem, ambitionem, vel aliam humanam fragilitatem, vel etiam malitiam ea inquinari, polluiúe contigit circa ordines, vel beneficia, hortor, vt circumſpiciant, num ad dationem, vel receptionem rerum promiſſarum fuerit proceſſum. Quo caſu ſciant ſe ſententiam excommunicationis incurriſſe, & ſi ante abſolutionem celebrauerint, irregularitatem contraxiſſe à Summo ſolum Pontifice delebilem, & nihil iuris in beneficijs, quæ per eam adepti ſunt, quæſijſſe, & ad fructus reſtituendos obligatos eſſe, per præ citatam ſecundam Pauli extrauag.tit.de ſimonia: quę planè communis eſt omnium interpretatio, &c. Si autem ad promiſſorum dationem, & receptionem non eſt proceſſum, ſed ſola mente conceptum eſt propoſitum de committenda ſimonia; vel etiam ad verba, pacta, & conuentionem deuentum: pœniteat quidem eos ex animo, quod Deum mortiferè offenderint, at non angantur ſcrupulis excommunicationis, non item irregularitatis, non tituli nullitatis,

non reſtituendorum perceptorum fructuum neceſſitatis. Hæc Nauarr.

Quartum. Qui acquiſiuit ordinem vel beneficium per ſimoniam verè realem ab alijs, vt parentibus, fratribus, aut propinquis commiſſam ſe ignorante, non incurrit hanc excommunicationem, vt communiter DD. ſentiunt, & ſatis probatur ex cap. De ſimoniacè. Et cap. De regularibus infra hoc titu. His accedit ratio demonſtratiua in iure. Excommunicatio maior nunquam incurritur, niſi propter peccatum mortale, & contumaciam. cap. Nullus. & cap. Nemo. 11. q. 3. cap. ſacro. de ſentent. excommunicat. & cap. Romana. §. caueant. eod. tit. lib. 6. Atque ita regula eſt firma tradita à Paludano. in 4. d. 18. q. 1. art. 2. & communiter recepta, quam etiam conſolationis pleniſſimam tradit Nauarr. quod nemo incurrit excommunicationē latam à Canone generali, vel particulari, niſi mortaliter peccet. At is, qui ignorat ab alijs commiſſam ſimoniam, reſpectu ordinis à ſe accepti, aut beneficij collati non peccat peccato ſimoniæ, vt euidentiſſimum eſt ex definitione ſimonię, quę eſt voluntas ſtudioſa emendi, vel vendendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Quis autem dixerit ſtudioſam eſſe voluntatem in ignorante? Cum ergo talis ignorans non committat ſimoniam: quandoquidem cui non competit definitio, nec definitum competere poteſt, nullo modo poteſt incurrere excommu-

communicationem latam à Pontificibus in ſimoniacos.

Quintum. Hac excommunicatione Pauli II. in d. extrauag. nullus ſimoniacus eſt excommunicatus præter eum, qui incurrit ſimoniam in ordine, vel beneficio, vt rectè annotarunt Sylueſt. verb. ſimonia. q. 19. Nauarr. in Manuali confeſſar. cap. 23. num. 111. ad 14. verſ. ſeptimo quod nullus: & communiter alij DD. Rationem huius reddit Nauarr. Quia nullo iure antiquo vllus ſimoniacus ipſo iure eſt excommunicatus. per prædicta; & ius nouum prædictæ extrauagantis Pij IIII. quæ incipit. Intolerabilis: ſolum excommunicat ipſo iure ſimoniacũ in ordine, & beneficio. Nam verba ipſius (In officijs Eccleſiaſticis) intelligenda ſunt de officijs, quæ ſunt beneficia, vt in c. de multa. de præbend. & in c. cum acceſſiſſent. de conſtitut. Hinc ſi Epiſcopus in conſecratione Eccleſiæ, aut ſacerdotes in benedictione nubentium ſimoniam committerent, nõ inciderent in excõmunicationem d. conſtit. Nomine aũt beneficij intelligimus tã regularia, quã ſęcularia, tam ſimplicia, quam curata dignitates, perſonatus, officia Eccleſiaſtica quæuis, &c. vt ex d. Pauli II. cõſtit. apertum eſt. Item nomine beneficij intelligũtur à Sylu. V. Excommunicatio. 7. Excom. 42. Electiones, poſtulationes, confirmationes, & quæuis prouiſiones Eccleſiarũ, Monaſteriorũ, Dignitatum, Perſonatuũ, & officiorum. Per officia

autem Eccleſiaſtica intelliguntur ea, quæ ſunt beneficia, vt in cap. de multa. de præbend. & in cap. Cum acceſſiſſent. de conſtitut. Nauarr. loco cit. Hoc loco dubium ſe offert. An permutantes ſua beneficia propria auctoritate, ſine beneplacito Papæ, aut abſque conſenſu ſuperioris, cuius de iure, vel conſuetudine conſenſus requiritur, ſint excommunicati dicta excommunicatione, & incidant in alias pœnas. d. extrauag. Pauli II. Idem quæſitum eſſe poteſt de reſeruantibus ſibi penſionem ſine Papæ auctoritate, & approbatione. Difficultatem hæc faciunt. Primo pro affirmante parte, quod in d. extrauag. pœnæ, & cenſuræ fulminantur contra ſimoniacos: ſimoniaci autem iure cenſentur, qui ſine licentia ſuperioris permutant vnum ſpirituale pro alio, & beneficium pro beneficio. cap. Quæſitum. de rerum permut. vbi ſic habetur. Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de iure fieri non poſſunt, præſertim cum pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus labem continent ſemper ſimoniæ. Si ergo ſic permutantes ſimoniaci in iure cenſentur, ſequitur quod comprehendantur in d. conſtit. Pauli II. & hæc videtur communis ſententia DD. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. cap. 2. num. 436. & Petr. de Aragon. profeſſor Theolog. Salmanticenſis in 2. 2. S. Thomæ. q. 100. art. 6. exiſtimant prædictos non eſſe excommunicatos, nec incurre-

currere pœnas d.conſtitut. Alium neminem vidi pro hac ſententia. Ratio mouens hos DD.eſt. Quia nullum eſt ius,quod de hoc genere ſimoniæ loquitur, ſcilicet de beneficiorum permutatione, vel vnius rei ſpiritualis pro alia, quod habeat aliquam pœnam ipſo facto annexam. Non cap. Cum olim. De rerum permutat.quod loquitur de permutantibus beneficia, cum ſolam habeat pœnam priuationis beneficiorum ferendam, & nullam excommunicationis. Non cap. Cum pridem. de pactis, & cap. Cum eſſet. c. Tanta.c.de hoc autem. & ſimilia.infra de ſimonia. Quandoquidem iſta omnia loquuntur de pœna ferenda. Imò etiam loquuntur de ſimonia propriè,& ſtrictè accepta,quando ſcilicet aliquod temporale bonum accipitur pro ſpirituali. Quod nō fit in permutatione beneficiorum. Nec etiam obſtant extrauagantes Martini V. Pauli II. & aliorum, de quibus ſupra dictum eſt. Nam illæ conſtitutiones nihil aliud dicunt,quam quod ſimoniaci illas pœnas inſertas, vt excommunicationem, &c. ipſo facto incurrant. Vnde non debent extendi ad permutantes beneficia. Eſt enim materia pœnarum, & quidem grauium. Ideoque vocabula reſtringenda, vt in propria,& ſtricta ſignificatione accipiantur: conſtat autem ſimoniam propriè, & ſtrictè acceptam eſſe emptionem, & venditionem rei ſpiritualis pro temporali: Quæ ſimonia in permutatione beneficiorum

propria auctoritate facta non inuenitur. Atque ſic patet, quod permutantes, vel penſionem reſeruantes, aut quouis modo alio conuentionem in ſpiritualibus rebus exequentes, in iure ſimoniaci appellantur, non ſtrictè, ſed extenſiuè. Vnde quando agitur de pœnis in d. extrauag. non includuntur prædicti DD. pro ſua ſententia etiam allegant Didac. Couar. lib. 1. variar. reſolut. cap. 5. num. 3. in fine, & num. 5. & Nauar. in manuali confeſſariorum. cap. 23. num. 105. in fine, dum docent, renunciantem beneficium cum pacto, vt alteri conferatur, non perdere ipſo iure illud beneficium, quamuis poſſit priuari. Et docent Couar. renunciationem beneficij factam apud inferiorem prælatum ea conditione, vt Titio eius collatio fiat, non eſſe ſimoniacam, ſi propriè, quid ſit ſimonia intelligatur, quia nihil temporale in pretium ſpiritualis datur, vel accipitur. Ex dictis & ſimilibus eliciunt pro ſua ſententia Didac. & Nauarr. eſſe. Pro cuius ſententiæ confirmatione adduco, quod propter conditiones & pactiones illicitas, modo non contineant veram, & puram ſimoniam, etiam dato, quod ſaperent ſimoniam, non eſt quis beneficio priuandus, quæ eſt communis opinio, vt poſt Pariſ. conſil. 29. num. 19. lib. 4. teſtis eſt Iulius Clarus lib. 5. §. ſimonia. num. 10. De rigore iuris puto, quod illa ſententia poſſit diſputatiuè defendi; an autem obtineret in praxi, relinquo

eius

eius iudicio, & cenſuræ, cuius eſt obſcura definire, & dubia reſoluere, quantum ad certitudinem in rebus pertinentibus ad fidem, & mores.

Sextum. Hanc excommunicationem, aliaſque cenſuras in extrauag. incurrunt omnes, & quicunque ſimoniaci in ordine, & beneficio, nec aliquis eximitur ſiue Eccleſiaſticus, ſiue ſęcularis, ſiue vir, ſiue fœmina, vt patet ex verbis extrauag. d. 2. de ſimonia. ibi. Et illos, qui cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint: etiamſi Cardinalatus, Patriarchali, Epiſcopali, regali, reginali, vel alia quauis dignitate Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeat, & eorum quemlibet tam manifeſtum, quam occultum.

Septimum. Mediatores ſimoniæ in d. extrauag. ſi ſolum mediatores ſint, non incidunt in alias pœnas iſtius extrauag. præterquam excommunicationem, vt patet ex text. Nec ſunt Canones præterea, qui excommunicent mediatores, ſed tantum committentes ſimoniam & ſimoniacos, & prędicta extrauag. extendens illam ad mediatorem, ſignificat Canones, qui expreſsè non puniunt mediatores, non extendi ad eos. arg. c. præſenti. 1. §. loca. de præbend. in 6. vt tradit Martin. Nauarr. part. 2. conſil. in titu. de ſimonia. conſilio 59. Additum eſt. (Si ſolum mediatores ſint) Quia ſi acciperent pecuniam, aut quod-

cunque temporale pretio æſtimabile, ad promouendam, aut excitandam emptionem beneficij Eccleſiaſtici, aut ad corrumpendos electores in ſuffragijs in fauorem alicuius, iam non puri eſſent mediatores, ſed etiam ſimoniam committerent. Ad hoc enim, vt quis dicatur mediator ſimoniæ, non requiritur, quod ipſe ob eam aliquid percipiat, ſed ſatis eſt, vt mediator ſit, vt illa fiat iuxta extrau. d. prout etiam Nauarr. in princip. d. conſ. docet.

Octauum. Simonia etiam commiſſa pro ingreſſu in religionem excommunicat, non tamen per dictas extrauag. ſed aliam quæ eſt 1. inter communes de ſimonia in 5. & incipit Sane ne in vinea.

Tertia pœna. Simoniacus in ordine eſt ipſo iure ſuſpenſus. ex d. extrauag. 2. de ſimonia. & cap. Tanta. infra. eod. Et Innocent. in d. cap. Tanta. Nauarr. in manual. confeſſ. cap. 23. nu. 111. verſic. Dico 2. & verſic. Dico 3. contra D. Thomam. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 1. Caietan. ibid. Sotum lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 8. art. 2. Panor. in d. cap. Tanta, & alios quoſdam, qui dicunt ſimoniacum in beneficio non eſſe ipſo iure ſuſpenſum. Ratio. Quia hoc neque iure nouo, neq; antiquo cautũ. Vnde ſimoniacus realis in ordine eget abſolutione, tam ab excommunicatione, quàm à ſuſpenſione: ſimoniacus verò in beneficio tantum ab excommunicatione. A qua abſolutus, & acta pœnitentia, relicto beneficio per ſimoniam acquiſito po-

to poteſt celebrare, vt Innocentius tradit.

Quarta pœna ſimoniaci. Quando iudicialiter conſtat, incurrit infamiam, & punitur depoſitione. cap. Sanè, 5.q.1. & cap. inquiſitionis. de accuſat. DD. ibid. Angel. & Summiſtæ communiter in verb. ſimonia.

Quinta pœna eſſe poteſt arbitraria iudici, pro qualitate rei, perſonæ, & criminis quantitate. Ioann.ab Anania.hìc in Rub. Bald.in l.Eos.ff. de tutelis. Boërius in deciſ.117. incip. Præſuppono primo, quod impetrans.num.3. Menochius de arbit. iudic. quæſt. lib. 2. caſ. 401. prope finem, & alij ab eo allegati.

Vltima & omnium grauiſſima ſimonię pœna eſt, ignis inferni. Iuxta illud. Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius. & aliud Act. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Ratio eſt. Quia omnis ſimonia eſt peccatum mortale, vt ſupra probatum eſt: peccati autem mortalis, quod digna, ſalutariq; pœnitentia non deletur, pœna eſt perpetuus ignis inferni.

Decimum ſextum Notabile. Quædam eſt ſpecies ſimoniacæ prauitatis, quam beneficiorum confidentiam vocant, cuius mentio non fit in canonibus, & antiquioribus Pontificum conſtitutionibus, ſed eius meminerunt noſtris temporibus fœliciſſimæ memoriæ PP. Pius IIII. in bulla edita anno Domini 1564. 17. Calend. Nouemb. Pontificatus ſui Anno quinto, cui titulus præfigitur: Contra quoſ-

cunque in confidentiam recipientes, vel retinentes Eccleſias, & beneficia Eccleſiaſtica: atque ſic bulla incipit: Romanum Pontificem in excelſa militãtis Eccleſiæ ſpecula conſtitutum,&c.& eſt 109.in ordine ſuarum conſtitutionum in bullario. & Pius V. in alia de Anno 1568. die 5. Ianuarij. & in alia de Anno 1569. Calend. Iunij. cuius titulus ſummam materiæ contentæ paucis ſignificat, & eſt talis. De confidentijs beneficialibus, earumque caſibus, præſumptionibus,& probationibus, atque incipit; Intolerabilis: in qua omnia ferè, quæ ad beneficialem confidentiam ſpectant, continentur, & ſpeciatim ſatis explicantur. De intelligentia, & doctrina huius maximè extremæ bullæ editæ à Pio V. agunt Martinus Nauarr. in Manuali Confeſſar. cap. 23. à num. 109. vſque ad 111. Simon Maiolus Epiſcopus Vultuarienſis in tract. de irregularitatib. lib. 5. cap. 45. & poſt eum Ioſephus Maſcardus volum. 3. de probationib. concluſ. 1306. Sed vt incipiamus à deſcriptione. Beneficialis confidentia ea eſſe videtur, prout colligitur ex PP. conſtitutionibus, qua quis confidit, quod alter acceptans beneficium, ſibi poſtea vel alteri conferet, vel reſignabit. Confidit autem in alio velut amico, aut familiari, aut conſanguineo, vel ex pacto, vel ex alia quauis cauſa, ſeu occaſione. Melius autem confidentiæ natura cognoſcetur, ſi perſpectum fuerit, quæ cauſæ

cauſæ Pontifices mouerint ad edendum huiuſmodi conſtitutiones, & quibus modis confidentia committatur. Cauſæ prohibitionis fuerunt multi abuſus, qui contingebant tam in curia, quam extra, tam inter Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Prælatos, quam etiam inter alios Clericos, quibus abuſibus immaculata rerum diuinarum puritas impiè violabatur, diſciplinæ Ecſiaſticæ neruus dirumpebatur, & imminens, exitium animarum parabatur. Abuſus autem poſt initium bullarum Pij Quarti & Pij Quinti incip. Intolerabilis. Vnde de verbo ad verbum ſic enumerantur. Multi enim ipſa beneficia iure retinere nequeuntes, alij ne cogantur ad ſacros ordines, & ad reſidentiam, ad incedendum in habitu clericali, vt ad bellum proficiſcantur, vt inimicos occidant: alij vt alieno nomine lites tegant, aut defendant: quidam vt purgato delicto, vel abſolutione conſecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, & in pleriſque fructus ipſorum, aut eis miniſtrantur, aut quibus ipſi ſtatuunt, ſæpè laicis, & inhabilibus: plerique vel ſenes, vel infirmi, vt beneficia in ſuis domibus perpetuent, illa renunciarunt, & renunciant in alios, qui vel prophanam familiam cedentium de fructibus Eccleſiaſticis alant: vel illa etiamnum infantibus, aut naſcituris aſſeruent, facto interdum circuitu retroceſſionis,

cum

cum reſeruatione fructuum, & aliarum rerum, aut acceſſu, præſertim ab illis, qui præſtandorum iurium Cameræ Apoſtolicæ ſunt immunes. Alij aut incapaces, aut alijs beneficijs Eccleſiaſticis onuſti, aut Eccleſiaſtico ordini ſeſe mancipare refugientes, aut merè laici beneficia Eccleſiaſtica alijs conferenda procurant, vt de illis poſtmodum ad libitum ſuum diſponatur, fructus etiam percipientes illorum. Adhæc plerique ordinarij, & alij collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, vt fructus, ſeu penſiones capiant eorundem, alijſque faciant miniſtrari. Aliaque item permulta eiuſmodi admittuntur, quibus immaculata rerum diuinarum puritas impiè violatur, &c. Hæc Pius V. Modi autem quibus confidentiæ crimen vt plurimum committitur, colliguntur ex bullis à Maiolo Epiſcopo in d. cap. 45. & ponuntur à Maſcardo in d. concluſ. à num. 18.

Primus. Si quis reſignet beneficium alicui, paciſcendo de aliqua penſione, ſine Apoſtolico conſenſu.

Secundus. Si quis nolens promoueri ad ſacros ordines, vt requirit beneficium, vel nolens aſtringi ad habitum, & tonſuram, beneficium reſignet alicui, reſeruando fructus, vel penſiones ſine prædicto aſſenſu.

Tertius. Si quis ſtatuens ire ad bellum: aut vlciſci de hoſtibus ſuis, & ne ex delicto perpetrando vacare contingat beneficium, alteri deſignet,

ſignet, paciſcendo de fructibus, vel ſuper penſione ſibi, vel alij reſeruanda ſine conſenſu etiam prædicto.

Quartus. Si quis criminoſus, alioque modo irregularis beneficium reſignet, vt obtenta poſtea diſpenſatione ab irregularitate, idem beneficium repetat.

Quintus. Si quis beneficium quomodolibet reſignauerit, vt ſibi poſtea reſtituatur, vel ei, quem ipſe nominauerit.

Sextus. Si quis beneficium vacans impetrauerit, eo pacto, vt poſtea ad mandatum alicuius dimiſſurus ſit, vt alij conferatur.

Septimus. Si quis beneficium acceptauerit, vt cum infans, vel puer adoleuerit, in illum reſignet.

Octauus. Si quis poteſtatem habens conferendi, præſentandi, aut inſtituendi in beneficio contulerit, præſentauerit, inſtituerit, vt de fructibus aliquid ſibi vel alteri, cui voluerit, reſpondeatur.

Nonus. Si quis ex priuilegio non obligatus ad ſoluendum expeditionem Cameræ, vel Cancellariæ, faciat expediri bullas ſub nomine ſuo, vt euitet expenſas pro alio, qui in veritate eſt poſſeſſor beneficij futurus.

Decimus. Si quis ad effectum litis defendendæ ſuper beneficio, alicui petenti reſignauerit illud, vt obtenta victoria litis, alteri conferatur, & reſignetur, aut ſibi reſtituatur.

Vndecimus. Etſi nulla pactio, nulla conuentio de

tio de fructibus vel penſione interceſſerit per reſignantem, conferentem, inſtituentem, aut præſentantem cum ipſo recipiente, ſi tamen poſt perfectam reſignationem, vel prouiſionem ipſe reſignator, vel prouiſor, aut familia eius, aut propinqui, ſeu hæredes de facto colligant fructus, aut partem dicti beneficij, probatur confidentia.

Duodecimus. Idem eſt, ſi prouiſus de beneficio conſtituat procuratorem ipſum reſignantem, vel prouiſorem ad percipiendum, vel locandum fructus beneficij.

Decimus tertius. Idem eſt ſi prouiſus conſtituat procuratorem aliquem propinquum dicti reſignantis, vel prouiſoris, aut præſentantis.

Decimus quartus. Quomodolibet tertia perſona ſuppoſita ſit ad titulum beneficij, vel ad fructus, dicitur beneficium eſſe in depoſito, & confidentia.

Poſtremo ſupradictis omnibus caſibus committitur, confidentia non ſolum ex parte conferentis, & reſignantis, & præſentantis, ſed etiam mediatoris, & recipientis eo modo beneficium, vt ex Pontificum conſtitutionibus apertum eſt. Nec illud prætereundum eſt, quod omnes dicti confidentiæ modi intelligantur admiſſi etiam ſi crimen confidentiæ alterius tantum partis conſcientia admiſſum ſit. vt Pius Quintus declarat. Nunc de probationibus, & coniecturis agendum, ex quibus

quibus beneficialis confidentia præſumitur. Octo autem coniecturæ colliguntur ex dicta conſtitutione Intolerabilis.

Prima probatio intentionis etiam tantum vnius partis, quæ tangitur in conſtitut. ibid. verſu. Quare nos volentes periculoſam talium audaciam, &c. Vbi Pontifex declarat, vt ſi quis quacunque auctoritate Eccleſiam, vel monaſterium, aut aliud beneficium Eccleſiaſticum qualecunque ex reſignatione, vel ceſſione cuiuſcunque perſonæ ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu, etiam ſola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regreſſus, vel acceſſus, eidem dimittenti, vel alteri poſtea conferatur, aut illius fructus, vel eorum alij, vel alijs concedantur, vel penſiones ſoluantur, ex eiſdem hæc confidentia cenſeatur. In bulla ibi: aut illius fructus, vel eorum pars alij, vel alijs concedantur. Hic contigit error, aut incuria Typographi, aut vitio ſcriptoris: ſiquidem in omnibus exemplaribus hactenus impreſſis, quæ contigit videre, legitur (alij, vel alijs) legendum eſt autem pro (alij) illi (intellige dimittenti: de quo ſtatim antea dixerat) eidem dimittenti, vel alteri poſtea conferatur. Atque ſic habet exemplar primum manuſcriptum apud Datarium Summi Pontificis conſeruatum, vt teſtatur Maſcardus in dicta concluſione 1306.

1306. num. 4. qui poſt alium quendam innominati auctoris tractatum de confidentijs, quem dicit ſe in ſcriptis habuiſſe, necdum tamen impreſſum, ſic verba dictæ bullæ emendauit: cui ſanè lectioni antecedentia, & conſequentia d. conſtit. optimè conueniunt. Si enim legendum (alij, vel alijs) foret, ſequeretur, quod ſi eidem dimittenti fructus, vel penſio conferatur, non eſſet confidentia in ipſa conſtitutione damnata, ſed ſolum quando alij, vel alijs ſoluerentur. Quod tamen valdè alienum eſt à mente Pontificis, vt patet intuenti textum. Alias rationes pro hac emendata lectione Maſcardus ex dicto manuſcripto colligit à num. 4. vſque ad 8.

Secunda coniectura ad præſumendum confidentiam erit, ſi collator ita conferat, vel patronus præſentet, vt poſtea de beneficio, vel fructibus eius ſic, vel ſic diſponatur. Quæ coniectura in d. bulla Intolerabilis ibi ponitur. Itidem ſi ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium Eccleſiaſticum, quouis modo vacans, ea conditione tacita, vel expreſſa, vt poſtea in alterum pro arbitrio collatoris, &c. diſponatur, ſiue, vt de eo prouiſus fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius, relinquat, & remittat, &c.

Tertia. Si exemptus à ſolutione iurium Cameræ, beneficium acceptum per reſignationem

nem alicuius, etiam poſt literas expeditas, & poſſeſſionem acceptam, retroceſſerit in eundem, reſeruato ſibi aliquo infra ſpacium duorum, vel trium menſium: ibidem in bulla. Adhæc ſi clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius, à ſolutione iurium ipſius Cameræ, vel etiam cancellariæ apoſtolicæ exemptus, &c.

Quarta. Si abſolutus à crimine, vel irregularitate denuò accipiat beneficium, quod renunciauit ante vel poſt crimen commiſſum, aut incurſam irregularitatem: ibi: Poſtremo, ſi quis crimine aliquo abſolutus, aut cum quo ſuper irregularitate diſpenſatum eſt, &c.

Quinta. Quando quis poſt ceſſum beneficium publicata ceſſione, captaque poſſeſſione à ceſſionario, ſe in illud per ſe, aut alium ingerit, ac fructus, vel partem eorum accipit: aut ſucceſſor ipſi, vel propinquis eius alios fructus remiſerit: ibi: Ad probandum verò plenè confidentiarum abuſum, &c.

Sexta. Si prouiſus de beneficio conſtituerit eum, qui ipſum dimiſit, aut dimittentis parentes, aut fratres, alioſque propinquos, procuratores, aut prouiſores ad percipiendum vel locandum fructus beneficij dimiſſi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit. In bulla: ibi: Si recipiens beneficium conſtituerit dimittentem, &c.

Septima. Si vel ſola procuratoris depoſitione, vel libris rationalibus menſariorum ex parte dimittentis expeditio: quæ perſonam recipientis concernit, proſecuta ſit, ſimulq́ue expenſæ pro ea neceſſariæ ab illo factæ fuerint: in d. conſtit. ibi: ſi vel ſola procuratoris, &c.

Octaua & poſtrema præſumptio ad probandam confidentiam. Si quis pro conceſſione alicui facta, quacunque auctoritate de beneficio Eccleſiaſtico, per ſe, vel alium, ſeu alios interceſſiſſet, vel alias in negotio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto, etiam per manus poſſeſſoris, aut etiam ſimplicis donationis titulo perceperit, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſoris fuerit diſpoſitum quomodocunq́ue. in dicta extrauag. ibid. Denique ſi quis pro conceſſione, &c.

Poſthæc declarat Pontifex in dicta extrauag. de qualitate teſtium, & probatione iſtarum coniecturarum ſub his verbis. Teſtes autem de quacunque re ſingulares ſingulas probare valeant præſumptiones, & coniecturas, pluresq́ue huiuſmodi præſumptiones, & coniecturæ plenam probationem faciant in prædictis, Teſtes etiam criminoſi, alijq́ue inhabiles, qui in crimine ſimoniæ etiam admittuntur de iure: iuxta cap. Per tuas: infra, etiam in probatione confidentiæ, & coniecturarum

rum prædictarum admittendi ſunt. Notant Nauarr. & poſt eum Maſcard. quod vnaquæque harum coniecturarum ſola non ſufficiant ad plenam probationem. Nam durum videtur, quod prima, & octaua, & aliquot aliæ per ſe ſolæ ſufficiant. Vnde iudicis arbitrio id librandum. argum. l. 1. ff. de iure deliber. cap. de cauſis. §. 1. de offic. deleg. Atque hic caſus eſt, in quo quando non proſunt ſingula, multa iuuant. cap. literis. de præſumpt. & cap. cum cauſam. de probat. & l. Rationes. C. eodem titu. Quanquam Menochius lib. 5. de præſumptionibus agens de hac materia, præſumpt. 9. exiſtimet contra Nauar. & Maſcard. num. 19. Primam, & tres ſequentes coniecturas poſitas à Nauarro, & ſumptas ex Pontificum bullis adeò firmas eſſe, vt iudicis arbitrium in illis non habeat locum, & præſumpt. 8. tangit coniecturas, quibus ſimonia probatur.

Porrò ſimoniacus etiam tantum conuentionalis ob confidentiam, incurrit pœnas has. Prima eſt, quod nihil iuris accipiat in beneficio per eam obtento. Secunda. Ipſo iure excõmunicatur. Tertia. Perdit alia beneficia benè quęſita. Quarta. Fit inhabilis ad omnia alia. Poſtremò quęri ſolet, An in extrauag. Piorum præteritæ confidentiæ etiam bona fide factæ, ſint comprehenſæ & damnatæ, etiam ſi alias eſſent licitæ, & ſimiliter, An omnes futuræ, an verò tantum illicitæ, & ſimoniacæ

confidentiæ. Negatiuam partem Nauarr. in manual. cap. 25. num. 109. & 111. ſequitur. Maſcard. volum. 3. concluſ. 1306. affirmatiuam probat. Primo: Quia tribunalia Romæ, & complures docti viri Nauarro non conſentiunt. Secundo. Quia bulla ei contradicit. Sed ad cap. explicationem tranſeamus.

FINIS RVBRICÆ.

DE SI-

DE SIMONIA, ET NE ALIQVID PRO SPIRItualibus exigatur, aut promittatur.

CAPITVLVM I.

Epiſcopus pro ordine ab eo conferendo, vel miniſtri, vel Notarij nihil temporale exigere debent.

GREGORIVS generali ſynodo præſidens lib. 4. Epiſt. 44.

IN ordinando. (& infra) ſicut Pontificem non decet manum, quam imponit vendere, ita miniſter, vel Notarius, non debet in ordinatione eius vocem ſuam, vel calamum venundare. Pro ordinatione verò, vel pallio, ſeu chartis, atque paſtello, eundem qui ordinandus, vel ordinatus eſt omnino aliquid dare prohibeo. Vide etiam 1.q. 2. cap. Sicut Epiſcopum.

Innocentius in hoc cap. & poſt eum Cardina. Anchara. & aliqui alij exiſtimant, quod Pontifex hac diſpoſitione voluit tollere prauam conſuetudinem quarundam prouinciarum, & locorum, vbi miniſtri pro ſingulis officijs certum quiddam exigebant.

Nota primo cum Bernardo hic, quod Ioannes ab Anania, Panorm. & Anton. expreſ-

 ſius

ſius annotant. Vbi principale debet eſſe gratuitum, omnia acceſſoria, & circumferentia debent eſſe gratuita. Vnde non ſolum prohibetur Epiſcopus, qui ordinem confert aliquid pro ordine recipere, ſed etiam alij miniſtri, qui ſunt acceſſorij, & coadiuuant Epiſcopum in celebratione.

Secundo. Epiſcopus debet manus gratis imponere, & eas mundas ſeruare. Nec mirum, quia ad id iudex ſæcularis aſtringitur, in Authent. vt iudices ſine quo quæ ſuffrag. §. Hæc omnia. collat. 2. Hoſtienſ. Cardinal. Ancharan.

Tertio. Per manuum impoſitionem deſignat ipſam ordinationem (vt manifeſtè ex ſcriptura, & PP. præſertim Chryſoſt. Hom. 10. in priorem ad Timoth. ex Epiſt. Concil. Niceni ad Alexandrinos, apud Theodoretum lib. 1. hiſtor. cap. 9. & alijs Græcis, atque etiam B. Hieron. in cap. 58. Eſaiæ colligitur) in qua gratia confertur iuſtificans. Nam 2. Timoth. 1. vbi dixerat Apoſtolus gratiam Timotheo per manus impoſitionem datam, ſubiungit explicans, quæ ſit illa gratia. Non enim (inquit) dedit nobis, id eſt, nobis Epiſcopis, Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Porrò gratiam hanc ſecundum ſcripturam alligatam eſſe manuum impoſitioni in ordinatione, patet ex capite 4. prioris ad Timoth. quando ait, Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophe-

tiam

tiam cum impoſitione manuum preſbyterij. Vbi illud (per prophetiam) non eſt inſtrumentum, ſed cauſa impellens, & mouens: inſtrumentum autem conferendæ gratiæ eſt illud, cum impoſitione manuum. Senſus enim eſt, Noli negligere gratiam illam, quæ tibi data eſt, quando Epiſcopus à me ordinatus es, iuxta reuelationem de te mihi factam (Deus enim reuelauerat Paulo, & iuſſerat, vt Timotheum ordinaret, quod habetur etiam primo cap.) ſecundum præcedentes in te prophetias. Quod autem inſtrumentum gratię conferendæ fuerit impoſitio manuum, habetur adhuc clarius 2. Timoth. 1. Admoneo te, vt reſuſcites gratiam, quæ in te eſt, per impoſitionem manuum mearum.

Quarto. Tres perſonæ requiruntur in ordinatione. Epiſcopus, Miniſter, & Notarius. Miniſter intelligitur Archidiaconus, qui in quibuſdam locis examinat promouendos. c. Adhæc. de offic. Archidiac. vel, qui vocat promouendos, vel ille, qui reſpondet in ſcrutinio ordinandi, ſecundum formam cap. Ex parte. de ſcrutinio in ordine faciendo. Vel qui legit, aut cantat Euangelium, vt ex Gloſſ. annotat Panorm. in hoc cap. §. 2. vel poſtremò quilibet aliquod miniſterium exhibens circa ordinationem.

Quinto. Quemadmodum miniſter, & notarius prohibentur de actibus neceſſarijs ad ordinationem aliquid accipere, ita & ordinatus

 dare.

dare. Sunt enim illa correlatiua. Vnde pœna impoſita accipienti videtur etiam impoſita danti, Argum. huius capitis, & l. fin. ff. de accept. Anchar. hic Notab. 3. Ioannes ab Anania colum. 5. in litera B.

Sexto. Pallium contextum eſt ex agnorum alba lana, & habet circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab vtraque parte pendentes. Pallium eſt inſigne plenitudinis officij Pontificalis. cap. cum ſis. de auctor. & vſu pallij. Hinc eſt, quod antequam Metropolitanus pallio decoretur, non debet concilium conuocare, Chryſma conficere, clericos in ſua prouincia ordinare, pontifices conſecrare, vel Eccleſias dedicare. Extrau. de elect. cap. Quod ſicut. In fine: teneturque Archiepiſcopus intra tres menſes à die conſecrationis illud inſtanter petere à Papa. cap. Quoniam. cap. Priſca. diſt. 100.

Obtento iam pallio non poteſt niſi intra Eccleſiam, & diuinis officijs vti, idque certis diebus. Vnde ſi proceſſionaliter, vel ad prædicandum, vel ad aliquod huiuſmodi eum extra Eccleſiam ire contigerit, cum pallio non exibit. cap. 1. penult. & vlt. de auctor. & vſu pallij. & cap. Pallium. 1. diſt. 100. Vide de his Innoc. lib. 1. cap. 62. & Rationabile diuinorum officiorum. lib. 3. cap. 17.

Septimo. (Paſtellum) diminutiuum à Paſtu, vt ſi clerici nomine paſtellorum, id eſt, conuiuij, aut paſtus. 1. quæſt. 3. cap. Si quis obie-

obiecerit; aliquid exigunt, & non titulo ordinationis.

Nunc quæ circa hoc caput tractanda occurrunt, latius per Quæſtiones examinanda, & reſoluenda ſunt.

QVÆSTIO I.

An & quomodo ſimonia committatur circa ordinationem, & collationem ordinum.

PRima *Concluſio.* Certiſſimum eſt Epiſcopum committere ſimoniam, ſi aliquid pretio æſtimabile pro collatione ordinum, ſiue ordinatione accipiat. Hæc concluſio eſt communis Theologorum, Canoniſtarum, & Summiſtarum, quam hoc cap. ſupponit. Probatur inprimis ex illo Matth. 10. Gratis accepiſtis, gratis date. Quo loco ad probandam propoſitam concluſionem vtitur Gennadius, & Synodus Conſtantinopolitana, in Epiſt. in totum orbem miſſa: cuius Epiſt. verba adduximus in Rub. Notab. 12. Eadem ſcriptura vtitur Taraſius Conſtantinopolitanus, in Epiſt. ad Adrianum Papam. Multipliciter, ait, multiſque modis ex Euangelio, & Apoſtolorum, Patrumque præceptis docemur in ſanctificatione ſacerdotij mores ab auaritia longè alienos præſtare: neque in vllius ſacerdotalis viri ordinatione aurum, argentumúe accipere, aut aliud quidpiam nobis vindicare: quod ſententiæ ex diuinis ſcripturis, & Patrum doctrinis infra ſubiectæ demonſtrabunt.

bunt. Qui enim manus imponunt, miniſtri ſunt ſpiritus, non venditores ſpiritus. Nam cum gratis, gratiam ſpiritus acceperint, gratis etiam ijs, qui ab ipſis accipiunt dare iuſſi ſunt ex voce Domini hac ipſa libertate, poteſtateque accepta. Quod ſi quis eam auro emiſſe conuictus fuerit, hunc ex ſacerdotali ordine excidiſſe pronunciant, quanquam nomine ſacerdotium ſortitus eſt. Nec non D. Greg. lib. 4. Epiſt. Epiſt. 56. Concilia etiam hanc concluſionem abundè confirmant. Chalcedoſe, cuius Canon inſeritur à Gratian. 1.q.1. c. Si quis Epiſcopus per pecuniam. Huius Canonis meminerunt etiam Gennad. cum alijs in d.epiſt.& Vrbanus II. in epiſt. ad Præpoſitum. S. Iuuentij. Bracarenſe 2. can. 3. Aurelianenſe 2. can. 3. Toletan. 8. can. 3. & Toletan. 11. can. 8. & can. 30. Apoſtolic. Si quis Epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deijciatur, & ipſe ordinator eius, & à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à Petro. Plurium Conciliorum, Pontificum, Patrumque auctoritates collegit Gratian. 1. quæſt. maximè 1. & 2. & 3. & nouiſſimè Concilium Tridentin. ſeſſ. 21. de reformat. cap. 1.

Greg. lib. 4. Epiſt. cap. 88. & epiſt. 44. ex geſtis in Synodo Romana tempore Manilij Auguſti. Antiquam regulam, inquit, Patrum ſequens, nihil vnquam de ordinationibus accipiendum

piendum eſſe conſtituo. Neq; ex datione pallij, neque ex traditione cartarum: neq; ex ea, quam noua per ambitionem ſimulatio inuenit appellatione paſtelli. Quia enim ordinando Epiſcopo Pontifex manũ imponit, Euangelicam lectionem miniſter legit. Confirmationis autem eius epiſtolam notarius ſcribit, ſicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere: ita miniſter, vel notarius non debet in ordinatione eius vocem ſuam, vel calamum venundare. Pro ordinatione verò, vel pallio, vel cartis atque paſtello eundem, qui ordinandus, vel ordinatus omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus, ſi quis hinc aliquid commodi appellatione exigere, vel deferre fortè præſumpſerit, in deſtricto Dei omnipotentis examine reatu ſubiacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, neque exactus, neque petitus poſt acceptas cartas, & pallium, aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo cauſa dare voluerit; hoc accipi nullo modo prohibemus: quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex ambientis ambitu non proceſſit. Hæc ibi.

Ratio etiam eſt. Per ordinationem, ſiue collationem ordinis datur gratia Spiritus ſancti. Ergo pecuniã accipere pro huiuſmodi actu eſt ſimonia, vt ex definitione ſimoniæ liquidum eſt. Antecedens ſatis conſtat ex Conc. Triden.

ſeſſ.

ſeſſ.23. can.4. de Sacramento Ordinis. Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, proinde fruſtra Epiſcopum dicere: Accipe Spiritum ſanctum, anathema ſit. 1. ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij. 2. ad Timoth. 1. Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. Plura ſupra Notab. 3.

Secunda Concluſio. Examinans ordinandos, ſi pecuniam recipiat pro examine, aut pro aliquo temporali aliquem admittit, approbatq́; ad ordines, ſimoniacus eſt. Concil. Nanneten. c. 11. & habetur apud Gratian. d. 24. c. Quādo. vbi pulchrè præſcribitur modus examinis his verbis: Quando Epiſcopus ordinationes facere diſponit, omnes, qui ad ſacrum miniſterium accedere volunt, feria quarta ante ipſam ordinationem, euocandi ſunt ad ciuitatē, vnā cum Archipreſbyteris, qui eos repræſentare debent, & tunc Epiſcopus à latere ſuo eligere debet ſacerdotes, & alios prudentes viros gnaros diuinæ legis, & exercitatos in Eccleſiaſticis ſanctionibus: qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum, vbi educati ſunt, ſi ſint benè literati, ſi inſtructi in lege Domini diligenter inueſtigent: ante omnia ſi fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis ſimplicibus aſſerere queant; Ipſi autem, quibus hoc committitur, cauere

cauere debent, ne aut fauoris gratia: aut cuiuſcunque muneris cupiditate illecti à vero deuient, vt indignum, & minus idoneum ad ſacros gradus ſuſcipiendos Epiſcopi manibus applicent. Quod ſi fecerint, & ille, qui indignè acceſſit, ab altari remouebitur: & illi qui donum ſpiritus ſancti vendere conati ſunt, coram Deo iam condemnati, Eccleſiaſtica dignitate carebunt. Præpoſit. Archidiac. Turrecrem. & alij in illo cap. & ex mente DD. hic circa verbum illud, Miniſter. Sylueſt. in verb. Simonia. num. 8. Angel. in eodem verbo. 3. num. 20. Nauarr. lib. 5. conſil. in tit. de ſimonia. conſil. 58.

Tertia Concluſ. Notarius ordinationis quādo ei non eſt à publico ſalarium conſtitutum pro officio exercendo, poteſt pro labore ſuo, & charta, neceſſarijſque ad ſcribendum, moderatum accipere pretium, ſine ſimonia. Hæc eſt recepta, & communior concluſio. DD. in hoc cap. Cardinalis Alexandrini. Turrecrem. & aliorum in cap. Sicut Epiſcopum. 1. q. 2. Angel. in verb. ſimonia 3. num. 22. Sylueſt. in eod. verb. q. 8. Aurea Armilla eod. verb. num. 32. Nauarr. in Manuali Confeſſ. cap. 25. num. 54. & alij communiter alibi. & Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. de reformat. Significat tamen Concilium hanc concluſionem obtinere in ijs tantum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo accipiendi nihil. Probatur concluſ. Primo. Quia licet vnicuique locare

operas

operas ſuas. Secundo: quia nemo de ſuo cogitur inuitus facere beneficium. cap. precariè. 10. quæſt. 2. & cap. charitatem. 12. quæſt. 2. Pretium autem accipiendum à notario, quando conſtitutum non eſt, taxatum eſt à Concilio Tridentino, ita quod pro ſingulis literis teſtimonialibus, vel etiam dimiſſorialibus, ſiue reuerendis, vt aliqui vocant, decimam tantum vnius aurei partem accipere poſſit. Nec Epiſcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eiſdem ordinum collationibus directè, vel indirectè prouenire poteſt, vt idem Concilium conſtituit. Gloſſ. in d. cap. Sicut Epiſcopum. 1. quæſt. 2. exiſtimat in collatione ordinis non eſſe diſtinguendum, An habeat ſalarium, vel non. Nam dicit, quod in collatione ordinis nec pro labore, nec pro charta debet aliquid accipere: ſed Epiſcopus procuret: ita vt ſine muneris alicuius acceptatione ſcribatur. Sed hoc graue eſſet: quare tenendum omninò exiſtimo, quod hac de re conſtituit Concilium Tridentinum.

Quarta Concluſio. Quando Notario ex publico ſuum ſalarium conſtitutum eſt, non poteſt aliquid ſine crimine ſimoniæ, aut iniuſtitiæ ſaltem accipere vltra publicum ſtipendium. Ratio: Quia aut illud accipit ratione ordinationis, aut ratione laborum, quos impendit in ſcriptione, & neceſſarijs: Si primum, ſimonia eſt: Si ſecundum, iniuſtitiæ peccatum,

tum, cum labores publico ſtipendio remunerentur, & ſi alias etiam accipiat, bis eundem laborem vendit, quod iniuſtum eſt, & ita ad reſtitutionem iſtius, quod vltra taxatum à publico receptum eſt, tenetur. Non ſecus, atque is, qui vinum, aut panem vendit cariùs, quam publicè à magiſtratu decretum eſt. Si tamen præter omnem exactionem liberè aliquid donaret notario, id recipere poſſet, vt Cardinalis Alexandrinus, Turrecremata, & alij docent.

Quinta Concluſio. Quando Notarius plus accipit aſcendendo pro gradu, & dignitate ordinis, ita videlicet, vt plus pro teſtimonialibus diaconatus, quam ſubdiaconatus, & plus pro præſbyteratus, quam diaconatus, ſimoniam committit. Angel. Sylueſt. Aurea Armilla. & Nauarrus loco citato. Ratio eſt, quia tunc taxatur, & venditur dignitas ordinum, quæ vendi, taxariúe haud poteſt. Notario autem nihil competit, niſi ratione laboris, qui æqualis eſt reſpectu omnium ordinum. Ex dictis Concluſionibus & Concil. Trid. infero, taxas, ſtatuta, & conſuetudines etiam immemorabiles quorumcunque locorum, quæ potius abuſus & corruptelæ nuncupari poſſunt, prout concilium loquitur, cenſendas ſimoniacas, & plus percipientes, quã à Concilio moderatum eſt, cum Simone portionem ſortiri. Idem eſt iudicium de exigentibus, & extorquentibus vltra moderationem prædicti

Conci-

Digitized by Google

Concilij pro literis dimiſſorijs: Taxæ enim & ſtatuta Cancellariorum Epiſcoporum in hoc caſu nec excuſant, nec diluunt labem ſimoniæ, vt concilium determinat: Nec refert an huiuſmodi taxæ ſint nouæ, vel veteres: quo enim mala ſunt diuturniora, eò peiora ſunt, maiuſque peccatum inducunt.

Sexta Concluſio. Etiam ſimonia eſt exigere, & accipere aliquid pretio æſtimabile pro ſigillo literarum teſtimonialium, aut reuerendarum. Hanc tradunt Alexandrin. Cardinal. Turrecrem. Angel. Sylueſt. S. Antonin. 2. part. tit. 1. §. 17. Durand. in 4. d. 25. q. 3. & alij communiter. & Concil. Trident. loco cit. decernit. Eadem eſt ratio de ſigillo reſpectu rei ſpiritualis cuiuſcunque, vt ad ſigillandum literas pro collatione beneficij, pro diſpenſatione in gradibus prohibitis ad contrahendum matrimonium, pro commiſſione aut decreto ad reconciliandam Eccleſiam cum aqua pontificali, quando de iure committi poteſt alteri ſacerdoti, qui non eſt Epiſcopus: & de ſimilibus par eſt iudicium. Licet tamen in hiſce rebus expenſas ceræ, & ſigillationis, & clericorum ad hoc deputatorum, repetere, vt DD. allegati tradunt: Quod tamen pro literis teſtimonialibus ordinum, & reuerendis, ſiue dimiſſorialibus, nunc videtur ſublatum à Concilio Tridentino loco cit. Quoniam nihil aliud dandum decernit, præter decimam partem auri Notario, quando alias non habet deputa-

deputatum ſalarium. *Septima Concluſio.* Qui aliquid ſine pacto, liberè, & ex beneuolentia dat ordinatori poſt ordinationem, non committit ſimoniam. Eſt Turrecrem. & Cardinalis Alexandrini in cap. Sicut Epiſcopum. 1. q. 2. Nauarr. in cit. Manuali Confeſſar. cap. 25. num. 68. verſ. 2. peccat. Ignatij Lopez in practica criminali Canonica. cap. 91. ſub litera D. 1. arg. Gloſſ. in cap. Emendari. 1. q. 1. & eſt apertè D. Gregorij in d. epiſt. 44. ſuper citata concluſ. 1. Vbi ait, quod datio nullam culpam habet, quæ ex ambitione non procedit.

QVÆSTIO II.

An Pontifex etiam poſſit incurrere crimen ſimoniæ?

CAnonum interpretes mouẽt hanc quæſtionem in hoc c. & communiter diſtinctione hac reſoluunt. Quædã ſunt ſimoniaca, quia mala: ſiue prohibita, quia ſimoniaca. Alia ſunt ſimoniaca, quia prohibita, id eſt, mala quia prohibita, de quibus ſupra. Nũc Pontifex poteſt incurrere ſimoniã in his, quę ſunt prioris generis, non in alijs. Pro reſolutione ſit.

Prima Concluſio. Pontifex poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut quilibet alius homo, in his, quæ ſunt iure naturali, & diuino prohibita. Hanc docent S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7. & Commentatores eius ibid. Victoria in relect. de ſimonia. 1. part. num. 39. concluſ. 1. Imo

dicit S. Thom. in 4. d. 25. q. 3. art. 3. ad 2. quod opinio, quæ docet Papam non poſſe eſſe ſimoniacum, eſt erronea. Dominic. Soto lib. 9. de iuſt. & iure. q. 5. art. 2. Turrecrem. in c. Latorem. 1. q. 1. Sylueſt. in verb. Simonia. q. 4. Paludan. cum S. Thom. & alijs in 4. d. 25. Panor. Cardin. Hoſtienſ. Anto. & alij communiter in hoc c. Nec poteſt in hac re eſſe dubium. Ratio huius concluſionis eſt. Quia Pontifex etiam ſubeſt legi naturali, & diuinę, quoad vim directiuam: iuxta doctrinā D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 5. Imò ex mente eiuſdē D. in d. art. 1. ad 7. Papa grauius alijs peccaret in hoc genere: Cū peccatū tanto ſit grauius in aliqua perſona, quāto maiorem obtinet locum. Pontificem aūt primum, & ſummū in Eccleſia Chriſti militante obtinere locum nullus rectæ fidei dubitat.

Secunda Concluſio. In his quæ prohibita ſunt iure diuino, aut naturali Pontifex alium vendentem, vel ementem non poteſt liberare à crimine ſimoniæ. Primo. Quia Pontifex non poteſt in his ſeipſum eximere. Ergo multo minus alium. Deinde Pontifex non valet diſpenſare in his, quæ ſunt iuris naturalis, & diuini, vt tradunt S. Tho. 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. & quodlib. 9. art. 15. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 2. Angel. in verb. Papa. num. 1. latè Syluest. eod. verb. q. 16. Turrecrem. lib. 2. de Eccleſ. cap. 107. Driedo de libert. Chriſti pag. 204. & poſt alios plures Didacus Couarr. de matrim. 2. part. §. 9. à num. 8. & communiter

Theolo-

Theologi; quicquid aut malè ſentientes, aut non rectè loquentes velint quidã Canoniſtæ, & iuriſperiti. Panor. in c. Non eſt de voto. Felin. in c. Quæ in Eccleſiarum, de conſtit. num. 19. Decius in conſil. 112. quorum opinionem Hieron. Gratus conſil. 1. vol. 2. & alij quidam communem autumant, dum cenſent Pontificem poſſe ex cauſa in iure diuino diſpenſare: ſed dixi, aut malè ſentiunt, cum inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris, niſi ei ſpecialiter committatur: aut non rectè loquuntur, dum fortè, verbum diſpenſare volunt eſſe idem, quod legem interpretari, aut declarare. In quorum teſtimonium opportunum eſt illud Zozomi Papæ in c. Contra. 25. q. 1. dum ait. Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem ſedes poteſt auctoritas. Apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxêre reuerentiam. Intelligenda enim hæc ſunt Patrum ſtatuta, quæ continent in ſe ius naturale, & diuinum, quæ non poſſunt mutari, nec etiam diſpenſationem patiuntur, niſi conditor legis, & auctor naturę ſuam auctoritatem, poteſtatemque interponat.

Tertia Concluſio. Pontifex non incurrit crimen ſimoniæ in his, quæ ſunt mala, ſiue ſimoniaca, quia prohibita tantum iure humano, ſiue poſitiuo. Hæc eſt communis DD. in hoc cap. nec diſſentiunt Theologi in locis cit. Lex enim poſitiua, & humana ſubeſt iuriſdictioni,

poteſtatiq́ue ſummi in Eccleſia moderatoris, vt ex rationabilibus cauſis poſſit in ea diſponere, & diſpenſare. Si tamen Pontifex ſine iuſta cauſa faceret aliquid in his, vtique peccaret. Quandoquidem Princeps obligatur ſuis legibus, quo ad vim directiuam, licet non coactiuam, iuxta S. Thom. 1. 2. quæſt. 96. art. 1. & Commentatores eius ibidem; id eſt, debet ſequi viuendi normam, quam alijs præſcribit, licet ſi tranſgrediatur, à nemine cogi poſſit. & cap. Cum omnes de conſtit. Quiſquis ius in altero ſtatuit, ipſe eodem iure vti debet. Cui conſentit ſapientis elogium illud, Patere legem, quam ipſe tuleris. Hinc optimè ait Hoſtien. in hoc cap. & poſt eum Panorm. alijq́ue, quod licet Papa non ligetur propria conſtitutione, in his, quæ ſunt ſimoniaca, quia prohibita, tamen deberet ipſe præ cæteris abſtinere, quia etſi in ſe hoc non ſit malum, eſt tamen ſpecies mali, à qua præcepit Apoſtolus abſtinendum. cap. cum ab omni ſpecie. de vita & honeſt. clericor. Ex his ſequitur, quod Pontifex ſua auctoritate, legitima intercedente cauſa, poteſt facere, vt alius non incurrat crimen ſimoniæ in caſu particulari, vt in ſimonia, quæ tantum eſt iuris humani, vt omnium communis eſt ſententia, & ſtylus Curiæ Romanæ obſeruat, vt poſt Caſſiodor. in deciſ. 2. de ſimonia. Nauarr. in Manual. Confeſſ. cap. 23. num. 108. verſu ſexto, quod auctoritas eius, &c.

Quarta Concluſio. Pontifex etſi exerceret ſimoniam

moniam lege naturali, & diuina vetitã, damnationiſque æternæ reus fieret, non tamen caderet in pœnas ſtatutas à Iure contra ſimoniacos. Hæc eſt etiam communis DD. Quantum ad primam partem, concluſio aperta eſt ex dictis. Secunda etiam clara eſt: Pontifex enim cum ſuperior ſit omni lege humana etiam Canonica, eius pœnis non conſtringitur. Ex hac infertur, quod Pontifex poſſit alium ſimoniam committentem ante factum eximere à pœnis Canonum latis in ſimoniacos, ita, vt quamuis culpam ſimoniæ, reatumq́ue peccati mortalis, pœnamq́ue inferni mereretur, non tamen fieret excommunicatus, nec alias pœnas iuris incurreret.

Dubium autem hoc mouetur circa hanc materiam. An ſi cum Pontifice aliquis eo etiam ſciente, & conſentiente committeret ſimoniam, vtpote emeret beneficium, aut Prælaturam, vel Epiſcopatum, incideret pœnas iuris humani, & Pontificij (ita quod implicitè videatur pœnas remiſiſſe, & diſpenſaſſe) ſi Pontifex expreſsè cum illo non diſpenſaret. In hac dubitatione varij ſunt DD. Quidam affirmatiuam amplectuntur ſententiam. Paludan. in 4. d. 25. q. 4. Sylueſt. in verb. Simonia. q. 4. Aurea Armilla in eod. verb. in fine. Dominicus à Soto lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 5. art. 2. Petrus de Aragon. in 2. 2. S. Thomæ. q. 100. art. 1. verſus finem. Gregor. de Valent. in ead. q. puncto vlt. Angel. in verb. Simonia. 5. §. 7. 8. &

infra in verb. illo 7. §. 5. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 2. Felin. in hoc cap. & in cap. De cætero. col. fin. de re iudic. Turrecrem. in d. cap. latorem. num. 4. Martinus Nauarr. loco cit. & eius diſcipulus Didac. Couarr. in relect. cap. Peccatum. de reg. iuris in 6. part. 2. §. 8. num. 9. Coſmus Philiarcus Theologus Florent. tom. 2. de offic. ſacerdotis lib. 6. cap. 3. concluſ. 5. Atque hæc eſt communior, receptiorque opinio. In partem negantem iuerunt Adrian. quodl. 9. art. vlt. ad 4. principale. Ioannes Maior in 4. d. 25. q. 3. In hanc partem allegatur à Panormit. etiam Ioannes Andreas in regul. Cui licet. de reg. iuris in 6. in Mercurialib. Vbi ad propoſitum facit, quod ait in ſimili. Si Epiſcopi ſtatuto caueatur, quod ludens ad azardum ſit excommunicatus, ludens cum Epiſcopo, qui tale ſtatutum edidit, excommunicatus eſt, etiamſi Epiſcopus non incidat in pœnam ſtatuti. Cardinalis Caietan. 2. 2. q. 100. art. vltimo anceps eſt in hac dubitatione. Vtriuſque ſententiæ argumenta ponit, & ſoluit. Pro reſolutione ſit

Quinta Concluſio. Pontifex ſcienter committens cum alio tertio ſimoniam, ipſo facto diſpenſat cum eodem, vt non incidat pœnas à Canonibus latas contra ſimoniacos, ſecundum affirmantem, communiorem, & veriorem opinionem. Ratio eſt, Quia ſcientia principis purgat hoc crimen, quantum ad eas pœnas, quæ ſunt iuris poſitiui. Quandoquidem

Princeps

Princeps ſciens aliquem inhabilem ad dignitatem, quam ei conferre intendit, ipſo facto, quo ei confert, tacitè impliciteque videtur eum capacem reddere, & cum eo diſpenſare iuxta dicta à Barthol. in l. Barbarius. num. 12. ff. de offic. Prætor. Felin. in cap. præterea. num. 9. de teſtibus cogendis. Panormit. in cap. In cunctis. §. Infera. & in cap. Innotuit. colum. 4. de elect. Roman. in conſil. 327. & alios alibi. Atque cauſa eius reddi poteſt: Quia alias actus Principis eſſet illuſorius, nullumque effectum ſortiretur, quod eſt abſurdum, ideoque non dicendum. Ex hac concluſ. infero cum Paludan. & poſt eum S. Anton. & alijs, quod ſi quis acciperet beneficium in Curia Romana, & conſcientiam haberet de ſcientia Papæ confirmantis, pœnitendo de peccato, non teneretur reſignare, ſed poſſet retinere. Ad illud allatum à Ioanne Andræa de ludente cum Epiſcopo, qui tulit excommunicationem in ſic ludentem. Reſpondet Syl- ueſt. & alij quidam, inprimis de Epiſcopo, quod ipſe non poteſt ſecundum aliquos facere, vt ſtante ſtatuto ſuo contraueniens non ligetur: quod tamen Pontifex poteſt: Vel aliter, quod Epiſcopus ludendo cum aliquo etiam præſumptiuè diſpenſat, vt ille impunè cum eo ludat, ſicuti etiam Pontifex ſecundum prædicta implicitè, & præſumptiuè diſpenſat in ſimonia eius, qui eandem ſecũ committit. Panor. hîc mouet Quæſtionẽ, Nunquid Papa

inuoluatur crimini ſimoniæ, ſi de facto recipit pecuniam pro collatione alicuius Prælaturæ, ſeu beneficij. Sed huius quæſtionis determinatio pendet ex dictis. Quandoquidem, vt ſupra in Rubric. oſtenſum eſt, ſimonia in quibuſuis beneficijs Eccleſiaſticis eſt prohibita iure diuino, & naturali: Ergo Pontifex etiam in his inuoluitur crimine ſimoniæ.

CAPITVLVM II.

Deponendus eſt, qui per pecuniam aliquem eiecit de Eccleſia ſua ſe poſtea intrudendo.

Ex Concilio Moguntinenſi.

Qui alium in Eccleſia ordinatum per pecuniam expulerit, eamque taliter vindicauerit, omnimodo deponatur.

ADuertendum eſt in primis ex hoc capitulo non licere pecuniam dare pro via conſequendi beneficium, nec etiam pro modo ineundi rationem priuandi. Secus ſi fiat, ſimonia committitur: Deinde cum Gloſ. duplex peccatum committit, quia alium iniuſtè à beneficio pro pecunia expellit, vt ipſe in locum ſuccedat, ſimoniam videlicet, & intruſionis peccatum, vtpote qui locum viuentis occupat. Imò adiungunt alij, quod triplex erit peccatum ſimoniæ, recipiendo pecuniam, expulſionis

pulſionis iniuſtæ, & intruſionis in locum viuentis. Notant etiam Anton. Ioan. ab Anania, & Ancharan. quod ſic expulſus, ſi iuſtè Eccleſiam poſſidebat, poteſt cum auctoritate iudicis Eccleſiaſtici recurſum habere ad iudicem ſæcularem, iuxta ea, quæ habentur in cap. 1. de offic. ordin. Quod tamen ſanè intelligendum in caſu, quo non eſt ſufficiens, poſſit in auxilium vocare brachium ſæculare.

CAPITVLVM III.

DEODATVS PAPA.

Si Dominus, & Magiſter omnium, qui ſine peccato fuit, accuſandi licentiam vni dedit: (& infra) Non igitur quilibet Catholicus eſt reſpuendus, ſed, vt veritatem aſſerat ad propalandam ſimoniacam rabiem, magnis precibus exhortandus. alias exorandus.

CAſus huius cap. eſt. Quæſtio fuit: An quilibet Catholicus admittendus ſit ad accuſationem ſimoniacorum? Reſpondetur à Papa, quod quilibet admittendus eſt, ſumpto argumento à minori. Si enim Dominus, Magiſterque omnium, qui ſine peccato fuit, licentiam accuſandi dedit vni, ſcilicet ſceleratiſſimo Iudæo, quando dixit: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, &c. multo fortius, nullus Catholicus repellendus eſt, vt veritatem aſſerat in ſimoniæ labe. Pro latiori

tiori cap. intelligentia, Notandum inprimis cum Panorm. quod ſuperior poteſt accuſari per inferiorem text. ad hoc in cap. licet. & cap. veniens de accuſat.

II. Notanda eſt regula. Quod non Catholicus non admittitur ad accuſandum, etiam de crimine ſimoniæ. Quod intelligendum videtur, niſi ſimonia habeat adiunctam hæreſin, in hunc ſenſum, quod crederet cum pertinacia, ſpiritualia, aut ſpiritualib. annexa poſſe comparari, emiúe pecunia, aut temporali pretio, tunc enim etiã hęreticus eſſet: Vide ſupra Notab. II. in Rubr. & quatenus talis, poſſet contra eum etiam non Catholicus eſſe teſtis, id eſt, Iudæus. c. Contra Chriſtianos. de hæretic. lib. 6. Gloſſ. ibid. ſuper verb. Iudæos. Dominic. Geminian. Philipp. Franc. & alij ibid. Felin. in c. Iudæi. num. 2. Franciſ. Pegna in direct. lib. 2. partit. 2. in ſcholio 10. & poſt alios plures, quorum opinio communis eſt, Ioſeph. Maſcard. vol. 2. de probat. concl. 857. num. 9. Et quamuis d. c. contra Chriſtianos Bonifacius VIII. id definiat de conueniendo Chriſtiano Apoſtata, qui prius fuit Iudæus, & iterum reincidit in Iudaiſmum, obtinet tamẽ etiam, quando agitur de conuincendo Chriſtiano nõ apoſtatante, nec totam Chriſtianã religionem deſerente, ſed in vno, aut altero articulo cum pertinacia errante: idq; in fidei fauorem: at ne tantum crimen maneat impunitum, vt latius Maſcard. vbi ſupra num. 10. declarat.

Dubium

Dubium hic occurrit. An eadem ſit ratio in teſte, quæ in accuſatione, vt videlicet non Catholicus admittatur ad teſtificandum in crimine ſimonię, ſicuti ad accuſandum, quando ſimonia hæreſin adiunctam habet. Nam de teſte: canon eſt 2. quæſt. 7. cap. non placet. Item ff. de teſtibus. l. 2. vt citat Sylueſt. verb. Teſtis. §. 11. & Panormit. in cap. Licet Heli. de ſimonia. §. 11. dicit, quod facilius admittatur accuſator, quam teſtis, quia non eſt tantum præiudicium in accuſatoribus, ſicut in teſtibus: quia crimina probantur per teſtes, non autem per accuſatores. Interim tamen ex ſimoniaco, qui hæreticus eſſet (vt ſupra dictum eſt) exiſtimarem huiuſmodi ad teſtimonium dicendum poſſe admitti, potius tamen propter hæreſin, quam ſimoniam. Panorm. vbi ſupra. §. 21. & indicat Gloſſ. in verb. Iudæos. in c. contra Iudæos. de hæret. in 6. & Maſcard. vbi ſupra. §. 9. Et ratio eſt, ne ex defectu probationum, tam graue ſcelus maneat impunitum. Iudæus autem, quando contra Chriſtianum in teſtem admittitur, iurabit de veritate dicenda, non ſuper Euangelia, quibus non credit: ſed ſuper lege ſua. Ioann. Imolen. in Clement. 1. de teſtibus. Anton. de Butr. in Proœm. decretali. Menoch. de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſ. 189. Maſcard. loco cit. & Pegna vbi ſupra, qui formam iuramenti adiungit, de qua etiam Speculat. in tit. de iuram. calum. §. Reſtat. verſ. Sed pone.

III. Corri-

III. Corrigenda Gloſſa.in verbo Iudę ſecundum Ioannem Andream, melius enim diceret Iudæo, quia iſta verba, quæ ſequuntur, non fuerunt dicta Iudæ, ſed illi Iudæo miniſtro, qui alapam dedit Chriſto dicens: Sic reſpondes Pontifici, & Chriſtus reſpondit: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, &c.

IIII. Nota circa finem cap. quod teſtis per partem precibus exoratus ad ferendum teſtimonium, non eſt ſuſpectus.

CAPITVLVM IIII.

Simoniacus pendente accuſatione ab adminiſtratione diuinorum prohibetur.

Idem DEODATVS.

Accuſatum ſimoniacum neceſſe habuimus prohibere, ne miſſarum ſolennia celebraret, donec quid eſſet, verius conſtitiſſet.

NOTA. Quod dicat (prohiberi) non ſuſpendi, quia ſimoniacus in ordine eſt ipſo iure ſuſpenſus, vt ſupra Notab. 15. circa finem. Verſu: Tertia pœna: quia prohibitio refertur ad factum, ſuſpenſio ad ius: Quanquam vt notat Ioannes Andre. poteſt propriè ſuſpendi; Nam ſicut excommunicatus à Canone poſſet excommunicari ab homine, vt habetur cap. Ita quorundam, de Iudæis, & cap.

Engel-

Engeltrudam. 3. q. 4. ita ſuſpenſus à iure, poteſt ſuſpendi ab homine.

Nota II. Ex textu quod Papa neceſſitatur ad ſeruandum ordinem iudiciarium, vt ex cap. In cauſis. de ſentent. & re iudicata colligunt DD. eſt tamen de potentia ordinaria, non de abſoluta intelligendum, vt cap. propoſuit. de conceſſ. præbendæ oſtendit Innocentius.

CAPITVLVM V.

Idem dicit quod præcedens, niſi quod illud cap. loquitur in accuſatione, iſtud in inquiſitione: & illud loquitur de ſimoniaco in genere, iſtud declarat de ordine.

Idem DEODATVS.

Quoties (& infra) Peruenit ad nos, quod per ſimoniacam hæreſin fueris ordinatus: propterea neceſſè habuimus te prohibere, ne miſſarum ſolennia celebrare debuiſſes, donec, quid ſit verius, diſcerneremus.

NOTA Quod ſimonia dicitur Hæreſis. Vide ſupra. Notab. 9.

CAPITVLVM VI.

Simoniacus eſt deponendus.

LVCIVS PAPA.

Sicut ſimoniacæ peſtis ſui magnitudine alios mor-

morbos vincit: ita ſine dilatione mox, vt eius ſigna per aliquam perſonam claruerint, de Eccleſia Dei debet eliminari, atque repelli.

SVpra Notab. 9. magnitudo huius criminis ſimoniæ oſtenſa eſt, propter quam ſpecialiter conceditur in hoc capitulo, vt in hoc crimine, ſicuti & in hæreſi per ſola ſigna procedatur, id eſt, per veriſimiles probationes. Nam regulariter in criminibus debent eſſe probationes luce clariores, 2. q. 8. Sciant cuncti. & C. de probat. canonica. l. 25. ſciant cuncti. Debent tamen indicia, & præſumptiones huiuſmodi eſſe euidentes, & apertæ, vt colligere eſt ex cap. Literas. de præſumpt. iuncta Gloſſa ſuper verbo vehementem, & ibi DD. & præcipuè Abbas num. 3. verſu. Nota quod ſuſpicio, Quanto (inquit) delictum grauius eſt, tanto vehementiores debent eſſe præſumptiones, quia vbi maius periculum vrgetur, ibi cautius eſt agendum, cap. vbi periculum. de elect. in 6. & facit l. famoſa. ff. ad Leg. Iul. Maieſt. quod etiam aduertit Gigas in tract. de crimine læſæ Maieſtatis. q. 29. num. 3.

CAPVT VII.

Simoniacum accuſare poteſt ſeruus, meretrix, criminoſi.

DEODA-

DEODATVS Papa.

Tanta eſt labes huius criminis, quod etiam ſerui aduerſus dominos, & quilibet criminoſi admittantur ad accuſationem. Item omnis peccator Miſſam cantare poteſt præter ſimoniacum, quem quilibet (vt ab ordine malè recepto remoueatur) accuſare poteſt: vel etiam meretrix.

NOta I. Caſum in quo ſeruus poteſt eſſe in iudicio, etiam ad accuſandum dominum, & eſt ſpeciale in ſimoniæ crimine, quia regulariter non poteſt. l. Vix certos. ff. de iudic.

Nota II. quod ſub diſpoſitione generali, qua criminoſi admittuntur ad actus generales, non comprehendi meretricem, niſi ſpecialiter de ea mentio fiat, vt indicat hic textus, & arg. l. quoniam Alexandrum. C. de adulter. & l. quæ adulterium.

QVÆSTIO.

An miſſa per quemlibet ſacerdotem peccatorem poſſit cantari, aut legi ſine peccato?

PRima *Concluſio.* Omnis ſacerdos Apoſtata, Hæreticus, excommunicatus, aut etiam degradatus, ſi ritè fuerit ordinatus, & ſeruet ea, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, verè conficit, & conſecrat, ſed irregularis efficitur. Hæc concl. communis eſt, & priorem quidem partē tradit manifeſtè D. Tho. p. 3. q. 83. art. 7. & 8.

& 8. Richard. in 4. d. 13. q. 1. Hales p. 3. q. 35. M. 6. & tota Theologorum ſchola, licet M. in 4. d. 13. & Gloſſ. in cap. Accedens. d. 50. non rectè contrarium videatur tenere. Poſteriorem verò partem tradunt Canoniſtæ plurimi. Prior pars probatur. Quia manet in illis poteſtas celebrandi. Nam manet character, qui eſt indelebilis, vt patet per Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. & in eo fundatur poteſtas conſecrandi. Vnde redeuntes Apoſtatas, Hæreticos, vel reſtitutos degradatos, non ordinat denuò Eccleſia, ſed tantummodo vſum poteſtatis impeditum reſtituit. Ergo Poſterior pars probatur, Quia quicunque ſuſpenſus aut excommunicatus exercet aliquem actum ordinis, eſt irregularis, Sed talis eſt omnis Apoſtata, Hæreticus, & Degradatus. Ergo. Maior conſtat ex cap. cum medicinalis. de ſentent. excommunic. in 6. & tenent Hoſtienſ. Ioan. Andr. Panormit. & alij. verbo Irregularis. §. 4. & Syl. eodem v. §. 13. Quod tamen limitandum, ſi tanquam clericus actum ordinis exercet, vt notant DD. & Felician. Schalenſis in Enchir. de cenſuris. cap. 10. de irregularitate. Item ſi excõmunicatio in qua celebrat ſit maior. Nam in minori locum non habet maior aſſumpta; vt conſtat ex cap. Si celebrat. extra. de cler. excomm. miniſtrant.

Secunda Concluſio. Sacerdos, qui cum conſciẽtia peccati mortalis celebrat, peccat mortaliter. Conſcientia peccati mortalis, eſt iudi-

cium

cium quodcunque ſiue aſſenſus, quo homo exiſtimat ſe eſſe in peccato mortali. Vnde cum conſcientia peccati mortalis celebrare dicitur. Primo, qui habet certitudinem, & euidentiam ſe eſſe in peccato mortali. Secundo, qui habet probabilem aſſenſum ſe eſſe in peccato mortali, cum formidine. Tertio, qui dubius eſt, An ſit peccatum mortale, quod fecit, nec ne, & hoc ex iuſta cauſa: Nam ſi iuſta cauſa deſit, ſcrupulus eſt. Concluſ. eſt Antonin. p.3.tit.17. cap.17. & D.Thom.p.3. q.64. art.6. & probatur per cap.Omnia. 1. q. 1. quia ſacramenta obſunt indignè tractantibus. II. Per Dionyſ. Areopag. cap. 1. de cœleſti Hierarch. Malis, inquit, non eſt fas tangere ſymbola, & ſacramenta; & deducitur ex B. Auguſt. cap. 20.lib.de vera, & falſa pœnit. & B. Cypr.ſerm. de lapſis, vbi citat illud Leuit. 17. Omnis immundus non manducabit ex illo. Et illud 1. Corinth.10. Non poteſtis calicem Domini bibere, & Dæmoniorum. III. Actio ſacramentalis non ſolum debet eſſe recta in ſe, ſed etiam ſecundum quod exit à miniſtro. Sed cum conſcientia peccati mortalis celebrans non diſcernit actionem ſacram à prophana, vt à ſe tanquam iniuſto exit. Ergo peccat tria peccata per oblationem, conſecrationem, & ſumptionem indignam committendo, aut ſaltem vnum, triplicem habens deformitatem.

Tertia Concluſio. Qui peccatum mortale

commi-

commiſit, & habita copia confeſſionis, ante confeſſionem ſacramentalem factam celebrat, quantumuis contritus ſibi videatur, peccat mortaliter. Hanc concluſ. poſui in Enchir. meo in titu. de ſacrament. Euchariſtiæ. cap. de præparatione, & diſpoſitione ad ſumptionem ſacramenti. Niſi quod præter eos, quos ibi citaui Scholaſticos, videre potes Chryſ. hom. 30. in Geneſ. & 10. in Matth. Cyprian. in ſerm. de lapſis. Anſelm. in 1. Corinth. 11. & Euſeb. hiſtor. Eccleſiaſticæ lib. 6. cap. 25. Præterea, quod hic notare licebit eſt iſtud, Illum præparatum dici ad dignè celebrandum, qui hæc tria præſtat. Primum eſt, vt firmo aſſenſu credat eſſe corpus Chriſti, quod in altari offert, illudque diſcernit ab alijs cibis veneratione debita. Secundo, vt probet ſeipſum, id eſt, diligenter conſideret, Num cor reprehendat eum alicuius peccati nondum remiſſi per ſacramentum pœnitentiæ, & num bonam voluntatem habeat obſequendi Deo. Tertio. Vt Dominicæ mortis commemorationem agat in communione cum debita gratiarum actione.

CAPVT VIII.

Simoniacum eſt pretium recipere pro ingreſſu religionis, pro prioratibus, vel capellis concedendis, vel pro prælatis inſtituendis.

tuendis, pro concedenda ſepultura, pro Chryſmate, pro oleo ſancto, pro benedictione nubentiũ, vel alijs ſacramentis, nec valet conſuetudo in contrarium. Hæc eſt ſumma huius & ſequentis cap.

ALEXANDER III. in Concilio Turon.

Non ſatis (& infra) Prohibemus igitur, ne ab ijs, qui ad religionem tranſire volunt, aliqua pecunia requiratur. Nec prioratus, vel capellaniæ quælibet monachorum, aut clericorum annua diſtractione vendantur. Nec ab eo, cui regimen ipſarum committitur, pro earum commiſſione vllum pretium exigatur. Vnde quiſquis contra hoc decretum attentare præſumpſerit, tam ille qui dederit, quam ille, qui receperit, vel conſenſerit, partem cum Simone non dubitet habiturum. Pro ſepultura quoq; & Chryſmatis, & olei receptione, nulla cuiuſquam pretij exactio attentetur: nec ſub obtentu cuiuſquam conſuetudinis reatũ ſuum quis tueatur: quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget.

PRo intelligentia c. inprimis ante oculos habendum, quod hinc colligitur ſtatum religionis eſſe quid ſpirituale. Quandoquidem eſt ſtatus ſpiritualis perfectionis. Vnde ſi quid pro ingreſſu in religionem detur, eſt ſimonia. Quod autẽ, & quomodo religio ſit ſtatus perfectionis, licet colligere ex ijs, quę tradiderunt S. Thom. & eius Commentatores. 2. 2. q. 186. maximę art. 1. & ſeq. per totam

quæſtionem. Et longè ante D. Chryſoſt. in tribus libris contra vituperatores vitæ monaſticæ. Ioan. Caſſian. in lib. de Inſtitutis Cœnobiorum. Baſil. S. Auguſt. & Benedictus in ſuis regulis. De qua re Deo volente, & vita comite latiſſimè agemus in commentario ſuper cap. 58. regulæ D. Benedicti.

Nota II. Simonia ſimiliter committitur, ſiue à principio temporis inſtitutionis aliquid temporale ex pacto detur, ſiue annua pars redituum conſtituatur. Nam annua pars redituum vtique eſt pretio æſtimabilis.

Nota III. Iudex Eccleſiaſticus, aut quicunque alius, ad quem de iure, vel conſuetudine ſpectat committere regimen animarum, nihil temporale poteſt exigere pro commiſſione, aut decreto commiſſionis: cum commiſſio regiminis ſit quid ſpirituale, procedens à poteſtate ſupernaturali, & tendens ad finem ſupernaturalem. Facit ad hoc text. ibi. pro earum commiſſione vllum pretium exigatur.

Nota IV. Tam recipiens temporale, quam dans, & conſentiens, ſiue mediatores inuoluuntur vitio ſimoniæ. Ad hoc inſeruiunt tex. & DD. in cap. Per inquiſitionem de elect. & c. cum ſuper. de confeſſis. Et rectè quidem: Quandoquidem, vt dicit Florianus, ſi non eſſet qui reciperet, non eſſet qui daret, nec è contra: & agentes etiam & conſentientes pari pœna conſtringuntur. cap. 1. de offic. deleg. & cap. Quanto. de ſent. excommunicat.

Nota

Nota V. Nulla conſuetudo excuſat in ſimoniacis: & quo diuturnior, eo peior, quia temporis diuturnitas non diminuit, ſed auget peccatum. Tantò enim grauiora ſunt peccata, quanto diutius infœlicem animam detinent. allegatum cap. fin. de conſuetud. & cap. Proximo.

Poſtremò cum Gloſſ. fin. Notandæ duæ bonæ theoricæ, & practicæ conficiendi inſtrumentum, quando aliqua puella in monialem recipitur. Primò vt non detur aliquid ex pacto, ſed purè pro deuotione ſua ipſa puella, vel eius pater offerat monaſterio aliquid. Secunda, vt ſi hoc contingat ex defectu facultatis redituũ monaſterij, per viam cuiuſdam proteſtationis, ſiue intimationis, dicatur volenti intrare, vt ſecum aliquid portet, vnde poſſit viuere: non autem debet duci in pactum. Sed de his latius in q. 1. horum cap. pertractabitur.

CAPVT IX.

Summatum eſt ſupra in cap. præcedenti.

Ex Concilio Lateranenſi.

Cum in Eccleſiæ corpore (& infra) Horribile nimis eſt, quod in quibuſdam Ecclesijs locum venalitas perhibetur haberi, & vt pro Epiſcopis, vel Abbatibus, ſeu quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in ſedem, ſiue introducendis presbyteris in Eccleſia, nec non & pro ſepulturis, & exequijs mortuorum,

Digitized by Google

tuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu alijs ſacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa inualuiſſe conſuetudine arbitrantur non attendentes, quod tanto grauiora ſunt crimina, quanto diutius infœlicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis ſedem, vel ſacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu benedicendis nubentibus, ſeu alijs ſacramentis, ſeu collatis aliquid exigatur, diſtrictius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe nouerit habiturum.

HOc cap. deſumptum eſt ex Concilio Lateranenſi ſub Alexand. III. c. 7. & 8. His cap. ſimile ferè habetur in Synodo Romana c. 2. celebrata ab Innocen. II. inſertũ à Gratian. c. fin. 1. q. 3. ſub his verbis. *Si quis præbendas, vel prioratum, ſeu decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu quodlibet ſacramentum Eccleſiaſticum, vtpote Chriſma, vel oleum ſanctum, & conſecrationes altarium, vel Eccleſiarum interueniente execrabili ardore auaritiæ, per pecuniam comparauerit, honore malè acquiſito careat, & emptor, atque venditor, & interuentor nota infamiæ percellantur: & nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicuius conſuetudinis, ante, vel poſt à quoquam aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat, quoniam ſimoniacum eſt: ſed liberè, & abſque diminutione aliqua, collata ſibi dignitate, atque beneficio perfruatur.*

Notan-

Notandum ſecundo loco circa Gloſſ. in verbo benedictionibus nubentium, quod non eſt recepta quantũ ad hoc, ſed erronea: quod matrimonium non conferat gratiam, ideoque pro eo contrahendo poſſit accipi pecunia, licet non pro benedictione nuptiarum. Similis Gloſſ. eſt in d. cap. fin. & in cap. Alma mater, verb. Sacramentis, de ſentent. excommunic. in 6. & Durand. in 4. d. 26. quæſt. 3. etiam ſentit matrimonium non eſſe cauſam gratiæ. Meminit & D. Bonauent. huius opinionis in eadem d. dum ait: quod quidam dixerunt, quod ſacramentum iſtud non conferat gratiam, & ad auctoritatem dicentium ſacramenta nouæ legis gratiam dare, reſponderunt hoc eſſe intelligendum de Sacramentis in noua lege inſtitutis, & ita, ait, non eſſet remedium in efficaciam, ſed per indulgentiam, non concupiſcentiam minueret ſimpliciter, & ſecundum habitum, ſed ſecundum indulgentiam, & actum, ita vt non vrat iuxta illud Pauli: Melius eſt nubere, quam vri. Porrò Gloſſæ opinio etiam rectè à Diuo Bonauentura confutatur, dum videtur innuere, quod benedictionis ratione, in matrimonio gratia detur: Primo quoniam benedictio illa eſt quid ſacramentale, ſacramentum autem eſt efficacius ad dandam gratiam, quam ſacramentale. His accedit, quod benedictio non datur in ſecundis nuptijs: at in ſecundis

nuptijs matrimonium etiam eſt ſacramentum, & cauſa gratiæ. Sed nunc non eſt in ea re dubium, propter Concilium Tridentinum, ſeſſ. 7. de ſacramentis in genere. can. 6. 7. & 8. in quibus determinatur, omnia ſacramenta nouæ legis continere gratiam, quam ſignificant, eamque conferre non ponentibus obicem, & expreſſius in ſeſſ. 24. in principio. de matrimonio. can. 1. Quod etiam antea tradiderunt S. Thom. Bonauent. Richard. Paludan. & alij communiter in diſt. 26. & Alphonſus Caſtrenſ. in lib. aduerſus hæreſes. verb. nuptiæ. & nunc eruditiſſimè probat Robertus Bellarmin. illuſtris Societatis IESV illuſtriſſimum lumen. tom. 2. controuerſ. & canonum periti. Præpoſitus; Cardinal. Hoſtien. & alij, in Rubrica, de ſponſalibus. Ioannes Andreas in cap. 1. de ſacra vnctione. Panormit: & alij quidam in hoc cap. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 22. num. 20. Didac. Couarr. in epit. in 4. decretali de matrimon. part. 2. cap. 1. §. vnico. num. 3. An autem, & quomodo ſine ſimonia, pecunia in matrimonio dari poſſit, infra demonſtrabitur.

III. Nomine ſacramentorum aliquando largè omnia ſpiritualia, & ſacramentalia intelliguntur, vt colligitur ex text. huius cap. ibi. benedictionibus nubentium, ſeu alijs ſacramentis. Gloſſ. in cap. fin. 1. quæſt. 3. Panormit. & Anton. in hoc capite.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An & quomodo committatur ſimonia circa ingreſſum religionis?

PRima Concluſio. Pro ingreſſu religionis, & receptione ad ſtatum monaſticum, ſeu etiam ad habitum, accipere pecuniam, aut aliud quidpiam, temporali pretio dignum, eſt ſimonia. Hanc concluſ. tenent omnes DD. Theologi, Iuriſperiti, & Decretiſtæ. S. Thom. 2.2. quæſt. 100. art. 3. ad 4. & eius commentatores ibid. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 18. Angel. in verb. Simonia 4. Syluestr. Summa Piſanella. Aurea Armill. & alij in eod. verb. Latiſſimè. Dionyſius Carthuſ. lib. 1. & 2. de ſimonia. qui libri habentur in tomo 1. ſuorum operum minorum. Dominicus Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 6. art. vlt. ad 4. Victoria in relect. de ſimonia. 2. part. num. 12. Canonum periti in can. allegandis. Cardinal. Alexandr. Archid. Turrecrem. & alij decretorum DD. 1. q. 2. c. Quam pio, & alibi. Nunc probatur concluſio in primis ex d. cap. Quam pio, quod quia pulchrum eſt, aptumque huic materiæ, placuit totum hic inſerere. Eſt autem Bonifacij Papæ ad omnes Caralitanæ Eccleſiæ cœnobitas. *Quam pio, inquit, mentis affectu, fratres chariſſimi, veſtræ deſtitutioni* Romana *compatiatur* Eccleſia, *vobis fortaſſis eſt incognitum, ſed cognitori omnium non incognitum habetur. Dubitationi autem veſtræ, quod ido-*

neum demus reſponſum, Deum teſtificor, ipſa quoque dubitatio me reddit anxium, & ineptum. Nuſquam enim legimus Domini diſcipulos miniſterio conuerſos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interuentu prouocaſſe, niſi fortè de pauperum alimento quis inconcinnè proponat: quorum nulli, cuiuſcunque profeßionis eſſet, victualia negabantur. Scimus equidem, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, à quo bonæ voluntatis donum accipit, qui ſancto deliberationis arbitrio gratis Deo ſeruire diſponit. Reſtat ergo, vt qui pro aliqua Eccleſiaſtica ſuſceptione munus accipit, donum Dei, quod à Patre luminum deſcendere debuit, vendat: munus autem largiens importunus emat. Quid autem de diuini doni venditoribus, & emptoribus conſequatur, concludi neceſſe non eſt. Cauete ergo fratres, quam ſit ambiguum, quod petiſtis conſilium: quod quidem ſecundum veſtræ voluntatis propoſitum, nulla inuenimus ratione confirmatum. Veruntamen ſi veſtræ neceßitati adeò eſt opportunus, quem reperiſtis, dum tamen omnis abſit punctio, omnis ceſſet conuentio, nullaque veſtræ Eccleſiæ fiat diſtractio, accedat gratis, Deo ſeruire incipiat, ſuique regiminis deuotè geſtet obſequium: & poſtmodum vos, quaſi ſubſidij gratia, aliqua ſuæ Eccleſiæ munera largiri fratrum ſolatio Romana permittit Eccleſia. Hæc ibi.

Sunt etiam in hoc tit. multi can. d. c. non ſanè. & infra cap. Veniens. & cap. de regularibus. & in Extrauag. Vrbani V. in tit. de Simonia,

quæ

quæ incipit, Sanè ne in vinea Domini. Ratio etiam eſt clara. Status Religionis eſt res ſpiritualis. Ergo non eſt licitum pro eo aliquid temporale ſoluere, à definitione ſimonię. Antecedens conſtat ex ſuperioribus, & à nullo Catholico negari poteſt. Ad euitandam hanc in receptione ad religionem ſimoniam, Carthuſienſis ordo diſtrictum adhibuit ſtatutum relatum à Dionyſio Richel eiuſdem profeſſionis, lib. 1. art. 16. in hunc modum. A nouitijs nec veſtis, nec aliud exigatur. Si Prior exegerit, ſit extra ſedem quadraginta diebus, & totidem faciat abſtinentias ſine miſericordia infra ſex menſes. Si procurator, vel alius exegerit, ſit per quadraginta dies nouitius, & totidem in capitulo recipiat diſciplinas Prioratum quoque prior, & procurationem procurator amittat, ſi eis ſcientibus exactio iam venerit ad effectum. Nullus etiam noſtrum de rebus nouitij aliquid poſtulet, nec ad procurationem aliquam faciendam, nouitius inſtruatur ab aliquo noſtrum. Inſuper prohibemus vicarijs, & prioiſſis, atque conuentibus monialium, de cætero ne recipiant in ſorores, niſi quot de onis monaſterij poterunt ſine penuria ſuſentari, nec aliquam ſub cuiuſcunque commodi velamine recipiant, donec locus vauerit, nec propter munera, vel etiam romiſſa aliqua præſumant perſonam recipere, ne vitium committant Simoniæ.
Memo-

Memorabile eſt & illud D. Hieronymi in ſua regula, & in allatam à Dionyſio in d. art. 16. Sic enim (ait Hieron.) Deteſtabilem hæreſin ſimoniæ, quam communi prauitate diaboli, moniales aſſuetæ committunt, etiam in auditu horreat veſtra ſocietas. Giezi & Simonis vos terreat prauitas. Vox Petri Vicarij Chriſti nunquam exeat de auribus veſtris: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, exiſtimas enim donum Dei, haberi pecunia. Communis mercatorum vſus habet, vt venditio commutetur in melius. Aſſerit namque ſimoniacus pecuniam eſſe præſtantiorem dono Dei, cum illud commutat in ipſam. Ad vos venientes ſorores, ad Chriſti ſuſcipite nuptias gratis. Præponatur ſanctitas pecuniæ: exquiratur bonitas vitæ, non generoſitas carnis, non vtilitas mundi. Nulla omninò pactio, nulla opinio, æſtimatio, ſeu intentio de pecunia danda præueniat, & receptionem præcedat, quæ pactio, ſiue opinio, puritatem mentis perturbat, &c. Hæc Hieron.

Dubium hoc in loco à DD. mouetur: An quando monaſterium eſt ita tenue in reditibus, vt non ſufficiat niſi pro certo numero, vltra quem plures cupiunt recipi, liceát recipere, aut exigere etiam ex pacto, pro ſuſtentatione perſonæ.

Dubium hoc maximè initium ſumpſit à praxi monaſteriorum quarundam monialium, quę ante ingreſſum ſolent petere pro ſuſtentatione, ex cauſa, quod non habeant neceſſaria

ceſſaria pro neceſſitate plurium. Dionyſius Carthuſianus lib. 1. & 2. de ſimonia latiſſimè impugnat affirmantem partem. Allegat pro ſe ſummam Roſellæ. & S. Antonin. & ſupplementum. S. Antonin. autem 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 18. nihil facit pro hac opinione. Dicit enim communem eſſe tutiorem, & penè omnium eſſe ſententiam, quod pro ingreſſu monaſterij de temporalibus nihil ex pacto liceat accipere, quod non eſt contra affirmantem ſententiam, ſed confirmat concluſionem ſupra poſitam. Sit ergo

Secunda Concluſio. Quando monaſterium monialium eſt tenue in reditibus, nec poteſt plures ſuſtentare, quam habeat, ſi plures petant ingreſſum, poteſt exigere tantum, etiam & ex pacto conuenire, quantum neceſſarium ad alimenta congrua, & neceſſaria ſtatui perſonæ, pro ſua vocatione, modo adſit recta intentio cum ſignificatione & proteſtatione, quod non accipiatur, niſi pro ſuſtentatione. Hæc eſt communis apud DD. & eam ſequuntur 2. 2. quæſt. 100. art. 3. ad 4. & in 4. d. 25. q. 2. art. 2. & ei adhærent in d. art. 3. Caietan. & Petrus de Aragon. ibidem. Gregor. de Valentia in ead. q. puncto 2. in 3. q. Franciſcus de Victoria in 2. part. relect. de ſimonia. nnm. 12. qui fatetur eſſe communem. Dominicus Soto lib. 9. de iuſtit. & iure. quæſt. 6. art. 2. ad 4. Angel. vir miraculis clarus in verb. Simonia 4. ait. Sed tu, inquit, in conſcientia tene opinionem Thomæ in ſumma, quod pro ingreſſu monaſterij non licet

quæſtionem. Et longè ante D. Chryſoſt. in tribus libris contra vituperatores vitæ monaſticæ. Ioan. Caſſian. in lib. de Inſtitutis Cœnobiorum. Baſil. S. Auguſt. & Benedictus in ſuis regulis. De qua re Deo volente, & vita comite latiſſimè agemus in commentario ſuper cap. 58. regulæ D. Benedicti.

Nota II. Simonia ſimiliter committitur, ſiue à principio temporis inſtitutionis aliquid temporale ex pacto detur, ſiue annua pars redituum conſtituatur. Nam annua pars redituum vtique eſt pretio æſtimabilis.

Nota III. Iudex Eccleſiaſticus, aut quicunque alius, ad quem de iure, vel conſuetudine ſpectat committere regimen animarum, nihil temporale poteſt exigere pro commiſſione, aut decreto commiſſionis: cum commiſſio regiminis ſit quid ſpirituale, procedens à poteſtate ſupernaturali, & tendens ad finem ſupernaturalem. Facit ad hoc text. ibi. pro earum commiſſione vllum pretium exigatur.

Nota IV. Tam recipiens temporale, quam dans, & conſentiens, ſiue mediatores inuoluuntur vitio ſimoniæ. Ad hoc inſeruiunt tex. & DD. in cap. Per inquiſitionem de elect. & c. cum ſuper. de confeſſis. Et rectè quidem. Quandoquidem, vt dicit Florianus, ſi non eſſet qui reciperet, non eſſet qui daret, nec contra: & agentes etiam & conſentientes pari pœna conſtringuntur. cap. 1. de offic. deleg. & cap. Quanto. de ſent. excommunicat.

Not

Nota V. Nulla conſuetudo excuſat in ſimoniacis: & quo diuturnior, eo peior, quia temporis diuturnitas non diminuit, ſed auget peccatum. Tantò enim grauiora ſunt peccata, quanto diutius infœlicem animam detinent. allegatum cap. fin. de conſuetud. & cap. Proximo.

Poſtremò cum Gloſſ. fin. Notandæ duæ bonæ theoricæ, & practicæ conficiendi inſtrumentum, quando aliqua puella in monialem recipitur. Primò vt non detur aliquid ex pacto, ſed purè pro deuotione ſua ipſa puella, vel eius pater offerat monaſterio aliquid. Secunda, vt ſi hoc contingat ex defectu facultatis redituũ monaſterij, per viam cuiuſdam proteſtationis, ſiue intimationis, dicatur volenti intrare, vt ſecum aliquid portet, vnde poſſit viuere: non autem debet duci in pactum. Sed de his latius in q. 1. horum cap. pertractabitur.

CAPVT IX.

Summatum eſt ſupra in cap. præcedenti.

Ex Concilio Lateranenſi.

Cum in Eccleſiæ corpore (& infra) Horribile nimis eſt, quod in quibuſdam Ecclesijs locum venalitas perhibetur haberi, & vt pro Epiſcopis, vel Abbatibus, ſeu quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in ſedem, ſiue introducendis presbyteris in Eccleſia, nec non & pro ſepulturis, & exequijs mortuorum,

tuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu alijs ſacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa inualuiſſe conſuetudine arbitrantur non attendentes, quod tanto grauiora ſunt crimina, quanto diutius infœlicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis ſedem, vel ſacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu benedicendis nubentibus, ſeu alijs ſacramentis, ſeu collatis aliquid exigatur, diſtrictius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe nouerit habiturum.

HOc cap. deſumptum eſt ex Concilio Lateranenſi ſub Alexand. III. c.7. & 8. His cap. ſimile ferè habetur in Synodo Romana c.2. celebrata ab Innocen. II. inſertũ à Gratian. c.fin.1.q.3. ſub his verbis. *Si quis præbendas, vel prioratum, ſeu decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu quodlibet ſacramentum Eccleſiaſticum, vtpote Chriſma, vel oleum ſanctum, & conſecrationes altarium, vel Eccleſiarum interueniente execrabili ardore auaritiæ, per pecuniam comparauerit, honore malè acquiſito careat, & emptor, atque venditor, & interuentor nota infamiæ percellantur: & nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicuius conſuetudinis, ante, vel poſt à quoquam aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat, quoniam ſimoniacum eſt: ſed liberè, & abſque diminutione aliqua, collata ſibi dignitate, atque beneficio perfruatur.*

Notan-

Notandum ſecundo loco circa Gloſſ. in verbo benedictionibus nubentium, quod non eſt recepta quantũ ad hoc, ſed erronea: quod matrimonium non conferat gratiam, ideoque pro eo contrahendo poſſit accipi pecunia, licet non pro benedictione nuptiarum. Similis Gloſſ. eſt in d. cap. fin. & in cap. Alma mater, verb. Sacramentis, de ſentent. excommunic. in 6. & Durand. in 4. d. 26. quæſt. 3. etiam ſentit matrimonium non eſſe cauſam gratiæ. Meminit & D. Bonauent. huius opinionis in eadem d. dum ait: quod quidam dixerunt, quod ſacramentum iſtud non conferat gratiam, & ad auctoritatem dicentium ſacramenta nouæ legis gratiam dare, reſponderunt hoc eſſe intelligendum de Sacramentis in noua lege inſtitutis, & ita, ait, non eſſet remedium in efficaciam, ſed per indulgentiam, non concupiſcentiam minueret ſimpliciter, & ſecundum habitum, ſed ſecundum indulgentiam, & actum, ita vt non vrat iuxta illud Pauli: Melius eſt nubere, quam vri. Porrò Gloſſæ opinio etiam rectè à Diuo Bonauentura confutatur, dum videtur innuere, quod benedictionis ratione, in matrimonio gratia detur: Primo quoniam benedictio illa eſt quid ſacramentale, ſacramentum autem eſt efficacius ad dandam gratiam, quam ſacramentale. His accedit, quod benedictio non datur in ſecundis nuptijs: at in ſecundis

nuptijs matrimonium etiam eſt ſacramentum, & cauſa gratiæ. Sed nunc non eſt in ea re dubium, propter Concilium Tridentinum, ſeſſ. 7. de ſacramentis in genere. can. 6. 7. & 8. in quibus determinatur, omnia ſacramenta nouæ legis continere gratiam, quam ſignificant, eamque conferre non ponentibus obicem, & expreſſius in ſeſſ. 24. in principio. de matrimonio. can. 1. Quod etiam antea tradiderunt S. Thom. Bonauent. Richard. Paludan. & alij communiter in diſt. 26. & Alphonſus Caſtrenſ. in lib. aduerſus hæreſes. verb. nuptiæ. & nunc eruditiſſimè probat Robertus Bellarmin. illuſtris Societatis IESV illuſtriſſimum lumen. tom. 2. controuerſ. & canonum periti. Præpoſitus; Cardinal. Hoſtien. & alij, in Rubrica, de ſponſalibus. Ioannes Andreas in cap. 1. de ſacra vnctione. Panormit. & alij quidam in hoc cap. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 22. num. 20. Didac. Couarr. in epit. in 4. decretali de matrimon. part. 2. cap. 1. §. vnico. num. 3. An autem, & quomodo ſine ſimonia, pecunia in matrimonio dari poſſit, infra demonſtrabitur.

III. Nomine ſacramentorum aliquando largè omnia ſpiritualia, & ſacramentalia intelliguntur, vt colligitur ex text. huius cap. ibi. benedictionibus nubentium, ſeu alijs ſacramentis. Gloſſ. in cap. fin. 1. quæſt. 3. Panormit. & Anton. in hoc capite.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An & quomodo committatur ſimonia circa ingreſſum religionis?

P*Rima Concluſio. Pro ingreſſu religionis, & receptione ad ſtatum monaſticum, ſeu etiam ad habitum, accipere pecuniam, aut aliud quidpiam, temporali pretio dignum, eſt ſimonia.* Hanc concluſ. tenent omnes DD. Theologi, Iuriſperiti, & Decretiſtæ. S. Thom. 2.2. quæſt. 100. art. 3. ad 4. & eius commentatores ibid. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 18. Angel. in verb. Simonia 4. Sylueſt. Summa Piſanella. Aurea Armill. & alij in eod. verb. Latiſſimè. Dionyſius Carthuſ. lib. 1. & 2. de ſimonia. qui libri habentur in tomo 1. ſuorum operum minorum. Dominicus Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 6. art. vlt. ad 4. Victoria in relect. de ſimonia. 2. part. num. 12. Canonum periti in can. allegandis. Cardinal. Alexandr. Archid. Turrecrem. & alij decretorum DD. 1. q. 2. c. Quam pio, & alibi. Nunc probatur concluſio in primis ex d. cap. Quam pio, quod quia pulchrum eſt, aptumque huic materiæ, placuit totum hic inſerere. Eſt autem Bonifacij Papæ ad omnes Caralitanæ Eccleſiæ cœnobitas. *Quam pio, inquit, mentis affectu, fratres chariſſimi, veſtræ deſtitutioni Romana compatiatur Eccleſia, vobis fortaſſis eſt incognitum, ſed cognitori omnium non incognitum habetur. Dubitationi autem veſtræ, quod ido-*

neum demus reſponſum, Deum teſtificor, ipſa quoque dubitatio me reddit anxium, & ineptum. Nuſquam enim legimus Domini diſcipulos miniſterio conuerſos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interuentu prouocaſſe, niſi fortè de pauperum alimento quis inconcinnè proponat: quorum nulli, cuiuſcunque profeſſionis eſſet, victualia negabantur. Scimus equidem, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, à quo bonæ voluntatis donum accipit, qui ſancto deliberationis arbitrio gratis Deo ſeruire diſponit. Reſtat ergo, vt qui pro aliqua Eccleſiaſtica ſuſceptione munus accipit, donum Dei, quod à Patre luminum deſcendere debuit, vendat: munus autem largiens importunus emat. Quid autem de diuini doni venditoribus, & emptoribus conſequatur, concludi neceſſe non eſt. Cauete ergo fratres, quam ſit ambiguum, quod petiſtis conſilium: quod quidem ſecundum veſtræ voluntatis propoſitum, nulla inuenimus ratione confirmatum. Veruntamen ſi veſtræ neceſſitati adeò eſt opportunus, quem reperiſtis, dum tamen omnis abſit punctio, omnis ceſſet conuentio, nullaque veſtræ Eccleſiæ fiat diſtractio, accedat gratis, Deo ſeruire incipiat, ſuique regiminis deuotè geſtet obſequium: & poſtmodum vos, quaſi ſubſidij gratia, aliqua ſuæ Eccleſiæ munera largiri fratrum ſolatio Romana permittit Eccleſia. Hæc ibi.

Sunt etiam in hoc tit. multi can. d. c. non ſanè. & infra cap. Veniens. & cap. de regularibus. & in Extrauag. Vrbani V. in tit. de Simonia, quæ

quæ incipit, Sanè ne in vinea Domini. Ratio etiam eſt clara. Status Religionis eſt res ſpiritualis. Ergo non eſt licitum pro eo aliquid temporale ſoluere, à definitione ſimonię. Antecedens conſtat ex ſuperioribus, & à nullo Catholico negari poteſt. Ad euitandam hanc in receptione ad religionem ſimoniam, Carthuſienſis ordo diſtrictum adhibuit ſtatutum relatum à Dionyſio Richel eiuſdem profeſſionis, lib. 1. art. 16. in hunc modum. A nouitijs nec veſtis, nec aliud exigatur. Si Prior exegerit, ſit extra ſedem quadraginta diebus, & totidem faciat abſtinentias ſine miſericordia infra ſex menſes. Si procurator, vel alius exegerit, ſit per quadraginta dies nouitius, & totidem in capitulo recipiat diſciplinas Prioratum quoque prior, & procurationem procurator amittat, ſi eis ſcientibus exactio iam venerit ad effectum. Nullus etiam noſtrum de rebus nouitij aliquid poſtulet, nec ad procurationem aliquam faciendam, nouitius inſtruatur ab aliquo noſtrum. Inſuper prohibemus vicarijs, & prioriſſis, atque conuentibus monialium, de cætero ne recipiant in ſorores, niſi quot de bonis monaſterij poterunt ſine penuria ſuſtentari, nec aliquam ſub cuiuſcunque commodi velamine recipiant, donec locus vacauerit, nec propter munera, vel etiam promiſſa aliqua præſumant perſonam recipere, ne vitium committant Simoniæ.

Memo-

Digitized by Google

Memorabile eſt & illud D. Hieronymi in ſua regula, & in allatam à Dionyſio in d. art. 16. Sic enim (ait Hieron.) Deteſtabilem hæreſin ſimoniæ, quam communi prauitate diaboli, moniales aſſuetæ committunt, etiam in auditu horreat veſtra ſocietas. Giezi & Simonis vos terreat prauitas. Vox Petri Vicarij Chriſti nunquam exeat de auribus veſtris: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, exiſtimas enim donum Dei, haberi pecunia. Communis mercatorum vſus habet, vt venditio commutetur in melius. Aſſerit namque ſimoniacus pecuniam eſſe præſtantiorem dono Dei, cum illud commutat in ipſam. Ad vos venientes ſorores, ad Chriſti ſuſcipite nuptias gratis. Præponatur ſanctitas pecuniæ: exquiratur bonitas vitæ, non generoſitas carnis, non vtilitas mundi. Nulla omninò pactio, nulla opinio, æſtimatio, ſeu intentio de pecunia danda præueniat, & receptionem præcedat, quæ pactio, ſiue opinio, puritatem mentis perturbat, &c. Hæc Hieron.

Dubium hoc in loco à DD. mouetur: An quando monaſterium eſt ita tenue in reditibus, vt non ſufficiat niſi pro certo numero, vltra quem plures cupiunt recipi, liceat recipere, aut exigere etiam ex pacto, pro ſuſtentatione perſonæ.

Dubium hoc maximè initium ſumpſit à praxi monaſteriorum quarundam monialium, quę ante ingreſſum ſolent petere pro ſuſtentatione, ex cauſa, quod non habeant neceſſaria

ceſſaria pro neceſſitate plurium. Dionyſius Carthuſianus lib. 1. & 2. de ſimonia latiſſimè impugnat affirmantem partem. Allegat pro ſe ſummam Roſellæ. & S. Antonin. & ſupplementum. S. Antonin. autem 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 18. nihil facit pro hac opinione. Dicit enim communem eſſe tutiorem, & penè omnium eſſe ſententiam, quod pro ingreſſu monaſterij de temporalibus nihil ex pacto liceat accipere, quod non eſt contra affirmantem ſententiam, ſed confirmat concluſionem ſupra poſitam. Sit ergo

Secunda Concluſio. Quando monaſterium monialium eſt tenue in reditibus, nec poteſt plures ſuſtentare, quam habeat, ſi plures petant ingreſſum, poteſt exigere tantum, etiam & ex pacto conuenire, quantum neceſſarium ad alimenta congrua, & neceſſaria ſtatui perſonæ, pro ſua vocatione, modo adſit recta intentio cum ſignificatione & proteſtatione, quod non accipiatur, niſi pro ſuſtentatione. Hæc eſt communis apud DD. & eam ſequuntur 2. 2. quæſt. 100. art. 3. ad 4. & in 4. d. 25. q. 2. art. 2. & ei adhærent in d. art. 3. Caietan. & Petrus de Aragon. ibidem. Gregor. de Valentia in ead. q. puncto 2. in 3. q. Franciſcus de Victoria in 2. part. relect. de ſimonia. nnm. 12. qui fatetur eſſe communem. Dominicus Soto lib. 9. de iuſtit. & iure. quæſt. 6. art. 2. ad 4. Angel. vir miraculis clarus in verb. Simonia 4. ait. Sed tu, inquit, in conſcientia tene opinionem Thomæ in ſumma, quod pro ingreſſu monaſterij non licet

licet aliquid recipere, vel exigere, quaſi pretium, ſed pro victu perſonæ recipiendæ licet aliquid recipere, ſi non ſufficiant opes ad hoc monaſterij. Deinde ex ſententia Rod. adijcit, quod non eſt in hoc caſu ſimoniacum paciſci, dummodo non fiat pro ſpiritualibus conferendis, ſed pro expenſis faciendis, vel recompenſandis, & ſic licet etiam exprimere nomina, & quantitatem muneris: & placet, inquit, Angelus mihi, quoad conſcientiam. Summa Piſanella verb. Simonia 6. allegat etiam Raymund. & Guilhelm. dicentes, quod ſi recipiendus promittat annuatim in vita ſua tantum pro expenſis, non eſt illicitum. Syl- ueſt. in eodem verb. quæſt. 15. qui allegatis pluribus alijs Doctoribus, vt Vlder. Tancredo. Vincent. Raymund. & Hoſtienſ. alijſque tandem concludit. *Et reuera ſi intentio ſit pura, laudabile eſt exigere à volentibus ingredi victum, quando monaſterium numerum maiorem non poteſt commodè ſuſtentare, quia dilatatur Dei cultus, & ſeruorum eius numerus augetur.* Aurea Armilla in eodem verb. num. 50. Nauarr. in tract. de benefic. Eccleſiaſt. quęſt. 1. nu. 100. & in Apolog. eiuſdem libri. monit. 84. qui teſtatur in Hiſpanijs hoc vſu receptum, & quod ſic aut nunquam, aut difficilè ſententia Dionyſij approbabitur apud eos. Coſmus Philiarcus tom. 2. de offic. ſacerdot. lib. 6. cap. 7. & alij alibi. *Pro huius Concluſionis maiori intelligentia obſeruandum,* quod ſtatus Religionis aliquo modo eſt

ſimilis

ſimilis ſtatui clericatus, quantum ad receptionem, ſiue ingreſſum, & ad ius ſuſtentationis. Eccleſia enim ita erga omnes caritate afficitur, quod cunctos muneri Eccleſiaſtico aptos, & vtiles vellet clericatu inſignire, & ad ordines promouere, ſed quia omnibus non poteſt prouidere de neceſſarijs ad victum, ac amictum ex beneficijs, admittit etiam alias idoneos modo habeant, vnde viuant, ſicque ordinat habentes ſufficiens patrimonium. Sic itidem Religio omnes perſonas idoneas volentes ingredi, libenter amplecteretur pro ſua poſſibilitate, ſed quia poſſeſſiones facultateſque monaſterij non ſufficiunt omnibus, expleto ſuo numero, alijs cupientibus ingredi ſignificat, vt ſi viuere cum illis velint in religione, ſecum portent, vnde vitæ ſuſtentandæ prouiſum ſit, & ſic in receptione id, quod exigitur, & ſuppeditatur, non reſpicit religionis ingreſſum, ſed ingredientium victum. Aptius ad propoſitum adferri poteſt ſimile de matrimonio carnali, à quo validum argumentum ſumitur in ordine ad ſpirituale, id eſt, ſtatum religionis, adeoque à pari procedunt cap. Sicut vir. 7. quæſt. 1. Marſilius in ſingul. 215. incip. Validum eſt. num. 1. Iacobinus de S. Georgio in tract. feudorum. in verb. Qui quidem inueſtiti præſtiterunt iuramentum, &c. propè finem. cap. Tuæ. de ſponſ. Ioann. Imolen. repet. Boërius in deciſ. 126. incip. & in dicto proceſſu aliud fuit ortum dubium, &c. num. 12.

Andreas

Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 94. num. 16. In matrimonio conſiderari poteſt ratio ſacramenti, vnioque perſonarum in Chriſto, & Eccleſia: & item onus matrimonij, ſcilicet ſuſtentatio perſonæ, atq; prolium ſequentium. Nihil autem quando duo contrahunt, ſoluitur pro ſacramento, quia vtique ſimonia eſſet ſecundum communem Theologorum mentem. At pro onere matrimonij, & alimentis dos perſoluitur, etiam ex pacto, conuentioneque, nec vlla, vt apud omnes conſtātiſſima eſt confeſſio, ſimonia committitur. Eodem modo in matrimonio ſpirituali: quando in Chriſto quis nubit, ſtatus religionis eſt quid ſpirituale, pro quo qui pretium exigeret, aut ſolueret, ſimoniacus eſſet: at neceſſitate vrgente dare aliquid pro neceſſaria ſuſtentatione perſonæ, cum non ſit quid ſpirituale, ſed corporale, non eſt ſimoniacum, ideoque ad ſimilitudinem carnalis matrimonij etiam dos appellatur, quod ad illum effectum præſtatur. Hinc ſolemnis eſt illa DD. ſententia, quod ſubditi per collectas teneantur iuuare dominum ſuum, pro dotanda filia ingrediente religionem. Felin. in cap. Eccleſia S. Mariæ. colum. 27. de conſtitut. Thom. Parpalea in l. Placet. num. 16. C. de ſacroſancta Eccleſia. Guilhelmus Benedictus in cap. Raynutius, de Teſtament. in verb. Dotem, quam ei dederat. in princip. 3. & 4. col. num. 164. Albert. Brunus in tract. de ſtatu fœminarum. art. 6. & 9.

6.& 9.principali. Boërius & Gaill.loco citato. Imò dos debetur ita intranti religionẽ, ſicuti nubenti. Ex hac radice ſumi poteſt iudicium de monaſterijs quarundam monialium in noſtris partibus, vbi moniales habent nudum victum, id eſt, cibum, & potum, & parentes, vel amici tenentur annuatim quid certi pro veſtibus offerre, vbi talis conſuetudo eſt, non erit ſimonia, ſi in initio ingreſſus fiat conuentio, quantum ſingulis annis numerandum ſit pro veſtibus. Sicut enim ob inopiam monaſterij poterit conſtitui certa, & ſufficiens dos pro alimentis, ſcilicet victu, & veſtitu: ita etiam quando monaſterium ob grauamen, & egeſtatem, tantum eſt ſufficiens ad præſtandum cibum, & potum, non eſt inconueniens, quod certa dos pro veſtibus conſtituatur: veſtimenta enim ſub alimentis continentur. l. legatis alimentis. ff. de verbor. ſignificat. Sic qui tenetur præſtare alimenta, etiam neceſſaria veſtimenta haud denegare poteſt. Ex dictis infero cum Petro de Aragon. in 2. 2. S. Thomæ. q. 100. art. 3. circa ſolutionem ad 4. D. Thomæ argumentum, quod ſi perſona eſſet debilis, aut varijs paſſionibus ſubiecta, aut clauda, aliaſque inutilis ad vitæ, & vocationis monaſterij actiones, poſſit plus exigi, quandoquidem cum maiori onere, curaque talis perſona foret tractanda, & minus commodi monaſterio accederet. Vbi enim ſunt monaſteria monialium, quæ ſolent infirmos viſita-

re, & corporalia exercitia complere, quibus victum, & amictum lucrifaciant, cum facultates minimè eis ſufficiant, exiguique ſunt reditus, multo plus pro dote ſoluendum foret, ſi aliqua reciperetur clauda, aut complexione tenera, quæ nec ad curam infirmorum, nec ad opera manuum apta eſſet, quam ſi alia corpore, conſtantique valetudine donata reciperetur, vel ad omnia munia ſubeunda prompta. *Argumenta contra prædictam Concluſionem hæc fieri poſſunt.* Primum. ex extrauag. 1. de ſimonia, vbi Vrbanus V. ſeueram prohibitionem ſub pœna excommunicationis, alijſque cenſuris cum reſeruatione, facit contra ſic recipientes ſub his verbis: Diſtrictius inhibemus, ne tam à maribus, quam à mulieribus volentibus ingredi eorum religionem, Eccleſias, monaſteria, prioratus, domos, ſeu loca, in earundem perſonarum receptione, aut ante, vel poſt illam quoſcunq; paſtus, prandia, vel cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias etiam ad vſum Eccleſiaſticum, ſeu quemuis pium vſum alium deputata, vel deputanda directè, vel indirectè, petere, vel exigere quoquo modo præſumant: ſed eas potius cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu, & veſtitu, ſicut alias perſonas ſuarum Eccleſiarum, monaſteriorum, &c. ſyncera charitate pertractent. Illa duntaxat, quæ perſonæ ipſæ ingredientes purè, & ſpontè, & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante dare, vel offerre Eccleſijs,

mona-

monaſterijs, prioratibus, domibus, & locis huiuſmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi. Deinde cenſuras fert contra facientes contrarium. Reſpondetur inprimis ex mente S. Antonin. 3. part. tit. 24. c. 67. quem etiam referunt Felin. in cap. Quoniam. hoc tit. nec non Syluest. in verb. Excommunicatio 7. excommunic. 44. quod Martinus V. dixerit nolle hanc ſententiam extendi ad moniales, & id dicit S. Antoninus ſe audiuiſſe à fide dignis. Clemens VII. etiam conceſſit, vt moniales nullam ſimoniæ pœnam incurrerent propter pacta, & conuentiones, quas contraherent in dotibus monialium, in commodum earum victum, vt habetur in compendio priuilegiorum. in verb. moniales. nu. vlt. prout Nauarr. teſtis eſt in manuali Confeſſar. cap. 27. num. 106. in declaratione 20. excommun. Secundo reſpondeo iuxta Nauarr. in dicto num. 100. & in monit. 84. euitari illam ſimoniam, ſi dos monaſterio pauperi detur, modo caueatur, vt moniales dantes ſuffragium, non incidant in aliquam ſimoniam, ſed tantum dos neceſſaria ſuſtentationi exigatur, idque cum numerus expletus eſt, nec monaſterium poteſt ob inopiam plures aſſumere. Tertio, quod dicta extrauag. prohibeat huiuſmodi, ne pro ingreſſu religionis aliquid accipiatur, & ſub alijs titulis ſimonia veletur. Si autem ſimpliciter pro victu accipiatur, nihil impedit, quo minus ſine ſimonia fieri poſſit,

maximè, quando conſuetudo eſt antiqua, quę tollere etiã videtur præſumptionem, quando monaſterium tenue eſt in reditibus, pluresque ſunt, quę recipi deſiderant. *Secundum argumentum in contrarium ſumi poteſt* ex c. Periculoſo. §. Sanè vt hoc. de ſtatu regular. in 6. vbi ſic habetur: Sanè vt hoc ſalutare ſtatutum commodius valeat obſeruari, diſtrictius inhibemus, ne in monaſterijs ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in ſorores, niſi quot poterunt de ipſorum monaſteriorum bonis, ſiue prouentibus abſque penuria ſuſtentari: ſi ſecus actum fuerit, irritum decernentes. Sic Bonifacius VIII. Quod nunc nouo iure confirmatum eſt in Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. de regularibus, ibi: Is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex reditibus proprijs monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari. Reſpondetur inprimis d. Bonifacij conſtitutionem, quam Dionyſius Carthuſianus in corroborationem ſuæ ſententiæ adducit, nihil facere ad fundandam ſuam intentionem, cum Pontifex non ibi ſtatuat aliquid contra ſimoniam, ſed ratio eius prohibitionis ſit, prout textus exprimit, & Gloſſa ibi recepta tradit, ne moniales propter inopiam cogantur exire clauſuram, ſicque legis intentio eſt, vt habeant vnde viuant, atque ita, prout etiam Sylueſter obſeruat, facit pro concluſione, & non contra.

Secun-

Secundo dicitur cum Nauarro, quod ius tam antiquum, quam nouum exponendum in hunc ſenſum videatur, ne recipiantur indotatæ, vel cum damno, grauamineque aliarum, vel cum expenſis monaſterij. *Tertium argumentum*. ex cap. Quoniam infra hoc tit. vbi videtur omninò prohiberi, ne quid exigatur, etiamſi monaſterium ſit tenue, & in paupertate conſtitutum his verbis: Quoniam ſimoniaca labes, adeò pleraſque moniales infecit, vt vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu volentes huiuſmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, &c. Reſpondetur hoc cap. intelligendum, quando ſub paupertatis prætextu fraus occultatur: vel ſecundum Hoſtien. & alios, quando ſpiritualia non offeruntur gratis, ſed fit pactum de temporalibus ad ſpiritualia, id eſt, ad ius ſpirituale. *Quartum argumentum ex cap. Tua nos*. infra hoc tit. Simonia eſt, ſi quis clericus ſua bona det Eccleſiæ cum conditione, & pacto, vt recipiatur in canonicum, illaque ſibi retineat pro præbenda. Ergo etiam ſimonia eſſe videtur, ſi quis recipiatur in religioſum cum pacto, vt victum ſoluat. Reſponſio patere poteſt, ex ſolutione tertij argumenti in d. cap. Tua nos, Conferens ſic temporalia facit pactum de temporalibus, ad ſpiritualia, in illo enim caſu temporalia eſſent medium ordinatum ad conſecutionem rei ſpiritualis, ideò tale pactum induceret aper-

Memorabile eſt & illud D. Hieronymi in ſua regula, & in allatam à Dionyſio in d. art. 16. Sic enim (ait Hieron.) Deteſtabilem hæreſin ſimoniæ, quam communi prauitate diaboli, moniales aſſuetæ committunt, etiam in auditu horreat veſtra ſocietas. Giezi & Simonis vos terreat prauitas. Vox Petri Vicarij Chriſti nunquam exeat de auribus veſtris: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, exiſtimas enim donum Dei, haberi pecunia. Communis mercatorum vſus habet, vt venditio commutetur in melius. Aſſerit namque ſimoniacus pecuniam eſſe præſtantiorem dono Dei, cum illud commutat in ipſam. Ad vos venientes ſorores, ad Chriſti ſuſcipite nuptias gratis. Præponatur ſanctitas pecuniæ: exquiratur bonitas vitæ, non generoſitas carnis, non vtilitas mundi. Nulla omninò pactio, nulla opinio, æſtimatio, ſeu intentio de pecunia danda præueniat, & receptionem præcedat, quæ pactio, ſiue opinio, puritatem mentis perturbat, &c. Hæc Hieron.

Dubium hoc in loco à DD. mouetur: An quando monaſterium eſt ita tenue in reditibus, vt non ſufficiat niſi pro certo numero, vltra quem plures cupiunt recipi, liceat recipere, aut exigere etiam ex pacto, pro ſuſtentatione perſonæ.

Dubium hoc maximè initium ſumpſit à praxi monaſteriorum quarundam monialium, quę ante ingreſſum ſolent petere pro ſuſtentatione, ex cauſa, quod non habeant neceſſaria

ceſſaria pro neceſſitate plurium. Dionyſius Carthuſianus lib. 1. & 2. de ſimonia latiſſimè impugnat affirmantem partem. Allegat pro ſe ſummam Roſellæ. & S. Antonin. & ſupplementum. S. Antonin. autem 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 18. nihil facit pro hac opinione. Dicit enim communem eſſe tutiorem, & penè omnium eſſe ſententiam, quod pro ingreſſu monaſterij de temporalibus nihil ex pacto liceat accipere, quod non eſt contra affirmantem ſententiam, ſed confirmat concluſionem ſupra poſitam. Sit ergo

Secunda Concluſio. Quando monaſterium monialium eſt tenue in reditibus, nec poteſt plures ſuſtentare, quam habeat, ſi plures petant ingreſſum, poteſt exigere tantum, etiam & ex pacto conuenire, quantum neceſſarium ad alimenta congrua, & neceſſaria ſtatui perſonæ, pro ſua vocatione, modo adſit recta intentio cum ſignificatione & proteſtatione, quod non accipiatur, niſi pro ſuſtentatione. Hæc eſt communis apud DD. & eam ſequuntur 2. 2. quæſt. 100. art. 3. ad 4. & in 4. d. 25. q. 2. art. 2. & ei adhærent in d. art. 3. Caietan. & Petrus de Aragon. ibidem. Gregor. de Valentia in ead. q. puncto 2. in 3. q. Franciſcus de Victoria in 2. part. relect. de ſimonia. num. 12. qui fatetur eſſe communem. Dominicus Soto lib. 9. de iuſtit. & iure. quæſt. 6. art. 2. ad 4. Angel. vir miraculis clarus in verb. Simonia 4. ait. Sed tu, inquit, in conſcientia tene opinionem Thomæ in ſumma, quod pro ingreſſu monaſterij non

licet

licet aliquid recipere, vel exigere, quaſi pretium, ſed pro victu perſonæ recipiendæ licet aliquid recipere, ſi non ſufficiant opes ad hoc monaſterij. Deinde ex ſententia Rod. adijcit, quod non eſt in hoc caſu ſimoniacum paciſci, dummodo non fiat pro ſpiritualibus conferendis, ſed pro expenſis faciendis, vel recompenſandis, & ſic licet etiam exprimere nomina, & quantitatem muneris: & placet, inquit, Angelus mihi, quoad conſcientiam. Summa Piſanella verb. Simonia 6. allegat etiam Raymund. & Guilhelm. dicentes, quod ſi recipiendus promittat annuatim in vita ſua tantum pro expenſis, non eſt illicitum. Syl-ueſt. in eodem verb. quæſt. 15. qui allegatis pluribus alijs Doctoribus, vt Vlder. Tancredo. Vincent. Raymund. & Hoſtienſ. alijſque tandem concludit. *Et reuera ſi intentio ſit pura, laudabile eſt exigere à volentibus ingredi victum, quando monaſterium numerum maiorem non poteſt commodè ſuſtentare, quia dilatatur Dei cultus, & ſeruorum eius numerus augetur.* Aurea Armilla in eodem verb. num. 50. Nauarr. in tract. de benefic. Eccleſiaſt. queſt. 1. nu. 100. & in Apolog. eiuſdem libri. monit. 84. qui teſtatur in Hiſpanijs hoc vſu receptum, & quod ſic aut nunquam, aut difficilè ſententia Dionyſij approbabitur apud eos. Coſmus Philiarcus tom. 2. de offic. ſacerdot. lib. 6. cap. 7. & alij alibi. *Pro huius Concluſionis maiori intelligentia obſeruandum,* quod ſtatus Religionis aliquo modo eſt

ſimilis

ſimilis ſtatui clericatus, quantum ad receptionem, ſiue ingreſſum, & ad eius ſuſtentationis. Eccleſia enim ita erga omnes caritate afficitur, quod cunctos muneri Eccleſiaſtico aptos, & vtiles vellet clericatu inſignire, & ad ordines promouere, ſed quia omnibus non poteſt prouidere de neceſſarijs ad victum, ac amictum ex beneficijs, admittit etiam alias idoneos modo habeant, vnde viuant, ſicque ordinat habentes ſufficiens patrimonium. Sic itidem Religio omnes perſonas idoneas volentes ingredi, libenter amplecteretur pro ſua poſſibilitate, ſed quia poſſeſſiones facultateſque monaſterij non ſufficiunt omnibus, expleto ſuo numero, alijs cupientibus ingredi ſignificat, vt ſi viuere cum illis velint in religione, ſecum portent, vnde vitæ ſuſtentandæ prouiſum ſit, & ſic in receptione id, quod exigitur, & ſuppeditatur, non reſpicit religionis ingreſſum, ſed ingredientium victum. Aptius ad propoſitum adferri poteſt ſimile de matrimonio carnali, à quo validum argumentum ſumitur in ordine ad ſpirituale, id eſt, ſtatum religionis, adeoque à pari procedunt cap. Sicut vir. 7. quæſt. 1. Marſilius in ſingul. 215. incip. Validum èſt. num. 1. Iacobinus de S. Georgio in tract. feudorum. in verb. Qui quidem inueſtiti præſtiterunt iuramentum, &c. propè finem. cap. Tuæ. de ſponſ. Ioann. Imolen. repet. Boërius in deciſ. 126. incip. & in dicto proceſſu aliud fuit ortum dubium, &c. num. 12.

Andreas

Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat, 94. num. 16. In matrimonio conſiderari poteſt ratio ſacramenti, vnioque perſonarum in Chriſto, & Eccleſia: & item onus matrimonij, ſcilicet ſuſtentatio perſonæ, atq; prolium ſequentium. Nihil autem quando duo contrahunt, ſoluitur pro ſacramento, quia vtique ſimonia eſſet ſecundum communem Theologorum mentem. At pro onere matrimonij, & alimentis dos perſoluitur, etiam ex pacto, conuentioneque, nec vlla, vt apud omnes conſtãtiſſima eſt confeſſio, ſimonia committitur. Eodem modo in matrimonio ſpirituali: quando in Chriſto quis nubit, ſtatus religionis eſt quid ſpirituale, pro quo qui pretium exigeret, aut ſolueret, ſimoniacus eſſet: at neceſſitate vrgente dare aliquid pro neceſſaria ſuſtentatione perſonæ, cum non ſit quid ſpirituale, ſed corporale, non eſt ſimoniacum, ideoque ad ſimilitudinem carnalis matrimonij etiam dos appellatur, quod ad illum effectum præſtatur. Hinc ſolemnis eſt illa DD. ſententia, quod ſubditi per collectas teneantur iuuare dominum ſuum, pro dotanda filia ingrediente religionem. Felin. in cap. Eccleſia S. Mariæ. colum. 27. de conſtitut. Thom. Parpalea in l. Placet. num. 16. C. de ſacroſancta Eccleſia. Guilhelmus Benedictus in cap. Raynutius, de Teſtament. in verb. Dotem, quam ei dederat. in princip. 3. & 4. col. num. 164. Albert. Brunus in tract. de ſtatu fœminarum. art. 6. & 9.

6.& 9.principali. Boërius & Gaill.loco citato. Imò dos debetur ita intranti religionē, ſicuti nubenti. Ex hac radice ſumi poteſt iudicium de monaſterijs quarundam monialium in noſtris partibus, vbi moniales habent nudum victum, id eſt, cibum, & potum, & parentes, vel amici tenentur annuatim quid certi pro veſtibus offerre; vbi talis conſuetudo eſt, non erit ſimonia, ſi in initio ingreſſus fiat conuentio, quantum ſingulis annis numerandum ſit pro veſtibus. Sicut enim ob inopiam monaſterij poterit conſtitui certa, & ſufficiens dos pro alimentis, ſcilicet victu, & veſtitu: ita etiam quando monaſterium ob grauamen, & egeſtatem, tantum eſt ſufficiens ad præſtandum cibum, & potum, non eſt inconueniens, quod certa dos pro veſtibus conſtituatur: veſtimenta enim ſub alimentis continentur. l. legatis alimentis. ff. de verbor. ſignificat. Sic qui tenetur præſtare alimenta, etiam neceſſaria veſtimenta haud denegare poteſt. Ex dictis infero cum Petro de Aragon. in 2. 2. S. Thomæ. q. 100. art. 3. circa ſolutionem ad 4. D. Thomæ argumentum, quod ſi perſona eſſet debilis, aut varijs paſſionibus ſubiecta, aut clauda, aliaſque inutilis ad vitæ, & vocationis monaſterij actiones, poſſit plus exigi, quandoquidem cum maiori onere, curaque talis perſona foret tractanda, & minus commodi monaſterio accederet. Vbi enim ſunt monaſteria monialium, quæ ſolent infirmos viſita-

re, & corporalia exercitia complere, quibus victum, & amictum lucrifaciant, cum facultates minimè eis ſufficiant, exiguiq́ue ſunt reditus, multo plus pro dote ſoluendum foret, ſi aliqua reciperetur clauda, aut complexione tenera, quæ nec ad curam infirmorum, nec ad opera manuum apta eſſet, quam ſi alia corpore, conſtantiq́ue valetudine donata reciperetur, vel ad omnia munia ſubeunda prompta. *Argumenta contra prædictam Concluſionem hæc fieri poſſunt.* Primum. ex extrauag. 1. de ſimonia, vbi Vrbanus V. ſeueram prohibitionem ſub pœna excommunicationis, alijſq́ue cenſuris cum reſeruatione, facit contra ſic recipientes ſub his verbis: Diſtrictius inhibemus, ne tam à maribus, quam à mulieribus volentibus ingredi eorum religionem, Eccleſias, monaſteria, prioratus, domos, ſeu loca, in earundem perſonarum receptione, aut ante, vel poſt illam quoſcunq; paſtus, prandia, vel cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias etiam ad vſum Eccleſiaſticum, ſeu quemuis pium vſum alium deputata, vel deputanda directè, vel indirectè, petere, vel exigere quoquo modo præſumant: ſed eas potius cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu, & veſtitu, ſicut alias perſonas ſuarum Eccleſiarum, monaſteriorum, &c. ſyncera charitate pertractent. Illa duntaxat, quæ perſonæ ipſæ ingredientes purè, & ſpontè, & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante dare, vel offerre Eccleſijs, mona-

monaſterijs, prioratibus, domibus, & locis huiuſmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi. Deinde cenſuras fert contra facientes contrarium. Reſpondetur inprimis ex mente S. Antonin. 3. part. tit. 24. c. 67. quem etiam referunt Felin. in cap. Quoniam. hoc tit. nec non Sylueſt. in verb. Excommunicatio 7. excommunic. 44. quod Martinus V. dixerit nolle hanc ſententiam extendi ad moniales, & id dicit S. Antoninus ſe audiuiſſe à fide dignis. Clemens VII. etiam conceſſit, vt moniales nullam ſimoniæ pœnam incurrerent propter pacta, & conuentiones, quas contraherent in dotibus monialium, in commodum earum victum, vt habetur in compendio priuilegiorum. in verb. moniales. nu. vlt. prout Nauarr. teſtis eſt in manuali Confeſſar. cap. 27. num. 106. in declaratione 20. excommun. Secundo reſpondeo iuxta Nauarr. in dicto num. 100. & in monit. 84. euitari illam ſimoniam, ſi dos monaſterio pauperi detur, modo caueatur, vt moniales dantes ſuffragium, non incidant in aliquam ſimoniam, ſed tantum dos neceſſaria ſuſtentationi exigatur, idque cum numerus expletus eſt, nec monaſterium poteſt ob inopiam plures aſſumere. Tertio, quod dicta extrauag. prohibeat huiuſmodi, ne pro ingreſſu religionis aliquid accipiatur, & ſub alijs titulis ſimonia veletur. Si autem ſimpliciter pro victu accipiatur, nihil impedit, quo minus ſine ſimonia fieri poſſit,

Secundo dicitur cum Nauarro, quod ius tam antiquum, quam nouum exponendum in hunc ſenſum videatur, ne recipiantur indotatæ, vel cum damno, grauamineque aliarum, vel cum expenſis monaſterij. *Tertium argumentum.* ex cap. Quoniam infra hoc tit. vbi videtur omninò prohiberi, ne quid exigatur, etiamſi monaſterium ſit tenue, & in paupertate conſtitutum his verbis: Quoniam ſimoniaca labes, adeò pleraſque moniales infecit, vt vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu volentes huiuſmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, &c. Reſpondetur hoc cap. intelligendum, quando ſub paupertatis prætextu fraus occultatur: vel ſecundum Hoſtien. & alios, quando ſpiritualia non offeruntur gratis, ſed fit pactum de temporalibus ad ſpiritualia, id eſt, ad ius ſpirituale. *Quartum argumentum ex cap. Tua nos.* infra hoc tit. Simonia eſt, ſi quis clericus ſua bona det Eccleſiæ cum conditione, & pacto, vt recipiatur in canonicum, illaque ſibi retineat pro præbenda. Ergo etiam ſimonia eſſe videtur, ſi quis recipiatur in religioſum cum pacto, vt victum ſoluat. Reſponſio patere poteſt, ex ſolutione tertij argumenti in d. cap. Tua nos, Conferens ſic temporalia facit pactum de temporalibus, ad ſpiritualia, in illo enim caſu temporalia eſſent medium ordinatum ad conſecutionem rei ſpiritualis, ideò tale pactum induceret aper-

 tam ſi-

tam ſimoniam: At in noſtro caſu nihil ſpirituale comparatur, ſed victus, qui eſt quid temporale emitur. Illud tamen non eſt prætereundum circa dicta, quod quandoquidem regulariter coniuncta ſunt, receptio ad religionem, & ſuſtentatio, canones clamant contra eos, qui verè, aut præſumptiuè aliquid exigunt gratia receptionis, vt Syluester annotat. Si autem receptio ad habitum, & ſtatum religionis, eſſet diuiſa à ſuſtentatione recepti, ſicut olim aliqui religioſi recipiebantur ad habitum religionis in eremo, & tamen non erant obligati alimenta ſuppeditare recepto, ſed tantum illum inſtruebant in via perfectionis: ſicut Romanus recipiebat Beatum Benedictum, & Macharius duos adoleſcentes: tunc enim quæſtio difficultatem non haberet: quin aperta eſſet ſimonia tunc aliquid exigere pro receptione, at nunc vt plurimum coniunguntur receptio ad habitum, profeſſionemque monaſticam, & ſuſtentatio, licet per accidens quandoque contrarium accidat ob inopiam monaſterij. Sed quæri poteſt, quæ ratio ſit, cur moniales potius accipere pro ſuſtentatione, quam religioſi poſſint. Coſmus Philiarcus in d. cap. 7. reſpondet maximam eſſe differentiam, inter religioſos, & religioſas, quia religioſi cum poſſint de loco in locum tranſire, & non retineantur clauſi, & in Epiſcoporum, curatorumq; auxilium populo ſeruiant, verbi Dei prædicatione, ac ſacramentorumq;

rumq́; adminiſtratione, non premuntur tanta neceſſitate, quanta moniales, quia ſemper in clauſura retinentur, & ſunt minus aptæ ad prouidendum ſibi de neceſſarijs, atque etiam ob infirmitatem ſexus, ſine maximo animarum periculo nō poſſunt hominum frequentiori conſuetudine vti. Quare his magis conceditur ad neceſſariam ſuſtentationem, quando alias monaſterium non eſt ſufficiens ad congrua alimenta: acceptio autem temporalium pro victu: in monaſterijs virorum arctius prohibetur, ob vehementiorem ſimoniæ præſumptionem.

Tertia Concluſio. *Quando monaſterium tam opulentum eſt, quod poßit neceſſaria, congruaque alimenta omnibus præbere, quas recipit, non eſt licitum aliquid exigere ab eis.* Hanc docent Sanctus Thom. 2. 2. quæſt. 100. artic. 3. ad 4. & poſt eum eius commentatores ibidem. Angel. Sylueſt. & alij vbi ſupra. Canoniſtæ in hoc cap. Nō ſatis, & communiter DD. Ratio eſt, Quia aduerſatur ſacris Canonibus, aut maxima auaritia omnium iudicio eſt, aut præſumptio vehemens ſimoniæ, cum nulla ſit in hoc caſu neceſſitas.

Quarta Concluſio. *Exigere aliquid pro victu ſuſtentationeque perſonæ, quæ monaſterium ingreditur opulentum, & ſufficienter dotatum, ex ſua natura non eſt ſimoniacum, ſed ſpeciem ſimoniæ habet.*

Prima pars eſt contra multos DD. S. Tho. in 4. d. 25. quæſt. 2. art. 2. ad 7. Paludan. ibid.

 Hoſtienſ.

Hoſtienſ. Nauarr. & communem canoniſtarum ſententiam. Partem autem noſtram amplectuntur Sotus, & commentatores S. Thomæ loco cit. Sylueſt. verb. ſimonia. q. 15. dict. 2. Philiarcus, & communiter Theologi recentiores. Ratio eſt euidens. Si pro victu & ſuſtentatione perſonæ in monaſterio opulento ſimoniacum eſſet accipere aliquid, ſimile etiam foret in paupere: Quandoquidem conditio monaſterij non facit, vt quod alias natura ſua non eſt ſimoniacum, tale fiat. In ſimonia enim obiectum eſt ſpirituale, vbi ergo obiectum eſt quid temporale, non fit ſimonia conditione monaſterij; ſiue enim victus ematur à monaſterio diuite, ſiue à paupere, ſemper eſt res temporalis. Secunda pars ab omnibus vtriuſque facultatis doctoribus etiam recepta eſt. Nemo enim dubitat, quando monaſterio in temporalibus ſatis ſuperque prouiſum eſt, hoc titulo nihil accipi poſſe, ideóque propter coniunctionem ſtatus religionis, & ſuſtentationis, ſumma eſt præſumptio ſimoniæ: maximè cum canonica iura, eiuſque commentatores in eam ſententiam tendant. Atque ſic puto conciliari poſſe DD. in prima parte concluſionis: Quod affirmantes intelligant eſſe ſimoniam, quantum ad præſumptionem, cum alia cauſa defendi non poſſit, nec alius titulus appareat accipiendi, quam pro ingreſſu religionis. Negantes autem in veritate, & natura rei, ſi alias intentio recta ſit, cenſeant

cenſeant non eſſe ſimoniam. Coſmus autem Philiarcus putat attendendam eſſe conſuetudinem monaſterij, ſi conſuetudo ſit, quod tunc petant, quando egent, & non petunt, quando non egent, cum non egent nihil petere poſſunt. Si autem conſuetudo eſt, quod omnes ſecum certam eleemoſynam pro earum victu portent, illam petere, & recipere poſſunt, etiamſi moniales non egeant, quia iuſto titulo petunt, & accipiunt, & per accidens eſt, quod non egeant, idque eo magis eis licet, quia facilè poſſunt ad paupertatem deuenire, cum tanquã mulieres, & clauſæ vt plurimum ab illis, qui cum illis tractant, & à proprijs miniſtris decipiantur, & damnificentur. Si autem conſuetam eleemoſynam volunt ante ingreſſum, aut in ingreſſu, eſt ad euitandas lites, & inimicitias. At ſi maiorem eleemoſynam vellent ab ignobilibus, eſſet ſimonia: ſimiliter ſi ex eo, quod moniales diuites ſunt, vellent ampliores dotes, quam ratio victus exigat, eſſet ſimonia: quia hoc reſpicit ingreſſum: Sic ille auctor.

Quinta Concluſio. Quando in ingreſſu monaſterij plus accipitur, quam neceſſarium ſit perſonæ alendæ, ſimoniacum eſt. Hæc communiter à DD. recepta eſt. Exceſſus enim ille iam non poteſt palliari titulo ſuſtentationis. Ergo ſimoniacus meritò præſumendus. Vnde Nauarr. in d. q. 1. num. 101. de reditib. benefic. præmiſſis multis alijs concludit in hunc modum: Illud etiam

pro certo habeant (intelligit moniales) & animaduertant, quod ſi ex pacto aliquid accipiant vltra id, quod neceſſarium ſuſtentationi monialis iudicio cordatorum cenſeatur, eſſe ſimoniacas. Nam ex pacto nihil aliud poſſunt accipere præter illud, quod alendæ moniali neceſſarium eſt, cumq́; monaſterium prę inopia non poteſt ei tribuere. Ex dictis infero cum Nauarro, quid dicendum ad prodigas illas expenſas, & prophanos apparatus fieri ſolitos in multis monaſterijs ex pacto tacito, vel expreſſo, dum vel ingrediuntur monaſterium, vel profeſſionem emittunt? Quid aliud moderatius, quam vt hæc vehementer interdicantur, reprehendantur prout ſumma reprehenſione digna ſunt, reformentur, ac etiam in maioribus, quæ conſenſum, auctoritatemq́ue interponunt, ſecundum regularem doctrinam puniantur. Quantæ enim dementiæ eſt ſumptuoſa conuiuia parare, epulari, comeſſationibus, voluptatibuſq́ue indulgere in gratiã eius, qui iam aut moritur, aut ad mortem diſponitur. Sed nunquid moritur mundo, aut ad mortẽ mundi diſponitur, qui habitum religionis aſſumit, aut profeſſionẽ emittit, funeralia ergo quaſi morientis in luxu, voluptate carnali, & vana pompa complemus, dum tam carnaliter ingreſſum, aut profeſſionem ingredientis, & profitentis celebramus. Etſi enim ſtatum religionis aſſumens, profeſſionemq́ue ſolemnem faciens mundo moriatur, &

tur, & Chriſto viuat, ideoque potius gaudio magno res digna ſit, quam deflenda, tamen in ſpiritu potius gaudendum, quam in carnalibus illecebris, & inhoneſtis tripudijs exultandum. Sed quid vt plurimum ſequitur tam ſuperfluum, prophanumque apparatum, atque vanam lætitiam: punit non rarò Deus, quod homines carnales præ cæcitate nō vident, nec oculos aperire valēt, vt videant: extrema gaudij luctus occupant: filiæ, quæ tanta vanitate ingrediuntur, breui moleſtia religionis afficiuntur, aut in perpetua cruce viuunt, aut de apoſtaſia cogitant, aut ita in monaſterio vitam tranſigunt cum dedecore, vt monaſterio, parentibus, cognatis, & amicis infamiæ notam inurant, aut cum ſtatus religionis non ferat, vt omnia pro animi ſententia ſuccedant, incidunt in perpetuas deſolationes, phreneſim, apoplexiam, aliaſque corporis infirmitates, quæ ex luxu, & concepta longa melancholia facilè contrahuntur: ita vt toto vitæ tempore ſint oneri alijs in monaſterio Deo famulantibus, & dolorem generent parentibus, & cognatis: hi fructus non rarò comitantur, vt experientia obſeruare poſſunt, qui rerū diuinarum, humanarumq; euentus conſiderant, Nam paſſim in oculis ſimilia verſantur exēpla. Imò plerumq; vt oculis videmus, & manibus palpamus, monaſteria (vbi tam inordinatus religionis eſt ingreſſus, magno cum omnium bonorum merore, qui

maio-

maiorum noſtrorum munificentiam in Deo ſeruientes, & Chriſti pauperes imitantur, & ritè perſpiciunt) in ſpiritualibus, ac temporalibus deficiunt, & ad nihilum tendunt. Sed hæc extra propoſitum: nunc filum interruptum connectamus.

Dubium circa prædicta mouetur hic in cap. Non ſatis, circa regulas poſitas à Gloſſ. An ſit ſimonia ſi teſtator dicat, lego, vel promitto monialibus talis monaſterij, exempli gatia S. Catharinæ 200. aureos, ſi filiam meam Agnetem in ſororem ſuſceperint? Ioann. ab Anania, & Felin. hic. Duo in hoc dubio tanguntur. Primum vtrum tale legatum valeat? Secundum. An talis diſpoſitio ſit ſimoniaca? Quantum ad primum, tale legatum non valere docent Barthol. in l. Titio centum. §. 1. ff. de condit. & demonſtrat. Ioann. Imolen. & Angel. in l. Ille autem. ff. de hæredib. inſtituendis. Ioann. ab Anania in hoc cap. Non ſatis. Ratio eorum eſt, quia legatum ſic relictum induceret ſimoniam. Quod tamen limitant Angel. Ioan. ab Anania. & Imolen. qui & ſic interpretatur Barthol. niſi monaſterium adeò tenue eſſet, quod non poſſit ingredientem ſuſtentare, niſi ſecum adferret pro ſuſtentatione: quam limitationem ſine dubio illi Iuriſperiti hauſerunt ex doctrina S. Thomæ & aliorum Theologorum, quam ſupra collegimus. Qua occaſione Barthol. & Imolen. cenſent legatum in hunc modum conceptum tenere: Si tale monaſterium receperit talem ſcilicet

ſcilicet filiam meam in ſororem, relinquo ſibi tantum pro alimentis iuxta notata à Gloſſ. & Ioann. Andr. in d. cap. Non ſatis, & alijs ibidem. Quod & confirmat doctrinam ſupra traditam. Barthol. tamen in l. conditioni. nu. 2. C. de inſtitutionib. & ſubſtitutionib. item quærit. An valeat in matrimonio ſpirituali, ſi dicatur, Inſtituo monaſterium hæredem, ſi recipiat talem in monachum, & reſpondet breuiter, quod veritas ſit, quod conditio non valeat, ſed tanquam turpis reijciatur, & inſtitutio remaneat pura, quia inuitare monaſterium ad recipiendum aliquem ſub ſpe lucri eſt ſimonia. d. cap. Non ſatis. Et cum hæc quæſtio, inquit, occurriſſet de facto, ſemel ita fuit conſultum per Doctorem Recuperum de ſancto Miniato, & ita ſenſimus nos omnes. Sic Barthol. allegat ad d. l. Ille autem. Bald. in l. vnica. colum. 8. q. 5. C. de his quæ pœnæ nomine, reprehendit Bartolum dicentem in d. l. & §. Titio centum, quod tale teſtamentum contineat ſimoniam: Imò, inquit, continet pietatem, & ita ſeruat conſuetudo. Quia tale legatum eſt ad pias cauſas: cum enim monaſterio ſit relictum, videtur factum pauperibus, & ſic non ſimonia, ſed eleemoſyna eſt, ideoque ſicut licet puellæ bona ſua dedicare tempore ingreſſus monaſterio: ita licet patri nomine puellæ, quaſi breui manu ſi videatur dare puellæ, & puella monaſterio. arg. ff. de donat. inter virum, & vxorem. l. 3. §. Sciendum.

& l.

&l. mulier ibidem. & ff. ſi certum petatur. l. ſingularia. & ſic Baldi etiam mens eſt in d.q.5. quod ſi monaſterium non velit talem recipere in ſororem, non poſſint etiam petere legatum, quicquid Bartol. dicat in d. l. Conditioni. & alibi. Idem Baldus in l.1. ſtatim à princip. C. de inſtitut. & ſubſtitut. ſub condit. factis latius reſpondet his verbis: Item eſt argumentum, quod valeat, ſi relinquatur monaſterio ſub conditione: Si berta recipietur in monialem; quanquam directè grauari non poſſit monaſterium occaſione inſtitutionis, vel legati, vt aliquam in monialem, vel monachum recipiat, ſicut non poteſt quis grauari, vt filiam adoptet. l. Vxorem. §. Hæres, vel legatarius. ff. de legat.3. & ſubdit: Mihi non videtur iſta ſimilitudo bona, (tacitè carpit Bartol. & eius motiuum ſoluit allatum in dicto §. Hæres vel legatarius) & quod grauari poſſit fauore religionis, argum. ff. de relig. l. Sunt perſonæ. & ff. de vſufruct. l. locum. in princip. Nec eſt hic ſimonia, ſed iudicij pietas: Cum tale relictum abſque dubio ſit relictum pro anima teſtatoris, & ad pias cauſas. Vnde cum non ad turpem cauſam referatur, ſed ad piam, & honeſtam, debet officio Epiſcopi ad effectum perduci. ff. de annuis legat. l. Quintus. §. Pomponius: ſicut teſtator iuſſiſſet monaſterium fundari: nam certè in hoc includetur ibi monachos debere recipi. Nam non eſt monaſterium niſi per monachos, & non eſt du-

eſt dubium, quod talis diſpoſitio valet. cap. Nos quidem. de teſtam. & Authent. de Eccleſ. tit. §. Si quis oratorij domum. Sic Baldus. Mihi hæc poſtrema Baldi ſententia placet, quod & legatum valeat, nec committatur ſimonia. Adijcitur enim legato, ſeu diſpoſitioni honeſta conditio, modo intentio ſit recta. Quis enim neſciat ſimilia ſæpius fieri legata in teſtamentis ac vltimis voluntatibus, ac conferri eleemoſynas adiectis conditionibus honeſtis, ſine vlla ſimoniæ labe, vt exempli cauſa, lego tali Eccleſiæ 100. aut 200. aureos, vt ſingulis annis pro animæ meæ requie ſex miſſas celebret, aut vt pro me dicant has, vel illas orationes, &c. ſic enim diſponentes non committunt vllam ſimoniam, nec etiam recipientes, prout rectè tradunt Scotus in quodlibet. 20. Gabriel ſuper Canonem Miſſæ. lect. 28. Gerſon in opuſc. de ſolicitudine Eccleſiaſticorum ad fratres Celeſtinos. Syluest. in verb. Simonia. q. 9. diſt. 6. & 7. DD. Canonum. & in cap. Significatum. de præbend. Et ſatis conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 4. de Reformat. & ex vſu totius Eccleſiæ, cui contradicere temerarium eſt. Debet tamen in huiuſmodi legatis, eleemoſyniſq; faciendis recta eſſe intentio, vt aſſignentur pro ſuſtentatione; & cauſa excitante ad opera ſua, & non tanquam pretia rerum ſpiritualium, quæ ſub hominum æſtimationem non cadunt.

Sexta Concluſ. *Non eſt illicitũ ſi propter deuotionem,*

tionem, quam aliquis erga monaſterium oſtendit, largas eleemoſynas faciendo, facilius in monaſterio recipiatur. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. & poſt eum Angel. in verb. Simonia 4. Syluest. in d. q. 15. dicto 3. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 18. Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 2. prope finem, & communiter DD. Ratio, quia ſic nihil pro religionis ingreſſu accipitur, ſed qui monaſterio præſident, eleemoſynis, & deuotione excitantur, mouenturque, vt faciliorem aditum præbeant, quod ratio naturalis æquitatis, & gratitudinis ſuadet: ſicut etiam, prout idem S. Thomas adiungit, licitum eſt aliquem è conuerſo prouocare ad deuotionem monaſterij per temporalia beneficia, vt ex hoc inclinetur ad monaſterij ingreſſum, licet non ſit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingreſſu monaſterij. 1. q. 2. cap. Quam pio, & idem S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 9. quærens, Vtrum aliquis debeat alios inducere ad religionem intrandum, in corpore articuli, inter alia dicit, quod ſimoniacè alium ad religionem trahere muneribus datis, prohibeatur d. cap. Quam pio. Non tamen (addit) ad hoc pertinet, ſi aliquis alicui pauperi neceſſaria ſubminiſtret, in ſæculo nutriens eum ad religionem, vel ſine pacto aliqua munuſcula tribuat, ad familiaritatem captandam.

Septima Concluſio. Qui inſeruit Religioſis propter promiſſionem ſibi factam, quod poſt certum tempus recipietur ad religionem, alias ſeruitutem non impen-

impenſurus, ſimoniam committit. S. Antonin. loco cit. §. 19. Sylueſt. vbi ſupra. dict. 5. Piſanella in verb. ſimonia 6. & alij communiter in ſummis, ex d. cap. Quam pio. Nemo enim dubitat ſeruitutem eſſe rem temporalem pretio dignam. Quare ſi quis principaliter propter ſeruitutem cuperet recipi, & recipientes principaliter etiam intuitu ſeruitutis reciperent, ſimonia eſſet. Alia tamen ratio foret, ſi quis pro mercede inſeruiret, & minus principaliter ſperaret, quod religioſi excitati eius fideli ſeruitute poſt aliquot annos eum recipient ad habitum.

Octaua Concluſio. Non eſt ſimonia, ſi alicui promittatur habitus, vel ingreſſus religionis poſt aliquem terminum præſcriptum, puta biennium, vel triennium, ſi tamen interim didicerit talem artem, vel in ſcholis operam literis dederit. S. Antonin. Sylueſt. & alij communiter in ſummis. Ratio, quia ſic promittere non eſt aliud, quam dicere, tradem us tibi habitum, aut recipiemus te, ſi te idoneum reddideris ad noſtrum inſtitutum. Putat tamen S. Antonin. ſimoniam eſſe, ſi habeatur intentio ad lucrum temporale illius artis, quam addiſcere debet. Syluest. rectè ait: hoc non eſſe verum, quia ad illud lucrum non poteſt haberi intentio, niſi mediante idoneitate ad quam haberi poteſt intentio: alioqui boni religioſi quotidiè ſimoniam committerent, recipientes aliquos, qui ſperant eos vtiles futuros religioni: Imò, vt hoc addam,

quis dicet religioſos committere ſimoniam, ſi facilius eos recipiant, quos vtiliores aliquo artificio, induſtria, & labore, pro vſu monaſterij proſpexerint.

Nona Concluſio. *Non eſt ſimonia dare aliquid in ingreſſu alicuius ſocietatis, aut confraternitatis ex vi inſtitutorum, aut promiſſionem facere de ſolutione alicuius certi annuatim pro eleemoſynis, aut aliquibus expenſis.* S. Antonin. Piſanella. Syluеſt. & Summiſtæ communiter. Ratio, quia huiuſmodi confraternitas non eſt religio, nec verè meretur nomen religionis; ſed eſt quædam congregatio ad bona opera facienda, ad conueniendum certo tempore pro tractatu pertinentium ad ſalutem animarum, & diſpoſitione rerum agendarum, quod bonum & laudabile eſt. argum. cap. Si quis deſpicit. diſt. 42. Solet autem aliquando pecunia, quæ ſic annuatim in talibus congregationibus contribuitur, impendi in vſus pauperum, aut in redemptionem captiuorum. Quidam tamen exiſtimant tutius fore, vt huiuſmodi ſtatuta fiant ſub affirmatiua forma, exempli gratia: Qui tantum dederit, recipietur in confratrem, & non ſub negatiua, verbi gratia, Nullus admittetur in fraternitatem hanc, qui non ſoluerit tantum.

Dubium hic occurrit. Nunquid ſcholaris pecunia procurans ſibi locum, aut ingreſſum in collegium: aut pro pecunia ſi quis ſuo loco in

co in collegio renunciet in gratiam alterius: exempli gratia; eſt aliquis in tali collegio, qui locum ſuum relinquere cogitat, eſt aliquis, qui appetit, prior antequam renunciet, conuenit pro pecunia cum ſecundo, vt renunciet in eius fauorem, impetrato tamen conſenſu eorum, ad quos ſpectat recipere, & admittere; tacita tamen procurata per pecuniam renunciatione, committat ſimoniam? Nauarrus libro 5. conſil. in titu. de ſimonia. conſil. 47. conſultus mouet, & reſpondet de renunciantibus per pecuniam ſuo loco. *Primo. An huiuſmodi ſic vendentes committant ſimoniam cum pœnis extrauag. 2. de ſimonia? Secundo. Cui pecunia reſtituenda, ſi quæ accepta ſit, & reſtituenda?* Ad primam quæſtionem reſpondet quod admittunt ſimoniam, quoniam loca illa, ſiue ſodalitia, aut collegia, licet non ſint ſpiritualia, videntur tamen eis annexa, ſicut ius patronatus Eccleſiaſticum, de quo in capite Quanto. de iudic. & capite Cum ſecundum. de iure patronatus. Secundo, non videntur incurrere excommunicationem latam in dicta extrauag. quia illa ſolum fertur contra ſimoniacos in ordine, & beneficio Eccleſiaſtico, ſecundum communem ſententiam, præfata autem loca, ſiue ſodalitia non ſunt beneficia Eccleſiaſtica, & ita ſicut emens, aut vendens ius patronatus, quamuis ſimoniam committeret, non incideret tamen in illam excom-

municationem: ſic nec etiam vendentes, aut ementes huiuſmodi loca. *Ad ſecundam quæſtionem reſpondet primo*, quod illa pecunia non eſt neceſſario reſtituenda collegio, pro cuius ſodalitio accipitur, quamuis pecunia pro beneficio accepta, Eccleſiæ, cui iniuria facta eſt ſit reſtituenda. per text. in cap. De hoc. de ſimonia. Secundo de rigore iuris non tenentur etiam illis reſtituere, à quibus eam acceperunt, quia turpiter datum, turpiterque acceptum non eſt neceſſariò reſtituendum danti, iuxta regulã, In pari delicto, vel cauſa melior eſt conditio poſſidentis. de reg. iuris in 6. Tertio ſecundum communem opinionem eſt reſtituendum pauperibus, quod tamen non præcepti, ſed conſilij eſt. Satisfaciet ergo dando pauperibus, vel ei, à quo accepit, niſi condonationem ab eodem obtinuerit. Quantum ad primam illam determinationẽ, quod ſic renunciantes ob pecuniam acceptam ſuis locis, ſimoniam committant, vehementiſſimè dubito, niſi intelligatur quæſtio de collegijs iuxta diſtinctionem, & moderationem infra datam, quia nec ſunt ſpiritualia, vt ipſemet Nauarr. admittit, nec videntur ſpiritualibus ſufficienter annexa, ad inducẽdam ſimoniam, quamuis idem D. contrarium ſupponat, neutiquam tamen probat. Nec antecedenter, nec conſequenter huiuſmodi loca ſunt ſpiritualibus annexa, vnde non valet argumentum ſumptum à iure patronatus Eccleſia-

cleſiaſtico, eſt enim illud ſeparatum, diſſimileque ab horum collegiorum loco: à ſeparatis autem non fit illatio. l. Papinianus. ff. de maioribus. Huiuſmodi enim collegia non ſunt aliud, quam quædam loca à pijs hominibus inſtituta, ad alendos pauperes ſtudioſos, qui eruditi in doctrina, pietate, & moribus, promouentur vel ad ſtatum Eccleſiaſticum, vel ciuilem, prout id vel inſtitutione fundatorum, vel approbatione præſidentium cautum eſt: non enim ij, qui in collegijs erudiuntur, vt plurimum aliquem ſtatum aſſumunt per receptionem in collegia, & talia ſodalitia, ſed diſponuntur vt apti fiant ad alicuius ſtatus aſſumptionem. Magis etiam inſtitutum noſtrum confirmat, quod in receptione ad quædam collegia in quibuſdã locis pecunia quædam à recipiendis accipitur ex conuentione, eò quod prouentus non ſufficiant pro integra, & ſufficienti ſuſtentatione. Imò etiam in quibuſdam locis diuites non admittuntur, niſi per omnia de expenſis reſpondeant: Quod conforme eſt ordinationi, & diſpoſitioni Concilij Tridentini. ſeſſ. 23. cap. 18. in decret. de reformat. dum ordinat collegium inſtituendum ad informandos pueros, in quo pauperum filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præſeferant Deo, & Eccleſiæ ſeruiendi: Facit poſtremo, quod huiuſmodi collegia non videntur magis annexa ſpiritualibus,

bus, quam confraternitates, & ſodalitia. de quibus ſupra: ſed hæc non ſunt materia ſimoniæ, prout ex DD. communiter oſtenſum eſt. Nauarri reſolutio vera eſſet, ſi collegia, ſeu ſodalitia, de quibus loquitur ſint talia, qualia ſeminaria clericorum. Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 6. appellat: de quibus & in dicto cap. 18. Si enim collegia, ſiue etiam ſodalitia, aut ſeminaria forent clericorum, ad quorum ingreſſum, aſſumptionemque ex erectione, donatione, ac inſtitutione clericalis tonſura, & habitus requirerentur, ſimoniacum foret huiuſmodi loca, vel pecunia acquirere, vel pro pecunia reſignare. Non tamen tunc huiuſmodi loca eſſent ſpiritualibus annexa, prout ius patronatus, ſed magis accederent ad naturam beneficiorum, quæ ius canonicum, & Doctores appellant præſtimonialia. capite fin. de conceſſ. præbend. in 6. Oldrad. in concil. 81. & 140. Anton. in cap. poſtulaſti. de reſcript. Frideric. in tract. de permutat. quæſt. 9. & alij alibi. quæ ſunt inſtituta ad alendos clericos in ſtudijs literarum, nec niſi à clericis poſſunt obtineri, quemadmodum omnia beneficia Eccleſiaſtica, in poſſeſſione ad capacitatem prærequirunt clericalem tonſuram, & ita Concilium Tridentinum innuit aliud ſeminarium, ſiue collegium clericorum, quorum inſtitutio tendit ad informationem clericorum in ſcientia, moribus, & diſciplina, miniſterijſque

rijſque Eccleſiaſticis. In beneficia autem præſtimonialia ſimoniam cadere docent Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure. quæſt. 7. art. 1. Petrus de Aragon. in 2.2. S. Thom. quæſt. 100. art. 4. & poſt eos recentiores Theologi. Panormit. in conſil. 47. volum. 2. nec mirum, cum beneficijs Eccleſiaſticis annumerentur. in dicto capite fin. de conceſſ. præbend. in 6. Panormitanus in dicto conſil. Oldrad. loco cit. Rebuff. in praxi benefic. non longè à princip. in cap. Sæculare beneficium quotuplex. num. 16. Nauarr. in tract. de oratione, & hor. canonic. cap. 21. num. 9. qui atteſtatur inter omnes conuenire præſtimonia eſſe beneficia Eccleſiaſtica. Gemin. Franc. & alij in dicto cap. fin. dum annotant, nomine beneficiorum Eccleſiaſticorum comprehendi omnia ibi enumerata.

QVÆSTIO II.

An & quomodo in penſiones ſimonia cadat?

QVoniam Cardinal. Panormitan. Anton. & alij hic circa finem cap. Non ſatis. mentionem faciunt conſtitutionis penſionis ſuper beneficijs Eccleſiaſticis, aliquid latius pro ignorantium inſtructione

 adiun-

adiungendum. Quandoquidem multis in beneficiorum materia penſionis nomen incognitum eſt. Alijs verò, qui in Romana curia verſantur, Eccleſiaſticaque bona venantur notiſſimum.

Penſio hoc in loco dicitur à verbo pendeo, quia formaliter à beneficio, à quo detrahitur, depẽdet: ſicut vſusfructus à proprietate. Martin. Lauden. & Cardinal. in Clem. 1. de ſupplenda neglig. prælat. §. Eadem. Caccialup. in tract. de penſionib. q. 2.

Penſio communiter definitur à DD. quod ſit certa portio fructuum ex aliqua menſa, vel beneficio ex cauſa ad tempus ſeparata. Sic Cardin. & Imolen. in Clem. 1. de ſupplenda neglig. prælat. Felin. in cap. Ad audientiam. 2. de reſcript. Ioan. Caccialupus in tract. de penſionib. qui habetur in Oceano iuris. volum. 2. in antiquiorib. Hieron. Gigas in tract. de eadem materia, & alij alibi. Hanc definitionem ab alijs receptam Martin. Nauarr. lib. 3. conſil. in tit. de præbend. conſil. 52. incip. Quæritur an penſio legitimè conſtituta, &c. à num. 6. impugnat in modum qui ſequitur. Definitio poſita non eſt bona: quia non conuertitur cum ſuo definito, vt debet conuerti. l. 1. ff. de dolo, & contum. & not. Bart. in l. 1. ff. de teſtam. conuenit enim illa multis, quibus non conuenit definitum, quia conuenit omnibus ſtipendijs, quæ conſtituuntur ex menſa Eccleſiæ, vel de fructibus beneficiorum ad tempus

pus quibuſcunque etiam laicis, cuiuſcunque ſexus, qualitatis, artis, & officij fuerint ob benemerita, vel ob aliquid officium in Eccleſiæ obſequium exercendum; quale habent ſacriſtæ, campanarij, latomi, & fœminæ curantes infirmos in hoſpitalibus beneficijs annexis, & cantores, bedelli, alijq́; ſimiles, quibus non conuenit definitum, ſcilicet penſio Eccleſiaſtica beneficialis, de qua hic ſermo eſt: & ſic refert ſe bonam dare in manuali confeſſ. cap. 23. num. 111. in quo dicit, quod penſio non eſt beneficium nec portio fructuum eius, ſed ius non temporarium, ſed ſpirituale, aut illi annexum, non antecedenter, vt ius patronatus, ſed dependenter, aut conſequenter inſtar beneficij, & ſubinde non poteſt magis, imò minus emi, vel vendi, quam ius patronatus. *Obſerua.* Quod Nauarr. in loco manual. cit. mentionem facit Commentarij cap. fin. de ſimonia, qui non habetur inter opera ad nos delata, & videtur non prodijſſe: quandoquidem in d. conſil. nullam mentionem facit. d. comment. & in manuali refert, ſe pro defenſione dictæ definitionis, ad comment. cap. fin. Conſilia autem poſtremo loco ſunt edita, & collecta, vt patet ex editionis Romanæ primæ de Anno Domini 1590. præfatione D. Martini de Araya ad Lectorem.

Penſio non eſt propriè beneficium Eccleſiaſticum, vt ex eius definitione colligitur, & DD. tradunt. Caieta. in tract. 17. reſponſ. Do-

minic. Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure. quæſt. 9. art.2. prope finem. Baldus in cap. Ad audientiam. de reſcript. & poſt alios plures Caccialup. in quæſt. 12. Dominic. & Archidiac. in cap. Quamuis.1. de præbend. in 6. Nauarr. loco cit. & alij communiter. Hinc rectè Nauarr. infert, quod committens ſimoniam in emptione, aut venditione penſionis, non incurrit excommunicationem ipſo iure latam in extrauag.2. de ſimonia. Quia illa ſolum excommunicat ſimoniacum in ordine, & beneficio, quorum neutrum eſt penſio, & ideò illa conſtitutio tanquam pœnalis reſtringenda. Non ergo beneficij appellatione intelligitur penſio, præſertim in diſpoſitione pœnali.

De conſuetudine, & praxi Romanæ curiæ, regulariter ſolus Pontifex nunc, poteſt conſtituere penſiones. Nauarr. in dicto conſil. 52. Sot. Petrus de Aragon. Gregor. de Valentia, & alij Theologi. & ſic dicit Rebuff. in praxi benef. part. 1. in cap. de reſeruationibus tam generalibus, quam ſpecialibus. num. 29. quod nec hodie Epiſcopi conſtituant penſiones, eo quod ex non vſu, amiſſa eſt in hoc, eorum poteſtas. quod non fuiſſet, inquit, ſi ignari illius non fuiſſent, & ea vſi: ſed ignorantia eos, vt nunc multos longo tempore tenuit, atque ita antiquiores Doctores iuris, qui penſionum mentionem faciunt, & dicunt Epiſcopos poſſe imponere, intelliguntur de iure, & non de facto. Merito enim poteſtas imponendi

ponendi penſiones Pontifici reſeruatur, cum ipſe plenariam habeat poteſtatem diſponendi ſuper beneficijs Eccleſiaſticis, eorumque fructibus. cap.2. de præbend. lib.6.ex quo capite etiam prouenit, quod ipſe etiam ſine conſenſu patronorum laicorum poſſit penſionem imponere beneficijs iuris patronatus, vt docet Rebuff.in 3.part. ſignaturæ. num.28. Expedit etiam hoc Eccleſiæ vniuerſali: ſi enim omnibus Epiſcopis competeret conſtituere penſiones, Eccleſiaſtici præſertim pauperiores ſupprimerentur, & multi miniſtri Eccleſiæ miſerè viuerent. Diuites & potentes ob facilem acceſſum Epiſcoporum, & importunas preces, facilè ſuper quibuſcunque beneficijs penſiones impetrarent, in maximum grauamen Eccleſiæ, cauſas fingerent, vbi non ſubſiſterent, & maxima confuſio in Eccleſia oriretur. Quo enim rariores ſunt huiuſmodi penſiones, eo melius ſe habet Eccleſia. Inceperunt enim eo tempore, quo maximè Eccleſiaſtici in pietate, moribus, & Eccleſiaſtica diſciplina ceperunt deficere. Dictum, quod (regulariter) ſolus Pontifex conſtituit penſiones, Quia Concil. Trident. in ſeſſione 21. in decreto de reformat. capite 6. committit Epiſcopis, tanquam Apoſtolicæ Sedis legatis, vt ſi aliquis rector parochialis Eccleſiæ, propter imperitiam, ſit minus aptus ad curam, modo alias honeſtæ vitæ ſit, eidē pro tempore coadiutorem,

ſiue

ſiue vicarium adiungant, aſſignata ei ſufficienti parte fructuum pro ſuſtentatione, quod non eſt aliud, quam impoſitio penſionis. Similis eſſe poteſt ratio, ſi paſtor parochiæ ad tantam deueniat ſenectutem, aut in tantam labatur infirmitatem, quod nequeat onera, curamque ſuæ Eccleſiæ portare, ac perficere, tunc etiam Epiſcopus poſſet tali adiungere ad tempus vicarium, ſiue idoneum ſacellanum, cui ex conſequenti etiam neceſſarium foret aſſignare penſionem, vel portionem fructuum, de fructibus curæ eius, cui inſeruiret pro neceſſaria ſuſtentatione. Dignus eſt enim operarius mercede ſua, & nemo ſuis ſtipendijs alteri militat, atque hæc latius patent per ea, quæ aſſerunt Felin. in cap. ad audientiam. de reſcript. Caccialup. poſt alios in quæſt. 4. de penſionib.

Penſiones quædam imponuntur ad tempus, vt donec alicui prouideatur de beneficio Eccleſiaſtico, iuxta Hoſtien. in cap. Cum eſſent. hoc tit. aut quamdiu tali muneri prælegendi vacauerit. Aliæ ad totam vitam ipſius penſionarij. Aliquando non perſonis, ſed loco fit penſionis impoſitio, vt talis exempli gratia Abbatia Epiſcopo talis Eccleſiæ N. ſemper ſoluet penſionem 3000. milium aureorum: tunc enim penſio foret perpetua, & ob perpetuitatem indueret quaſi naturam beneficij Eccleſiaſtici: vt conſtat ex definitione penſionis ſupra aſſignata, quæ tantum comprehen-

prehendit penſionem ad tempus, & vitam, & non perpetuam: quia videlicet hæc beneficium cenſeatur.

Ad licitam, & iuſtam penſionis conſtitutionem rationabilis aliqua cauſa requiritur, ſecundum communē DD. ſententiam. Cauſæ autem iuſtæ, & rationabiles hæ cenſeri poſſunt. *Prima cauſa* eſt, bonum pacis, quando beneficium eſt litigioſum, vtpote duo habent litem ſuper aliquo beneficio, ad cuius compoſitionem auctoritate iudicis conſtituitur, vt vnus cedat alteri conſtituta aliqua penſione. argum. cap. Niſi eſſent. de præbend. *Secunda*, quando aliquis iam pluribus annis inſeruiuit Eccleſiæ in aliqua dignitate, vel beneficio, & tunc eandem, vel idem reſignat, tunc ne nimium damnum patiatur, eidem penſio poteſt reſeruari. cap. Super hoc de renunciat. *Tertia cauſa* eſt inæqualitas redituum in permutationibus, quando vnum eſt notabiliter pinguius altero: tunc ſuper maiori in reditibus auctoritate Papæ poteſt conſtitui penſio, ad inducendam æqualitatem. argum. cap. ad quæſtiones. & ibi notat. per DD. de rerum permutat. & ait Rebuff. in praxi benefic. 1. par. in tit. de reſeruat. tam general. quam ſpecialib. num. 23. quod in his tribus caſibus penſio in Francia tantum eſt approbata in pecunia. *Quarta*. Quando inopia alicuius Eccleſiæ, iuuatur abundantia alterius; Exempli gratia. Vna Abbatia habet in reditibus viginti millia aureo-

aureorum, ita vt fortè ſuperſint, deductis neceſſarijs pro Abbate, & conuentu octo millia, eſt in eadem diocœſi Epiſcopatus, qui vix mille habet, nec eſt ſufficiens ad conſecrationem Epiſcopalis dignitatis, auctoritate Pontificis poteſt imponi penſio ſuper tali Abbatia ad ſubueniendum Epiſcopo. Ad propoſitum faciunt cap. Cum veniſſet. de reſtitut. ſpoliat.& cap.auaritiæ.de præbend.& ibid.annotata à DD. *Quinta cauſa eſt* ſuſtentatio eorum, qui ſenio, aut infirmitate confecti amplius laborare non poſſunt. argum. c. Quamuis.7.quæſt.1. ex B. Gregor.lib.11. epiſt. 7. vbi decernit, vt Epiſcopo infirmitate capitis, & mentis alienatione laboranti alius ſubſtituatur, & quouſq; infirmum Epiſcopum in hoc ſæculo vita tenuerit, ſumptus ei debiti de eadem Eccleſia miniſtrentur. *Sexta eſt*, ſuſtentatio eorum, qui adhibentur in auxilium Epiſcopis, aut alijs in dignitatibus conſtitutis: his enim prouidere poteſt Pontifex impoſitione penſionis ſupra Epiſcopatu: ſic hoc tempore à Pontifice cum conſenſu Epiſcopi,& capituli aſſignatur penſio ex ſtylo curiæ Epiſcopis titularibus, ſiue ſuffraganeis ſuper menſa eius Epiſcopi, qui eos in coadiutores,& auxiliatores eligunt. *Septima & vltima cauſa eſt* promotio rei Eccleſiaſticę tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, vt quando aliqua perſona eruditione præſtans, & vitæ innocentia clarus egregiam nauat operam in negotio fidei, aut conci-

concilio contra Hæreticos: Aut ſæcularis vir fortitudine, & induſtria plurimum pollens, ſtrenuum ſe exhibet militem in propulſandis hoſtibus Eccleſiæ, aut ſummam prudentiam, continuam peruigilantiam, atque indefeſſam curam cum maxima rerum ſuarum iactura impendit in compoſitione pacis alicuius magni momenti inter Chriſtianos Principes: & de ſimilibus ſimile eſt iudicium. Si modo ità ſint cauſæ ordinatæ, vt in bonum vniuerſalis Eccleſiæ, & commodum Chriſtianæ Reipub. cedant. Quando autem in priuatam aliquorum vtilitatem diriguntur, vt domini magni, & Principes tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares nepotulos ſuos coronent, opibus augeant, aut obſequia ſuorum familiarium præmio compenſent, aut eos à miniſterio promptiores, & in mercede mitiores ſentiant, grauiſſimè peccatur, & bona Eccleſiæ, patrimoniumq; Chriſti miſerè diſſipantur, infideliterque adminiſtrantur.

Iuſta moderataque quantum ad quantitatem ea penſio cenſetur, qua exacta, perſolutaque tantum beneficio relinquitur in fructibus, & emolumentis, vt commodè, & decenter poſſit beneficij poſſeſſor viuere, onera beneficij ſupportare, & iura Epiſcopalia perſoluere. argum. cap. de monachis. cap. vacante. cap. extirpandæ in princip. de præbend. & c. 1. de cenſib. Qua de cauſa Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 13. diſponit, vt omnes Cathedrales Eccleſiæ,

cleſiæ, quarum reditus ſummam ducatorum mille, & parochiales, quæ ſummam ducatorum centum non excedunt, nullis penſionibus, aut reſeruationibus fructuum grauentur. Quando autem penſio immoderata foret impoſita, ita vt beneficiarius ea perſoluta congruam ſuſtentationem non haberet, tunc beneficiarius poteſt Pontifici ſupplicare pro moderatione, & reformatione: quia quando priuilegium incipit eſſe damnoſum, debet deduci ad debitum ſtatum. cap. ſuggeſtum. de decim. De hac moderatione, & reductione latius Caccialup. de penſionib. q. 24. & Rebuff. loco cit. Hinc ſi poſt impoſitam penſionem aliqua Abbatia, ſuper qua penſio impoſita eſſet, incendio, aut hoſtium inuaſione, aut bonorum monaſterij violenta occupatione, ad tenuiorem deueniret fortunam, aut reditus ita diminuerentur, quod non ſufficerent ad ſuſtentationem Abbatis, & conuentus, & ad ſolitam pauperum eleemoſynam, peregrinorumque ſuſceptionem, Abbas poſſit à Pontifice petere diminutionem, aut totalem penſionis amotionem, pro ſtatu damni illati, & diminutione fructuum. argum. cap. propter ſterilitatem. de locato. l. licet. C. locati. & l. Si merces. §. vis maior. ff. eod. Ratio etiam huius rei eſt euidens. Penſiones imponuntur habito reſpectu ad fructus dignitatum, & beneficiorum, & eo attento, ne egeant, ſed commodam ſuſtentationem habeant

beant poſſeſſores dignitatum, atque beneficiorum, atque onera ſolita ſupportare queant. Si ergo fructus tollantur, & Abbatia in facultatibus temporum iniuria patiatur, aut hoſtium violenta irruptione, aut bonorum occupatione, neceſſariò venit moderanda, aut omninò tollenda etiam penſio, pro rata damnorum.

Etſi penſionarius antiquo iure ratione penſionis ad nullum fuit obligatus diuinum officium perſoluendum, tamẽ nunc iure nouo, quicunque penſionem vt clericus percipit, tenetur ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis: Quod ſi non fecerit, manet obnoxius reſtitutioni fructuum, quos in penſione recepit, iuxta formam traditam à Pio V. in motu proprio, qui habetur in bullario ſuarum conſtitutionum, & eſt in ordine 138. & ſic e verbo ad verbum ſe habet.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex proximo Lateranenſi Concilio ſalubris ſanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium Eccleſiaſticum, cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo ceſſante impedimento non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis officii, & temporis ſuos non faciat, ſed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Veruntamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cuiuſnam ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei

 euiden-

euidentius, atq; expreſsius prouidere volentes, ſtatuimus, vt qui horas omnes canonicas, vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, vel beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur: qui verò matutinum tantum, dimidiam, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum ſingulas, ſextam partẽ fructuum eiuſdem diei amittat: tametſi aliquis choro addictus non recitatis omnibus horis canonicis, cum alijs præſens adſit, fructuſq; & diſtributiones fortè aliter aſsignatas, ſola præſentia, iuxta ſtatuta conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat, id etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſsionem: Item ille, qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſauerit, graue peccatum intelligat admiſiſſe. Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacunq; alia beneficia, etiam nullum omnino ſeruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicunque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium, paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſsioni obnoxium. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Dei omnipotentis, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorũ eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis

Domi-

Dominicæ Milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo primo, duodecimo Kalend. Octob. Pontificatus noſtri Anno primo. Atque ob hanc Pontificis conſtitutionem, nunc communiter DD. tradunt penſionarios eſſe obligatos ad Officium B. Virginis. Nauarr. in Manual. Confeſſ. cap. 2. num. 108. & 122. & in Enchirid. de orat. & Horis Canonic. cap. 21. num. 10. & lib. 3. conſil. in tit. de præbend. conſil. 54. & alibi. Petr. de Aragon. in 2. 2. D. Thom. q. 100. art. 4. Gregor. de Valent. etiam in 2. 2. diſputat. 6. q. 2. punct. 10. in q. Qui teneantur legere horas Canonicas. Coſmus Philiarc. Florent. lib. 6. ca. 3. tom. 2. de offic. ſacerdot. Petrus à Nauarr. lib. 2. de reſtitut. c. 2. num. 172. Bartol. Medin. lib. 1. Inſtitut. c. 14. §. 11. & poſt alios plures Henricus Henriquez Theologus Societatis Iesv, & profeſſor Salmanticenſis tom. 1. Theologiæ moralis. lib. 13. c. 13. §. 2. & atteſtatur dictum (motum proprium) eſſe receptum in praxi: vt Salmanticæ fatentur Iuriſperiti & multi ex Theologis, quamuis à principio iſtius proprij motus Archiepiſcopus Guerrer. Simanc. & quidam Theologi putauerint expedire, contẽderintq́; ne in praxi admitteretur: ſed certè ille fuit auſus temerarius. arg. eorum, quæ in fine bullæ adijciuntur, & eorum ſententia meritò venit reijcienda. Notanda etiã verba Pontificis in d. Bulla, dũ limitat de percipiẽtibus penſionem, ad eos, qui pcipiunt vt clerici. Quia q fructus, aut reditus penſiones percipiunt titulo merè

ſæculari; vtpote propter res fortiter, præclaréque geſtas in bello, contra Eccleſiæ hoſtes; Hi neque etiam ad horas B. Virginis obligantur, ſicuti nec etiam ad tonſuram, & clericatum. Præterea Sotus, alijque qui ſcripſerunt ante d. conſtitutionem, aſſerunt penſiones habentes, ad nullum obligatos eſſe officium: cum beneficium non poſſideant ipſi, ſed beneficiarij: Id tum verum fuit, cum aliud iure non fuerit cautum. At Pius V. nouo iure id de horis B. Virginis, quantum ad penſionarios, introduxit.

Qui penſiones percipit vt clericus, ſi matrimonium contrahat, amittit penſionem, prout tradunt Couarr. 2.part.de matrimon.c. 6. §.3. num. 7. Hieron. Gigas de penſionib. q. 54. Nauarr. in d.tractat. de orat. cap.21. num. 53. Henriquez loco cit. & alij alibi. Et ſic Romanæ Curiæ ſtylus, qui ius facit. cap.graui. de crimine falſi, obtinuit, & adhuc obtinet, quod penſiones per contractum matrimonij vacent, vt etiam Nauarr. & Couarr. atteſtantur. Et addidi (qui penſiones percipit, vt clericus) Quia quando à Pontifice alicui merè laico pro defenſione Eccleſiæ benè geſta conceduntur, contrahens matrimonium, eas non amittit. Eadem ratio eſſe poſſet, ſi de mente Pontificis eſſet, idq; conſtaret, quod per coniugalem contractum nō vellet extingui penſiones, prout Couarr. & ante eum Ioan. Baptiſta Caccialupus in tract. de penſionib. q.30.

anno-

annotant. Quando Eccleſiaſticus penſionarius moritur, ante terminum, aut diem ſolutionis definitum, dubium eſt, an pro rata temporis hæredibus defuncti penſio perſoluenda ſit. V. G. Vicario Epiſcopi conſtituta eſt penſio ſuper menſa Epiſcopali, quæ penſio ſoluenda eſt in feſto Natiuitatis Ioannis Baptiſtæ: Vicarius moritur circa feſtum paſchæ: dubitatur, an pro rata præteriti temporis penſio ſoluenda. Quidam DD. penſionem Eccleſiaſticam vſufructui ſimilem affirmant: quandoquidem extinguitur morte hominis penſio, ſicut vſusfructus, & ita hanc ſimilitudinem procedere autumant. Caccialup. in q. 25. Cardinal. in Clem. 1. §. Eadem. num. 4. & Imol. ibid. num. 26. de ſupplenda negligent. prælat. Gigas de penſionib. q. 45. & 52. Qua ſtante ſimilitudine inferunt queſtionem hanc decidendam iuxta diſtinctionem text. in l. defuncta. ff. de vſufruct. in hunc modum. Primo, quod mortuo penſionario fructibus iam perceptis, ante diem ſolutioni præſtitutam, integra penſio hæredibus debita ſit. Secundo: quando poſt diem penſionis ſoluendæ, antequam fructus, ſuper quibus penſio conſtituta fuit, colligerentur, & tunc hæredibus non debentur. Tertio, fructibus partim collectis ante mortem penſionarij, partim poſt eiuſdem mortem perceptis, & tunc penſio hæredibus penſionarij ſoluendi pro rata fructuum, ante eius obitum perceptorum. Hæc fru-

ctuum diuiſio deducitur ex dictis per Alexandr. in conſil. 15. lib. 2. Caccialup. & Gigantem. Horum DD. conſiderationem rectè reijcit Didac. Couar. lib. 1. variar. reſolut. cap. 15. num. 13. cum penſionarius fructus beneficij non percipiat, ſed beneficiarius, qui titulum habet, & adhuc is non eſt vſufructuario ſimilis: cum in d. l. Defuncta. agatur de penſione, quæ ſoluitur tanquam pretium fructuum, & pro rei vſu. At penſionario Eccleſiaſtico non ſoluitur penſio tanquam pretium fructuum, vt manifeſtiſſimum eſt. Accedit, quod in penſione noſtra vt plurimum non fructuum, ſed certa pars pecuniæ ſoluitur. Qua de cauſa, Couarr. omninò cenſet penſionem Eccleſiaſticam pro rata temporis hæredibus penſionarij deberi. Rationes duæ ab eo inſinuantur, quas ſic in formam reducere licet. *Prima.* Penſio à Pontifice conſtituitur in alimentum ipſius clerici, cui conceditur, vt receptiſſimum eſſe videtur. At alimenta ſunt debita vſque ad mortem. *Secunda.* Penſio multis conſtituitur in ſtipendium, vt Coadiutoribus & Vicarijs Epiſcoporum, vtpote quia miniſterium aliquod impendunt Eccleſiæ, & in Eccleſiaſticis officijs ſuam operam impendant; ſed ſtipendium laborantibus, & operam ſuam impendentibus vſque ad mortem debitum eſt. Atque hæ rationes, veriorem, æquioremq; perſuadent hanc poſteriorem ſententiam, pro qua eſt etiam text. cum expoſitione

Alberi-

Alberici. in l. Diuortio. ff. ſoluto matrimon. His præmiſſis, quæ faciunt ad aliqualem intelligentiam dicendorum, nunc deſcendendum ad reſolutionem quæſtionis. Pro qua ſit.

Prima Concluſio. *Penſionem auctoritate Pontificis tenens iuſta, legitimaque interueniente cauſa, ſecurus eſt, tam in conſcientia, quam in foro exteriori.* Hæc eſt de mente omnium Theologorum DD. & Iuriſperitorum. Quam docent Canoniſtæ in hoc cap. Non ſatis. prope finem. & alij omnes loc. in hac materia allegatis. Ratio etiam patet. Pontifex eſt adminiſtrator beneficiorum Eccleſiaſticorum; in eiſque habet plenitudinem poteſtatis. capite 2. de præbend. in 6. Gloſſ. & DD. ibidem, vt apud omnes receptiſſimum eſt. Ergo quando neceſſitas exigit, vtilitas Eccleſiæ poſtulat, aliaque rationabilis cauſa vrget, poteſt fructus Eccleſiaſticos diſpenſare. Id enim ſpectat ad fidelem, prudentemque diſpenſatorem, quem Dominus conſtituit ſuper familiam ſuam, vt indigentibus, quibus, & quando oportet, neceſſaria diſtribuat.

Secunda Concluſio. *Penſio clericalis, nec emi, nec vendi poteſt alicui tertio, abſq; Papæ auctoritate ſine ſimonia.* Hanc docent Nauarr. in Manual. Confeſſar. cap. 23. num. 111. ſtatim in princip. & lib. 5. conſil. in tit. de ſimonia. cap. 52. & alibi. Petr. de Aragon. & communiter Theologi

recentiores. Et id ſtylus curiæ habet. Quia omnis conuentio circa ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa, ſine conſenſu Papæ cenſetur ſimoniaca.cap.Quam pio.1.queſt.2.& cap.fin. de pact. Multa, quæ faciunt pro vlteriori declaratione huius concluſionis colligit Caccialup. in quæſt. 19.

Maxima hoc in loco eſt dubitatio inter DD. An liceat ſine ſimoniæ vitio, citra Papæ auctoritatem redimere penſionem, ſiue extinguere, vt aliqui loquuntur, V.G. vt dubitatio intelligatur: Beneficiarius aliquis ſuper ſuo beneficio habet conſtitutionem 25. ducatorum auri de Camera, qui pro penſione debentur Petro clerico legenti ius canonicum in aliqua Vniuerſitate. An talis beneficiarius Petro conſentiente poſſit propria auctoritate ſemel Petro ſoluere anticipata ſolutione 200. aut 250. ducatos, ad liberandum ſe à ſolutione penſionis annuæ. Varij in hac re ſunt DD. Sotus lib.9. de iuſtit.& iure. quæſt.7. art. 2. Franciſc. Victoria in relect. de ſimonia. 1. part. nu.52. Petrus de Aragon. 2.2. quæſt.100. art. 4. & quidam alij recentiores diſtinguunt duplex genus penſionum. Quædam aſſignantur alicui, vt clerico ad ſpiritualem aliquam cauſam, & effectum, & requirunt clericatum. Aliæ verò aſſignantur ob cauſam temporalem, vel quaſi temporalem, vt quando militi, qui benè, & ſtrenuè operam ſuam impendit in defenſione Eccleſiæ, aut fidei, penſio ali-

qua

qua aſſignatur in remunerationem. In prio-
ribus penſionibus putant non eſſe locum re-
demptioni, ſed in poſterioribus. Ratio pro
prioribus. Huiuſmodi penſiones ſunt aliquid
ſpirituale, aut ſpirituali annexum. Ergo ſine
ſimonia non poſſunt redimi. Cauſa autem
pro penſionibus poſterioris generis. Quia
huiuſmodi penſiones ſunt merè temporales,
& cauſa etiam eſt temporalis, cui penſiones
huiuſmodi innituntur. Caietan. in tom. 1. o-
puſculorum in tract. 17. reſponſ. reſponſ. 10.
opinatur non eſſe ſimoniam, penſionem et-
iam omnem redimere: quia ius penſionis eſt
quid purè temporale, nihil ſpiritualitatis ha-
bens. Quod ex duobus ſecundum eum pa-
tet: inprimis, quia penſio ſolos fructus Ec-
cleſiaſtici beneficij reſpicit. Etenim annua
penſio non eſt beneficium Eccleſiaſticum
propriè loquendo, ſed beneficium ex quo ti-
bi annua debetur penſio; illius eſt, qui tibi
debet annuam penſionem de fructibus, prop-
ter quod ſolus ille beneficium hoc habens, te-
netur ad diuinum officium horarum Cano-
nicarum. Secundo ex eo patet, quod ſit me-
rè temporale, quia conceditur etiam laicis:
sicut eis etiam conceduntur decimæ, non
quidem ius ſpirituale decimarum: ſed tem-
poralis actio circa fructus decimarũ ex men-
te S. Thomæ 2. 2. quæſt. 100. art. 4. ad 3. Et ſi-
militer eſt dicendum in propoſito, quod con-
ceſſio annuæ penſionis non eſt niſi pura tem-

poralis rei donatio, ac per hoc poteſt licitè pro certa ſumma pecuniæ, beneficium ab onere penſionis liberari. Eandem ſententiam amplectuntur Hiero. Gigas in tract. de penſion. q. 87. & Gregor. de Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 16. punct. 3. q. 5. & vlt. qui latius, & profundius Caietani ſententiam explicat, & probat in hunc modũ. Illud, quod per ſe, & immediatè acquirit redimẽs penſionem pro pecunia, nihil eſt aliud, quam libertas, ſiue immunitas ab obligatione, & onere pendendi illã quotam, ſeu partem fructuum: ſed hæc non eſt quid ſpirituale, nec ſpirituali annexum. Ergo nulla eſt in tali redemptione ſimonia. Maior clara videtur. Qui enim redimit penſionem, nihil aliud intendit, quam vt ſit liber, & abſolutus ab onere ſoluendi illam partem fructuum. Minor nunc probatur. Talis libertas non eſt aliquid ſpirituale, vt patet: Nec etiam ſpirituali annexum, aut conſequenter, cum non innitatur fundamento ſpirituali, ſed temporali, puta collationi pecuniæ, pro qua obtinetur: aut antecedenter: cum non per ſe ordinetur ad aliquid ſpirituale, ſed ad partem fructuum recipiendam: Neque etiam concomitanter, vt eſt labor per ſe neceſſarius ad officium ſpirituale, vt patet. Ergo nullo modo ea libertas eſt quid annexum ſpirituali. Alia eſt ſententia Nauarri in Manual. Confeſſar. cap. 23. num. 111. & lib. 3. conſil. in tit. de præbend. conſil. 52. & conſil. 54. & lib. 5. in tit. de ſimonia.

Digitized by Google

conſil.6. num.3. & 63. num.1. & alibi. Simoniam eſſe penſionem redimere ſine Pa- conſenſu. Sotus & alij quidam eam ſententiam etiam attribuunt Ioanni Maiori in 4. 25. q. 5. qui tamen aliud nihil dicit, quam penſionem eſſe aliquid ſpirituale. Adrian. etiam quodlib. 9. in reſponſ. ad 5. eandem etiam amplectitur ſententiam, licet non innitatur eidem fundamento. Eandem etiam Coſmus Philiarcus in dicto lib.6. cap.3. ſequitur, & alij quidam recentiores. Pro reſolutione ſit.

Tertia Concluſio. *Redimere, ſiue extinguere, penſionē ſine auctoritate, & conſenſu Pontificis, etſi ex ſua natura non ſit ſimoniacum, nunc tamen prohibitione, & de ſtylo curiæ eſt ſimonia, niſi conſenſus Pontificis accedat.* Prima pars conſtat ex fundamentis Caietani, & Philiarci, & ratione Greg. de Valentia ſupra poſita. Secundam probat curiæ ſtylus receptus, vt Nauarr. & Philiarc. alijq; atteſtantur. Concedit autem Pontifex cum facilitate quando ſupplicatio offertur, penſionum extinctionem, quia ſic beneficiorum onera tolluntur: & libertas à talibus oneribus eſt maximè fauorabilis.

Circa latiorem prioris partis intelligentiam. Sciendum diuerſa fundamenta, quæ habent DD. plerique ſententijs diſcordantes in redemptione penſionis, diuerſitatem ſententiarū inducere. Qui namq; negant penſionem eſſe redimibilē ſine ſimonia, quemadmodum

Sotus

Sotus, Adrianus, & Victoria exiſtimant penſionem eſſe quid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, vt indicat Nauarr. non quidem antecedenter, vt ius patronatus, ſed dependenter, aut conſequenter inſtar beneficij. Caiet. Philiarc. & alij ſentiunt penſionem eſſe quid temporale, & ſic nihil impedit, quo minus pretio poſſit extingui: & communiter de facto Papæ auctoritate extinguitur. Quod non contingeret ſi penſio eſſet quid ſpirituale, aut ſpirituali annexum inſtar beneficij: quia tum ex natura ſua, & contra ius diuinum foret ſimonia, quam Papæ auctoritas non purgaret. Manifeſtum etiam eſt, quod non omne ius ad fructus percipiendos Eccleſiaſticos eſt ſpirituale: nec omne, quod dependet ex ſpirituali eſt inuendibile, & ſpirituale. Fructus ſiquidem beneficij dependent ex beneficio, cuius intuitu percipiuntur, quodque ſpirituale eſt, & tamen fructus venduntur, diſtrahuntur, & elocantur, & ſic qui eos virtute talium contractuũ percipiunt, nihil iuris ſpiritualis conſequuntur, nec vllam ſimoniam etiam committunt. Commodatiſſimum ad hanc rem elucidandam eſt exemplum tactum à Caietan. acceptum à S. Thoma 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. & latius ab eodem declaratum in eadem part. quæſt. 87. art. 3. in materiam decimarum, circa quas duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſum ius accipiendi decimas, & ipſæ res, quæ nomine decimarum dantur: Ius percipiendi decimas eſt ſpi-

eſt ſpirituale: quia conſequitur illud debitum, quo miniſtris altaris ex iure naturali, & diuino debentur ſumptus in ſuſtentationẽ, atq; ea de cauſa ſolũ clericis laborantibus in miniſterio diuino, atq; ad hoc ſupernaturaliter deputatis competit ius percipiendi decimas. Res autem quæ nomine decimarum dantur, corporales ſunt, & temporales: quare in vſum quorumlibet, etiam laicorum deueniunt, & Pontificis beneficio Regibus, Principibus, & ſæcularibus conceduntur in remunerationem etiam temporalium ſeruitiorum, vt compertiſſimum eſt, & ſæpiſſimè tales ſæculares etiam in alios transferunt per contractus ciuiles, ſine vlla ſimoniæ ſuſpicione: Ita & in propoſito, quando alicui à Pontifice penſio aſſignatur, non datur ei ius ſpirituale beneficij, cum id ſemper reſideat penes beneficiarium: niſi auctoritate Papæ vnum beneficium diuidatur cum fructibus, & duo inſtituantur: tunc tamen amplius penſionis verè nomen non obtinet: ſed ius temporale percipiendi aliquos beneficij fructus conceditur. Poteſt enim Pontifex, in quo ampla reſidet poteſtas, circa fructus Eccleſiaſticos, ſeparare eos à beneficijs, & ſubijcere vſui temporali quorumcunque pro vtilitate, & neceſſitate Eccleſiæ: & tunc ius percipiendi fructus ſeparatos à beneficio, ſiue penſio, eſt quid factum temporale, nec antecedenter ſe habet ad ſpirituale, ſicut ius patronatus, nec conſequenter, ſicut beneficium,

ficium, ſed ſpirituali annectitur, ſicut fructus beneficio, qui tamen fructus emuntur, venduntur, & alienantur ſine omni ſimonia. Quoniam autem huiuſmodi fructus ſunt de beneficijs Eccleſiaſticis, ſuamque originem ex patrimonio Chriſti trahunt, Pontifex, qui penſiones pro ſua poteſtate potuit concedere, potuit etiam onus, conditionemq; imponere, vt fructus ſeu penſiones percipientes per clericalem tonſurã ad inſtar beneficiariorum clericali militiæ inſcriberentur, & aliquid ſeruitutis impenderent, recitando Officium B. Virginis. Quiſq; enim poteſt modum, conditionemq; ſuæ rei præſcribere. Cum enim fructus Eccleſiæ ſint ſtipendia laborantium, & egentium, non decebat, vt ij, quibus concederentur otioſè panem Eccleſiæ comederent. Non tamen obligantur ad Canonicum officium penſionarij, ſed tantum ipſi beneficiarij. Quod ordinauit tandẽ iure nouo ſine dubio cum maxima conſideratione Pius V. maximè cum his temporibus penſiones ceperint frequentari: & ita etiã meritò potuit prohibere, ne huiuſmodi penſiones etiã alienentur, trãſferantur in alios, aut redimantur ſine ſummi in Eccleſia moderatoris ſcientia, & conſenſu. Alias multi multas ſucceſſiuè cumularent per dolum, & argutius penſiones, quas quam primũ redimi cuperent, & alios ad redimendum ſollicitarẽt, vt auaritia ſtimulante ſtatim marſupium implerent, & tandem penſiones, quæ proue-

rouenîunt ex bonis Eccleſiaſticis, fierent ambia ad ditandum multos, & non ad ſubenienduminopię aliquorum. Facit magis ad lluſtrandam hanc rem, quod Didac. in Ruoric.de teſtam. c. 7. num. 19. poſt Hieron. Gigant. in tract. de penſionibus. q. 52. cenſet penſionariũ proprio teſtamento poſſe diſponere ex reditibus, ex penſione Eccleſiaſtica perceptis, & eo inteſtato decedente eoſdem reditus ad legitimos ſucceſſores de iure pertinere. Quod profecto argumentũ eſt fructus penſionum non eſſe eiuſdem naturæ cũ alijs fructibus titulo beneficiorũ perceptis, nec ex eadem radice deſcendere hanc diuerſitatem. Beneficiorum enim fructus titulum ſequuntur, atq; in eo tanquam ſtipendium miniſtris debitũ fundantur. At penſionarij fructus in donatione, & translatione Pontificis, qui abſque tituli translatione pro ſua poteſtate ſeparat fructus, eoſq; applicat ex rationabili cauſa pẽſionario, aut remunerationis meritorũ cauſa, aut alio pietatis intuitu, interdum quidem ſine omni onere, vt quando merè laico pro laboribus cauſa Eccleſiæ ſuſceptis: aliquando adiuncta conditione clericatus cum obligatione ad horas B. Virginis. Nec mirũ, cum etiam quilibet priuatus, ſi ex bonis ſuis fundet locum pium, vt ſeminarium clericorum, poſſit apponere conditiones honeſtas obligatorias. Ex dictis ſolui poſſunt ea argumenta, quę Nauar. facit pro ſua opinione, quod pẽſio ſit ali-

ſit aliquid ſpirituali adiunctum, & ita non poſſit redimi.

Quarta Concluſio. *Penſio gratis remitti poteſt abſque Pontificis auctoritate: nec ſimonia committitur.* Nauarr. in Manual. Confeſſ. cap. 23. num. 111. & alibi ſæpè in Conſilijs. Nec eſt in ea re dubium. Tum enim nihil temporale accipitur pro ſpirituali; aut contra.

QVÆSTIO III.

An licitè ſine ſimonia poſſit dari pecunia miniſtro baptiſmi alias nolenti baptiſmum conferre?

HAnc Quæſtionem DD. hic in cap. Cum in Eccleſiæ. Panorm. Felin. Cardin. Ioan. ab Anania. & communiter alij mouent. Altius tamen Theologi, Alexand. Alen. 2. part. q. 187. memb. 3. art. 1. §. 1. S. Thom. 2. 2. quæſt. 100. art. 2. ad 1. & eius commentatores ibid. Idem S. Thom. in 4. d. 5. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. Rich. in d. 25. art. 3. Maior ibid. q. 5. ad 2. & alij in ead. d. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 16. Adrian. latè quodl. 9. art. 3. in Litt. Y. Soto lib. 9. de iuſt. & iure. quæſt. 6. art. 1. in ſolut. ad 1. Sylueſt. in V. Simonia. q. 8. & communiter Summiſtæ in eod. verb. Ante plenam huius quæſtionis reſolutionem quædam ſunt præmittenda.

Primum.

Primum. Conueniunt DD. poſt S. Thom. Alex. Alen. & alios non eſſe illicitum, nec ſimoniacum aquam ad neceſſitatem baptiſmi emere, quando alias non haberetur. Tunc enim nihil ſpirituale emitur, ideoque ſimonia locum non habet.

Secundum. Etiam conſentiunt DD. quando adeſt alius vir, aut fœmina, qui vel quę poſſit in neceſſitatę baptiſmum infanti conferre, tunc non liceat miniſtro pecuniam dare, vt baptiſmum conferat. Quia in tali caſu puer non cenſeretur eſſe in neceſſitate, quandoquidem baptiſmus etiam collatus à laico ſuum effectum habet iuxta omnium ſententiam.

Tertium. Adminiſtratio baptiſmi conſiderari poteſt aut reſpectu infantis, cui non competit aliud remedium ad conſequendum ſalutem: aut in ordine ad adultum, qui ſaluari poteſt baptiſmo flaminis, id eſt, contritione, quando actu haberi non poteſt baptiſmus fluminis.

Quartum. Auctores non conueniunt in principali quæſtione. Quidam exiſtimant, quod quando puer eſſet baptizandus, nec eſſet homo alius qui baptizare poſſet, aut vellet: tunc potius permittendum, vt puer moriatur ſine baptiſmo, quam vt pecunia detur miniſtro pro puero baptizando. Rich. in 4. d. 25. art. 3. q. 1. Cuius etiam ſententiæ videntur S. Thom. in 4. d. 5. q. 2. Petrus de Tarantaſia. Paludan.

Iudan. in 4. d. 5. q. 3. & alij. quam etiam ex iunioribus apprehendit Petrus de Aragon. in 2. 2. S. Thomæ: quæſt. 100. art. 2. circa ſolutionem ad 1. Huius etiam opinionis meminit Panorm. in hoc cap. Ad hoc eſt etiam lepidum illud Gloſſ. in cap. Baptizandis. 1. q. 1. ſic dicentis, quod quando nullus eſt alius, qui in neceſſitate baptizet, non ideò danda eſt pecunia, & committēda ſimonia, potius permittatur mori puer ſine baptiſmo. Ego tamen (addit) potius darem pecuniam, quam eum ſic dimitterem mori: & benè, licet non deberem facere. Ratio huius ſententiæ fundamentalis eſt. Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona, nec debet quis peccare, vt infans ſaluetur. argum. in cap. Quod ait. 14. d. Gloſſ. ibid. & cap. Sicut. 46. diſt. Alia eſt opinio Panormit. Ioan. ab Anania in hoc cap. & quorundam aliorum. Angel. in verb. ſimonia 2. num. 12. Landulp. in d. 25. 4. Caiet. in d. art. S. Thomæ. Gerſon in tract. de ſimonia. Soti & aliorum diſtinguentium licitum eſſe offerre pretium pro baptiſmo infantis ad redimendam vexationem, ſiue repellendam iniuriam: cum infanti baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutē: nec aliud ei ſuppetat remedium, quo ſaluari poſſit, & ita eſt in extrema neceſſitate, reſpectu baptiſmi. Non eſt autem licitum pro baptizando adulto pecuniam offerre: quandoquidem baptiſmus aquæ non eſt huic ſimpliciter neceſſarius, cum per baptiſmum flaminis, id eſt, contritionem,

poſſit

poſſit conſequi ſalutem. Sotus reprehendit Caietan. innuentem non eſſe licitum pro baptiſmo pretium dare: cum tam intrinſecè malum ſit rem ſpiritualem emere, atq; vendere. Vnde Sotus nouam ſubtilitatem excogitauit, & arguit in hunc modum. Inprimis: ſi ſacramentum emere, eſſet perinde, ac mentiri intrinſecè malum, neque ad redimendam vexationem, licitum fieret: Quoniam pretium ad redimendam vexationem dare, eſt ſacramentum emere tanquam medium ad propulſandam iniuriam: nam etſi ſuprema intentio in emptionem ſacramenti non feratur, nihilominus illud accipitur tanquã medium, quod ad cauendam vexationem refertur: veluti qui ad redimendam vexationem emeret fauorabilem ſententiam iniqui iudicis. Et confirmatur hinc ratio: quoniam quantumuis ille me iurare cogat, quod pecuniam pro ſacramento tribuo: nihilominus ſalua eſt mea ſuprema intentio, quod hoc facio ad redimendam vexationem, ob idque nulla ſubeſt in iuramento falſitas. Quamobrem ſubiungit Sotus, quod hæc ſententia de redimenda vexatione nõ aliter defenſari poſſit, quam per diſtinctionẽ emendi, vendendiq; ſacramentum. Itaq; etſi vendere ſacramentũ, & rem quamcunq; ſpiritualẽ ſit penitus intrinſecè malum, adeò, vt neque ad redimendam vexationem, neq; vlla excogitabili cauſa licitè fieri poſſit: pretium tamen pro illo offerre, dicendum

non adeò intrinſecè malum, quin extrema neceſſitas illud permittat. Dat Sotus aliquale exemplum in mutatione ſub fœnore, quæ intrinſecè mala eſt, & in receptione, quam poteſt excuſare neceſſitas. Hæc ſententia Soti reijcitur à Petro de Aragon. Greg. de Valent. & alijs quibuſdam recentioribus. Quia emptio rei ſpiritualis, ſicut etiam venditio intrinſecè, eſſentialiterque eſt mala, & talis ſimonia, qualis in definitione declarata, quæ ita mala, vt nunquam licita reddatur, quocunque fine. Et confirmatur. Simonia eſt intrinſecè mala, quando pretium offertur pro re ſpirituali, quæ pretio æſtimari non poteſt: at hoc contingit in emptione baptiſmi. His additur, quod Actor. 8. D. Petrus Simonem Magum ſimoniæ arguit, quia voluit emere gratiam Spiritus ſancti. Ex quibus patet, quod emptio in ſpiritualibus æquè praua eſt, quam venditio, & in hoc caſu iſtorum relatiuorum par eſt ratio. Neque etiam ad propoſitum facit exemplum, quo Sotus ſuam doctrinam illuſtrare voluit de mutatione ſub fœnore: Cum diuerſa ſit ratio in vſura, & ſimonia. In vſura, quia accipit aliquid pretio æſtimabile vltra ſortem peccat, quia lædit proximum contra iuſtitiam: at qui ſoluit vſuras non lædit contra iuſtitiam, ſed tantum contra charitatem, quia inducit vſurarium ad peccatum. Quæ inductio ceſſat in parato ad mutuandum ſub vſura maximè intercedente neceſsitate eius, qui recipit

cipit mutuum ſub vſura: & ſic recipere mutuum ſub vſura, eamq; ſoluere non eſt ita malum, ſicuti recipere vſuram. In ſimonia verò eadem eſt ratio ementis, pretiumq; ſoluentis, nec non etiam vendentis. Vterq; enim iniuriam rei ſacræ facit, & pretio æſtimat id, quod ſub pretium neutiquam cadit.

Quinto loco præmittendum. Quod parens pro infante ſuo exiſtente in periculo mortis maximum habet ius ad procurandum ei baptiſmum, ne anima pereat, & infans irreparabile damnum incurrat. Qua de cauſa tam patri, quã infanti grauiſsima infertur iniuria, dum denegatur baptiſmus, in quem neceſſitas ſummum ius concedit. Nunc pro reſolutione ſit.

Prima Concluſio. *Si ſacerdos tam inſatiabili deſiderio pecuniæ arderet, quod ſubterfugeret in neceſsitate miniſtrare baptiſmum, niſi pecuniam acciperet, licitum foret ei donare pecuniam, vt ſatiato appetitu per eam, animoque mutato ſuum officium faceret.* Hanc docet Adrian. nec eſt alius, qui eam neget. In hoc caſu nihil ſpirituale emitur, nec aliqua emptio intenditur. Sed ſacerdos ſi recipiat principaliter ob adminiſtrationem baptiſmi, ſimoniacus eſt, & tenetur ad reſtitutionem pecuniæ ſic receptæ.

Secunda Concluſio. *Si ſacerdos, aut miniſter in tali neceſsitate nolit baptizare niſi pro pecunia, ſuamque prauam intentionem exprimat, adhuc licitum eſt ei pecuniam offerre, ſed non ad ſuam inten-*

tionem, puta volendo emere baptiſmum, quem ipſe vendere intendit: ſed ad redimendam vexationem, aut repellendam iniuriam. Hæc eſt nunc communior, & receptior DD. opinio: quam amplectuntur Panorm. Ioann. ab Anania, & plerique alij in hoc cap. & Theologi ſupra allegati, & recentiores. Ratio. Quia hæc non eſt emptio niſi ſola voce dicenda, ſed redemptio vexationis, & amotio impedimenti, quod obſtat, ne ſuum ius pater & infans, qui eius portio eſt, conſequantur. Intentio autem redimentis vexationem nõ debet ferri in emptionem rei ſpiritualis tanquam medium quoddam ordinatum ad remouendam iniuriã, quæ obſtat, quo minus ſpirituale, ſcilicet baptiſmus adminiſtretur: ſed vt pecuniam det tanquam motiuum quoddam, ad propulſandam iniuriam, quam patitur in denegatione rei ſibi debitæ, id eſt, baptiſmi, in quem habet in tali extrema neceſſitate ſummum ius.

Tertia Concluſio. *Non eſt etiam ſimoniacum, ſi adultus in extrema neceſſitate baptiſmi ſit conſtitutus, ſibiq; perſuadeat, quod difficulter ſufficientem contritionem habebit, pecuniam offerat ad redimendam ſuam vexationem.* Hæc concluſio eſt contra communiorem DD. ſententiam diſtinguentium inter adultum, & infantẽ, vt ſupra ſignificatum. Eam tamen amplectuntur Adrian. loc. cit. Richard. in d. 25. Maior ibid. q. 5. Gregor. de Valent. in d. q. 100. S. Tho. punct. 3. Henric. Henriquez. tom. 1. Theologiæ moral.

Digitized by Google

ral.lib.2.cap.23. §.3. & alij quidam recentiores. Ratio. Quoniam etiam adultus in neceſſitate baptiſmi grauiſſimã habet cauſam negligendi tunc peccatum alterius, atq; procurandi per vexationis redemptionem baptiſmũ: quamuis qui ſic pecuniam recipit ſimoniam committat. Etenim quis certus eſſe poteſt, an veram, & ſufficientem contritionẽ habeat, quæ ſine ſacramento ad ſalutem ſufficiat, cũ nemo ſciat, an amore, an odio dignus ſit, & quiſquis meritò timere debeat de ſua diſpoſitione. Atque etiã in hoc caſu oblatio pecuniæ in adulto eſt vera redemptio vexationis, pro tuẽdo optimo, neceſſarioq; iure, quod Chriſtus cõceſſit omnibus ad ſacramentum ſaluti neceſſarium, imò efficax, tutiſſimumq; remedium.

QVÆSTIO IV.

An infidelibus poſſit dari pecunia, vt ad fidem conuertantur, baptiſmumq́; recipiant?

PAnormit. Cardin. Anton. & alij in fine huius cap. Cardin. Alexandr. Archidiac. Turrecrem. & alij in cap. Quam pio. 1. quæſt. 2. cum Gloſſ. ibid. Angel. in verb. ſimonia. 2. num. 13. Syluéſt. eodem verb. quæſt. 8. Dict. 3. S. Antonin. part. 2. tit. 12. cap. 2. §.1. tractant.

Prima Concluſ. *Simonia eſſet, ſi quis pecunia,*

aut temporali pretio conuerſionem alicuius procuraret: ita quod pecunia principalis cauſa mouens eſſet infideli, vt fidem, fideique ſacramentum acceptaret. Hæc Concluſio eſt communis DD. locis cit. Et confirmatur ex d. cap. Quam pio. & ratione firma. Conuerſio hominis, & ſuſceptio baptiſmi ſunt res ſpirituales ſupernaturales, atq; dona Dei. Ergo pro eis pretium dare eſſet ſimonia.

Secunda Concluſio. *Si infideles diſpoſiti eſſent ad fidem ſuſcipiendam, tamen nollent ob paupertatis timorem ſuſcipere, vtpote quia iniuſta lucra ex vſura, aut alijs iniquis contractibus acquiſiuiſſent, quæ facti Chriſtiani tenerentur reſtituere, atq; ſic non haberent, vnde apud Chriſtianos viuerent, liceret illis pecuniam, aut temporalia bona promittere, aut offerre pro amouẽdis impedimentis.* Hanc in virtute tradunt Panor. Anton. & alij in hoc c. & poſt eos Summiſtæ vbi ſupra. Nec poteſt aliquis in hac re dubitare. Ratio, quoniam in hoc caſu non datur temporale pro ſpirituali, ſed offertur pro amotione obſtaculi temporalis impedientis, ne venire poſſint aut audeant ad fidem, religionemque Chriſtianam.

Tertia Concluſio. *Licitum eſt etiam temporalibus bonis, aut beneficijs infideles, vt Paganos, Iudæos, alioſque ad deuotionem noſtræ fidei prouocare, aut eorum beneuolentiam captare, atque ſic diffundere bonum odorem Chriſti, vt facilius incitentur ad fidem.* In hac Concluſione non eſt etiam dubium. Quia hoc non eſt emere conuerſionem ipſo-

ipſorum, ſed temporalibus tantum humano modo diſponere, eorumque amicos allicere ad amplectendam fidem. Faciunt pro hac concluſione cap. Qui ſyncera. d.45. & 23.q.4. cap. Debet homo. ex Aug. Epiſt.52. ad Macedonium. Debet, inquit, homo diligere proximum tanquã ſeipſum, vt quem potuerit hominem, vel beneficentiæ conſolatione, vel informatione doctrinæ, vel diſciplinæ correctione adducat ad colendum Deum. & ibid. q.7. cap. Quod autem. Sic etiam B. Syluest. legitur, Paganos temporalibus bonis ad Chriſtianiſmum inuitaſſe, & excitaſſe. Hinc ſicuti licet infideles Iudæos, ac paganos, beneficentiæ, beneuolentiæque ſignis ad noſtram fidem perducere. Ita alienum eſt à Chriſtiana pietate, eos armis, terroribus, ac minis ad Chriſti fidem, & baptiſmi ſuſceptionem cogere, ex traditis à S. Thom. 2.2. quæſt. 10. art. 8. & Commentatorib. eius ibid. Richard. in 4. d. 6. art. 3. q. 3. Palud. in eod. d. 4. q. 4. art. 3. Durand. ibid. quæſt. 6. Soto d. 5. quæſt. vnica. art. 10. Couarr. in Regul. Peccatum. part. 2. §. 10. num. 1. & alijs communiter alibi per d. cap. Qui ſyncera. cap. Maiores. de baptiſmo, & eius effect. cap. Sicuti Iudæi. de Iudæis. Quamuis Soto in 4. d. 4. q. vlt. Gabriel. ibid. quæſt. 2. Dub. 5. & Alphonſus Caſtrenſis lib. 2. de iuſta hæret. punitione. cap. 14. contrarium ſentiat. Nempe poſſe infideles Chriſtianis principibus ſubiectos compelli ad

fidem, quæ tamen opinio communiter nunc ſaniori DD.cenſura reijcitur.

CAPVT X.

Breue eſt, non ſummatur.

INNOCENTIVS III. Vigilienſi Epiſcopo.

Cum ſit Romana, & infra) Conſultationi tuæ reſpondemus, quod nihil pro Eccleſiarum conſecratione potes, vel debes præter procurationem exigere.

PRo huius capitis pleniori explicatione ponuntur aliquæ Concluſiones.

Prima Concluſio. *Pro Eccleſiæ vel etiam altaris conſecratione ſine ſimoniæ crimine nihil pretij poteſt exigi.* Eſt communis omnium in hoc cap. & in cap. Statuimus. 1. q. 1. & cap. Placuit. 1. q. 2. & confirmatur in eiſdem cap. Deinde, Conſecrare Eccleſiam, vel altare, eſt actus ſpiritualis. Ergo nihil poteſt pro eo exigi.

Secunda Concluſio. *Epiſcopus, aut eius miniſtri, ſiue clerici poſſunt accipere munuſcula, quæ pro conſuetudine ſolent offerri in huiuſmodi conſecrandi actibus, non tamen ſunt exigenda.* Cardin. Alexand. & Turrecrem. in d. cap. Placuit. Conſuetudo enim videtur hæc recipere in ſuſtentationem, aut merè donationis titulo gratis offeruntur. Vnde non ſunt ex pacto danda, aut exigēda. Quia etiam modicū quantumcunq; detur

detur ex pacto in ſpiritualibus, inducit ſimoniam. Gloſſ. & DD. infra, c. Etſi quæſtiones, & faciunt c. Ex tuæ. & c. Tuæ infra hoc tit.

Tertia Concluſio. *Epiſcopus in conſecratione Eccleſiæ poteſt moderatam procurationem exigere.* Hæc eſt communis etiam omnium opinio in d. can. Procuratio autem nihil aliud eſt, quam expenſæ neceſſariò faciendæ pro victu, & potu Epiſcopi, & ſuorum, aut etiam ſuſtentatione equorum, dum Eccleſiam conſecrat. per notata à DD. in cap. Romana. §. Procurationes autem. de cenſib. & exact. in 6. Imò notant Hoſtienſ. & poſt eum Panormitan. alijque in hoc cap. quod Epiſcopus conſecrans poteſt exigere procurationem, etiamſi Eccleſia conſecranda ſit vicina Epiſcopatui, ſiue habitationi Epiſcopi, vel etiam in eadem ciuitate, non ſecus atque procuratio debita Viſitatoribus ratione viſitationis Eccleſiarum debetur etiam ab Eccleſijs, quæ ſunt in propria ciuitate. cap. Venerabili. de cenſibus. & Doctores communiter per text. ibid. Sed circa hoc noſtrum c. Doctores mouent Dubium. *An etiam in alio caſu, prӕterquam in textu expreſſo debeatur Epiſcopo procuratio.* Vt ſi exempli gratia, reconciliaret Eccleſiam violatam, vel altare conſecraret Abbati, aut Abbatiſſæ benedictionem impenderet: & ſic de ſimilibus? Cardinalis, Felin. Anton. & communis in hoc capite, & in cap. Propoſuiſti. de conſecratione Eccleſ. vel altar. ſentiunt,

quod

quod in nullo caſu prælato procuratio debetur in exercitio ſui officij, niſi in caſibus in iure expreſſis: & ſic cum ius tantum concedat in conſecratione Eccleſiæ, & viſitatione, non eſt extendendum ad ſimiles actus. Panormit. & poſt eum Ioann. ab Anania in hoc cap. cenſent in caſibus ſimilibus expreſſis procurationem debitam. Non enim poſſunt omnes iuris articuli lege complecti. l. Non poſſunt. ff. de legib. & cap. Cum dilecta. de confirmat. vtil. vel inutil. His additur, quod vbi eſt eadem ratio, & omnimoda ſimilitudo, non dicitur lex extendi, ſed caſus ſub eiuſdem legis diſpoſitione includi. per Gloſſ. Valde notabilem, & iura ab eadem allegata. in cap. 1. in verb. Italia. de tempor. ordinand. Facit etiam text. in l. Nominis, & rei. §. Verbum. ff. de verb. ſignificat. & in l. His. C. de reuocand. donat. ibi: Satis etiam tacitè, & cautum putamus, quem vt ſingularem ad hoc notat Bald. in Rubr. C. de Nautico fœnor. Nec dicitur omiſſum, quod eadem ratione includitur per text. 2. §. licet. de translat. Epiſcop. Et hæc poſtrema ſententia verior, æquiorque videtur, ob rationem, & iura allegata. Nec enim talis procuratio datur pro vllo labore, aut antecedenti, aut comitanti actus conſecrationis: ſed pro ſuſtentatione Epiſcopi, & ſuorum, qui laborant in ſpiritualibus. Iuxta enim Apoſtolicam traditionem, Non eſt ligandum os boui trituranti.

CAPVT

CAPVT XI.

Conuictus de ſimonia deponendus eſt, idem in infamato, qui ſe purgare non poteſt.

Idem Toletano Epiſcopo.

DE hoc autem, quod Epiſcopus Exonien. Archidiac. beneficia, & cuidam clerico ante electionem ſuam prioratum dicitur promiſiſſe, vt vterq; conſentiret eidem: tuæ prudentiæ reſpondemus, quod ſi manifeſtum eſt eundem Archidiaconū & clericum ob cauſam illam promiſſa recepiſſe, aut exinde confeſſi fuerunt in iure, vel legitimè conuicti, ab altaris miniſterio ſunt perpetuò deponendi. Si verò id manifeſtum eſt, nec tamen inde conuicti, vel confeſſi fuerint, ſed tantum publica laborant infamia, eis canonica purgatio debet indici: in qua ſi defecerint, tanquam auctores ſint tanti ſceleris, puniendi. Regem autem, & principes eius debes inducere, vt ſi quæ receperint à præfato Epiſcopo, vt eius electioni præſtarent aſſenſum: Eccleſiæ Exonien. ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine graui ſuæ ſalutis periculo retinere non poßint.

Caſus literalis ſecundum Bernard. Panormit. & alios eſt talis huius cap. Epiſcopus Exonienſis ante ſuam electionem promiſit Archidiacono quoddam beneficium, & cuidam clerico quendam prioratum, vt vterque ſuæ electioni conſentiret. Item Rex, & alij Principes

cipes pecuniam acceperunt, vt electioni conſentirent, quæſiuit Archiepiſcopus quid ſibi agendum foret ſuper prædictis. Reſpondet Pontifex: quod ſi notorium eſt, dictum Archidiaconum, & clericum recepiſſe promiſſa ob cauſam illam, vel exinde confeſſi fuerint in iure, vel legitimè conuicti: ab altaris miniſterio ſunt perpetuò deponendi. Si verò non eſt notorium, nec conuicti ſunt, nec confeſſi, ſed publica laborant infamia, indicenda eſt illis purgatio, in qua ſi defecerint, ſunt puniendi. Rex autem, & principes ſunt inducendi, vt ſi quæ receperunt à dicto Epiſcopo, vt electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ Exonien. reſtituant, cum ea ſine periculo animæ retinere non poſſint.

Circa Gloſſ. & text. aliqua notanda. Primo, Pari pœna afficitur in ſimonia is, de cuius crimine notoriè conſtat, & confeſſus, vel conuictus. Panormitan. Ioann. ab Anania. Secundo. Infamato de ſimonia indicitur Canonica purgatio, de qua in titu. de purgat. canon. Et ſi defecerit in purgatione, punitur vt auctor ſceleris. Tertio. Circa Gloſſ. in verb. In iure, cum dicit, quod confeſſio extra iudicium non præiudicat ſecundum Abbatem. Felin. alioſq; intelligendum, quantum ad plenum, vt Abb. loquitur, ſiue vt clarius dicamus, quantum ad pœnam criminis, facit tamen indicium ad torturam, vt tenet Gloſſ. l. cap. 5. ff. de adult. quæ communiter recepta eſt ab au-

ab auctoribus. Felin.in cap. Olim. num.5. de reſcript.Decio.in cap.At ſi clerici. num.17. de indicijs. Marſil.in ſing.310.incip.Credo te ſcire.Iul.Clar.lib.5.ſentent.§.fin. practic.crimin. quæſt.21.num.31.& alijs paſſim alibi. Felin.tamen ſex hic ponit limitationes illius dicti Gloſſ.quod confeſſio extra iudicium non generet præiudicium ad quem remitto lectorem,cum non multum faciant ad noſtrũ propoſitum. Cardin.etiam multas contra text.facit oppoſitiones, quas etiam breuibus reſoluit. Quæ propterea ſpectant ad intelligentiam eorum, quæ in text. difficultatem habere poſſunt,materiamque ſimonię tangunt,nunc in quæſtione reſoluentur.

QVÆSTIO I.

An & quomodo locum in Electione ad dignitates, & Eccleſiaſtica munia, ſeu beneficia ſimonia habeat?

ANte reſolutionem paucis quędam ſunt prænotanda.

Primum. *Electio, vt in præſenti de ea agimus, eſt alicuius perſonæ ad prælaturam, ſiue dignitatem, canonicè facta vocatio.* Vel alio modo. *Eſt quædam ad prælaturas, vel beneficia Eccleſiaſtica vacantia, ab his ad quos pertinet ritè facta optio.*

Secun-

Secundum. Quandoquidem Electio recta, & Canonica, eſt medium diuinitus adinuentum; per quod homo vocatur ad regimen animarum, & munera in Eccleſiaſtico ſtatu exercenda, cadit ſub materiam ſimoniæ: vt apertum eſt ex hoc c. & alijs pluribus, & communi omnium rectè ſentientium conſenſu.

Tertium. Ambitio, quæ inordinatus appetitus honoris eſt, & fomentum, & incendium præbet ſimoniæ in electionibus. Ambitio autem dicitur ab Ambio, quod eſt ambitionibus appetere ſecundum Nonium. Ab hoc verbo venit ambitus. de quo in C. & ff. ad L. Iul. de ambitu. ſiue, quod is, qui non ſuæ virtuti confidit, non rectè graditur, ſed per circuitum, ſiue, quod Romani, qui honores peterent, ſingulos circumibant, prehenſantes, roganteſque, vt ſe in ſuffragijs adiuuarent: ſiue, quod qui pro adipiſcendis honoribus ſolliciti ſunt, cum rogant, exordio quodam longiore, & verborum circuitu vtuntur, prout admodum benè, accommodateque doctiſſimus Menochius loquitur. lib. 2. centuria 5. caſu 401. num. 2. de arbit. iudic. qq. Ambitio autem, & ambitus differunt, vt etiam Laurent. Valla. lib. 4. Elegant. cap. 19. animaduertit. Ambitio enim eſt in animo: Ambitus in actu. Et ſic ſecundum Theologos dicere poſſumus, & verè dicimus, quod ambitio ſit inordinatus appetitus honoris, ſiue peccatum voluntatis, ambitus autem operis. Illum autem,

quem

quem leges Imperatorum, & ciuiles ambitum appellant in polyticis, nunc Pontificum conſtitutiones ſimoniam appellant in Eccleſiaſticis. argum. eorum, quæ Bartol. in l. vnica. ff. ad L. Iuliam. de ambitu. Cynus. Salycet. Albert. & alij in l. 1. C. eodem titu. adferunt: etiam Menoch. loco cit. num. 19. expreſsè notat.

Quartum. Quanto odio ſit perſequenda, quamque deteſtabilis ſit ſimonia in electionibus ad dignitates, atque munia Eccleſiaſtica, abundè nos docent conſtitutiones Imperatorum ciuiles, nec non diuerſorum temporum leges, & Ethnicorum veterum exempla, qui omni ſtudio laborarunt, ne ambitus in magiſtratibus, & publicis muneribus, locum ſibi vendicaret. Atque inprimis ſe offert inſignis illa conſtitutio in l. Si quenquam. C. de Epiſcop. & cleric. quæ cum admodum inſignis ſit ad noſtrum inſtitutum, placuit ipſam hic de verbo ad verbum inſerere. *Si quenquam vel in hac vrbe regia, vel in cæteris prouincijs, quæ toto orbe diffuſæ ſunt, ad Epiſcopatus gradum Deo auctore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis ſcientia, ſyncero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum ſacerdotij venalitate pretij meretur: quantum quiſque mereatur, non quantum dare ſufficit æſtimetur. Profectò enim quis locus tutus, & quæ cauſa poterit eſſe excuſata, ſi veneranda Dei templa pecunijs expugnentur? quem murum integritatis, aut vallum fidei prouidebimus, ſi auri ſacra fames penetralia veneranda proſerpit? Denique quid cautum eſſe*

tum eſſe poterit, aut ſecurum ſi ſanctitas incorrupta corrumpitur? Ceſſet altaribus imminere prophanus ardor auaritiæ, & à ſacris aditis repellatur piaculare flagitium. Ita caſtus, & humilis noſtris temporibus eligatur Eqiſcopus, vt locorum quocunque peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Non pretio, ſed precibus ordinetur. Antiſtes tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, vt quæratur cogendus: rogatus recedat, inuitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profecto enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus inuitus. Cum ſanè quiſquis hanc ſacram, & venerandam antiſtitis ſedem pecuniæ interuentu ſubijſſe, aut ſi quis, vt alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepiſſe detegitur: inſtar publici criminis, & læſæ maieſtatis accuſatione propoſita: à gradu ſacerdotij retrahatur: nec hoc ſolum deinceps honore priuari, ſed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus, vt eos, quos per facinus coinquinat & æquat, vtroſque ſimilis pœna comitetur.

Atque hæc Auguſtus Imperator in dicta lege. Huic adiunguntur Leges in C. & ff. ad Leg. Iuliam. de ambitu. & in ff. l. vnic. Si quis ambitu in municipio magiſtratum, aut ſacerdotium petijſſet, per ſenatuſconſultum in centum aureos, cum infamia puniebatur. In quo loco etſi Gloſſ. Accurſij ſacerdotium intelligat dignitatem ſæcularem, tamen Gulielmus Budæus in annotat. ad dictam l. 1. aliter intelligendum de ſacerdotijs aduerſus Accurſium oſtendit, vt etiam Menoch. loc. cit. inſinuat.

nuat. Caius Petilius tribunus plebis Caio Fabio Auguſto, & C. Plantio Coſſ. legem tulit, qua largitiones illorum, qui honores pecunia mercarentur, graui damno, & pœna mulctabantur, ambituſque ſeueriſſima diſciplina, ac graui cenſura vindicabantur: vt meminerunt Liuius 1. Decad. lib. 7. & Alexand. ab Alexand. genial. dierum. lib. 3. capite 7. Cincius etiam lege munerali grauiſſimas pœnas decreuit in eos, qui à quouis candidato munus, donumq́ue ſuffragij cauſa acciperet. De qua re mentionem fecerunt Cicero lib. de Senectute. Liuius 3. Decad. lib. 4. Tacit. lib. 11. Alexand. ab Alex. vbi ſupra. Andreas Tiraquell. de nobilitate capite 29. Fuit etiam lex Calphurnia à C. Calphurnio Piſone ædita contra illos, qui mercede corrupti, munereúe deliniti, candidatis obuiauiſſent, quiq́ue pretio illos ſectati eſſent, aut ſi prandium ad captandos animos, aut quid muneris obtuliſſent. Cui legi præter alias pœnas pecuniaria etiam mulcta appoſita fuit. De hac lege Alexand. vbi ſupra. Zaſius in Catalogo legum antiquarum. Paulus Manutius de legibus Romanis. Tiraquellus in annotat. ad Alexand. ab Alexand. in dicto cap. 17. Menochius & alij alibi. Tandem à ſenatuſconſulto cautum extitit, vt candidati ante inita ſuffragia nec conuiuarentur, nec munera mitterent, neque pecuniam deponerent, vt Alexand. teſtatur, & ſatis colligitur ex

Plinio Iuniore lib. 6. epiſt. 19. Cic. in orat. pro Murena. & ex d.l.1. ff. ad L. Iuliam. de ambitu. Harum, aliarumque legum præſcripto prodijt memorabile, & ſeuerum illud exemplum. de Q. Coponio, qui vini amphoram ei, cuius ſuffragio magiſtratum petebat, dono dederat, ideoque ambitus condemnatus, pœnas luit, vt Auctores ſunt Plinius lib. 35. natural. Hiſtoriæ cap. 11. Alexand. loc. cit. & Menoch. Si Imperatores, & Ethnici tam ritè, integreque voluerunt ſine ambitu, donis, & pretio promotiones ad ſæcularis honoris inſignia fieri: Quanto magis conuenit Eccleſiaſticas dignitates, & honores, ſine omni ambitus, & ſimoniæ ſuſpicione acquiri. argum. cap. Sancimus. 1. quæſt. 7. & eorum, quæ Gloſſ. Archidiac. Cardin. Alexand. Turrecr. & alij ibidem dicunt. Quando enim dignitates Eccleſiaſticæ vacant, ſæpè contingit multos circumire, atque ambire ſuffragia muneribus, magnificis promiſſionibus, nec non verborum illecebris in ſuam ſententiam pertrahere: ſæpè etiam non tantum prandia, ſed etiam ſumptuoſa nocturna conuiuia ſolent ambientes adornare ad præparandos, captandoſque eorum animos, qui ſuffragijs patrocinari poſſunt, quibus modis, & practicis humanis non tam Spiritus ſancti gratia impetratur, quam ſpiritus Simonis inſtruitur. Atque rarò accidit, vt illæ electiones bonũ ſortiantur exitum, quæ tam malo ſunt inchoatæ principio. c. principatus. 1. q. 1.

1.q.1. Salutares enim electiones ſalutaria præcedunt opera, quibus Dei gratia acquiritur ad dirigendum bonum Eccleſiæ, & animarum ſalutem. Infœliciſſima eſt enim eorum conditio, qui ambitione, quæ nunquam quieta eſt, ac auaritiæ ardenti deſiderio ad Eccleſiaſticos honorum titulos tendunt. Maiores enim noſtri, quibus propria ſalus chara, & humanarum mentium imbecillitas nota, atque etiam culminis Eccleſiaſtici periculum perſpectum, omni conatu Epiſcopatus, aliaſque prælaturas fugerunt, ne ſe tanto periculo exponerent, atque facilè in foueam inciderent. Quid enim, ait, D. Hieronym. in illa verba Hieremiæ. cap. 5. (clerici eorum non proderunt eis) eos iuuare poterit Epiſcopi nomen, & preſbyteri, vel reliquus ordo Eccleſiaſticus: cum magis grauentur dignitatibus ſuis, & potentes potenter tormenta patiantur? Sic ſanctus Gregorius ne ad Pontificatum promoueretur, latebras quæſiuit, caſumq; ſuum deplorat, quod pro ſua electione non potuerit in perpetuum in monaſterio vitam agere, ſed compulſus fuerit Cathedram Petri aſſumere, vt clarum eſt ex ſua Epiſt. ad Leandrum, quæ moralibus ſuis præfigitur. Sic B. Auguſtin. teſtatur ſe nunquam iuiſſe ad ea loca, quæ Epiſcopo carebant, ne ipſe ad Epiſcopatum cogeretur. ſerm. 1. de communi vita cleric. Quã magno ſtudio etiam D. Chryſoſt. Epiſcopatum fugerit, eius liber de ſacerdotio facilè in-

 dicat.

dicat Gregorius Nazianzenus ob diuinarum literarum ſcientiam ſingularẽ Theologi nomen ſortitus, ad extremum ſucceſſore delecto Epiſcopatum dimiſit, vt totum ſe contemplationi, & diuinæ ſapientiæ traderet. Atq; idem ſtatim presbyter creatus, præſul inſtitui debebat, niſi clam ſe ab Eccleſia proripuiſſet, vt curas mentem humi detorquentes, ac deprimentes effugiſſet, vt Gregorius presbyter in eius vita refert, quæ habetur in 3. tomo Surij. 9. Maij loquitur. Sic D. Thom. (vt alios omittam) Aquinas cognomine, cum ei à Clemente Quarto Archiepiſcopatus Neapolitanus offerretur, non ſolum eum recuſauit, ſed etiam cum humilitate maxima eum deprecatus eſt, ne in poſterum tales honores offerret. Sed & illud memorabile eſt relatum à D. Anton. 2. part. tit. 3. cap. 5. §. 2. verſus finem de Goffredo priore Clarauallen. qui cum electus fuiſſet in Epiſcopum Tornacen. & ab Eugenio Papa, & S. Bernard. cogeretur ſubire onus, in terram proſtratus dixit. Monachus fugitiuus eſſe potero, ſi hinc me eijcitis. Epiſcopus autem nunquam ero: & ſic dimiſſus fuit. Cum autem prædictus Goffredus mortuus apparuiſſet cuidam charo ſibi, interrogatus ab eo de negotio illius Epiſcopatus, quod non acquieuerit iuſſus, ſi fuiſſet illud Deo placitum. Reſpondit, reuelatum eſt mihi à ſanctiſſima Trinitate, quod ſi fuiſſem de numero Epiſcoporum, eſſem de numero reproborum. Vtinam

nam autem hoc tempore multi, qui nunc non tantum ambiunt Epiſcopatus, aliaſque in Eccleſia dignitates, ſed etiam de eis noctes, dieſque ſomniant, & ſi vacent, equis veliſque contendunt, vt conſequantur, ſaperent, intelligerent, ac nouiſſima prouiderent, non ſe offerrent, nec pretio, muneribus, promiſſionibus, blanditijs, atque vijs pluribus periculis plenis quærerent eas in Eccleſia Cathedras, quas ſeniores, & patres noſtri, quibus vitę merita ſuffragabantur, quibus diuinarum literarum ſupellex inerat, quos rerum humanarum contemptus commendabat, & zelus animarum comedebat, contempſerunt. Si enim Patres noſtros interrogaremus, dicerēt nobis veritatem. Nunc autem ambitione, & auaritia excęcati ea, quæ nobis obſunt, appetimus, cum labore, & dolore quærimus id, q cum anxietate, & cruce poſſidemus, metu, timore, & tremore in vitæ fine relinquimus. Quid aūt in dignitatibus homines appetant, vtrū lucrum animarum, vel lucrum burſarum, rectè ait, Peraldus Epiſcopus Lugdu. tom. 2. virtutū & vitiorum. in tract. de ſuperbia. c. 6. propè fin. vtrū honorem, vel laborē, ſatis apparet, ſi honores, & diuitiæ ab officijs ſeparentur. Nunc quādo Epiſcopatus pinguis vacat, omnibus in prōptu eſt ad velandam ambitionem Apoſtolicum illud dictum 1. ad Tim. 3. Qui Epiſcopatū deſiderat bonū opus deſiderat. Quibus hoc ſignificatū velim cū D. Greg. in paſt. 1. part. c. 8. q Apoſt.

 illud

illud dixit, quando ille, qui plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur, & ſic nihil aliud erat, quod in Epiſcopatu appeti poſſet, niſi bonum opus. D. Auguſtin. lib. 19. de Ciuit. Dei. cap. 19. cuius auctoritas adfertur à Gratiano. 8. quæſt. 1. cap. Qui Epiſcopatum. in hunc modum Apoſtoli mentem declarat: Exponere voluit, quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris: Græcum eſt enim atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur eis, quibus præficitur, ſuperintendit, curam ſcilicet eorum gerens, ἐπὶ quippe, ſuper, σκοπὸς verò intentio eſt. Ergo Epiſcopos, ſi velimus latinè, ſuperintendentes poſſumus dicere, vt intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. Itaque à ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus verò ſuperior ſine quo populus regi non poteſt, etſi ita teneatur, atque adminiſtretur, vt decet, tamen non decenter appetitur. Sic Auguſtin. Alia quæ ſpectant ad pleniorem huius loci explicationem, videri poterunt apud D. Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 1. & Commentatores eius ibidem. Sotum lib. 10. de iure, & iuſt. quæſt. 2. art. 1. Aliter etiam exponitur. Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, ſed non benè. Nec valet, inquit, Perald. loc. cit. Qui Epiſcopatum, &c. Ergo deſiderium Epiſcopatus eſt bonum: ſicut non valet: Latro qui vult furari bonam cappam,

cappam, bonam rem deſiderat, ſcilicet bonam cappam. Ergo eius deſiderium bonum eſt. Huic Expoſitioni conſentit D. Chryſoſt. Hom. 10. in 1. ad Timoth. in d. verba Apoſtoli. ſtatim à principio. Dicturus, inquit, de Epiſcopatus officio, cuiuſmodi eſſe Epiſcopum deceat, indicat, &c. Quid autem, ait, (ſi quis Epiſcopatum deſiderat) non culpo, non improbo, opus quippe regiminis eſt. Si quis hunc idcirco appetit, non principatus, ac dominationis faſtu, verum cura regiminis, & charitatis affectu, nō improbo, bonum quippe deſiderat opus. Quippe & Moyſes eam rem appetijſſe dicitur. Verum ille huiuſmodi potentiam, ambitumq́; dominandi nequaquam quæſiuit, ſed eam rem ita cupiuit, vt illi diceretur. Quis te conſtituit Principem, & iudicem ſuper nos? Si quis ergo ita deſiderat, deſiderat benè. Hucuſque ille. Non igitur omnis, qui Epiſcopatum deſiderat, benè eundem cupit. Cui conforme eſt aliud D. Chryſoſt. Homil. 35. in Math. in opere imperfecto dictum: Opus quidem deſiderare bonum, bonum eſt: Primatum autem honoris concupiſcere, vanitas eſt. Primatus enim fugientem ſe deſiderat: deſiderantem ſe horret: ſed nunc redeundum ad ceptum iter.

Quintum. Quatuor vijs ſolet ingreſſus ad Eccleſiaſticas dignitates, honores, & munia patere. Abuſu ſæcularis poteſtatis, vel alterius cuiuſcunq; potentis: ſanguinis illicita affe-

ctione, ſiue amore carnali: Simonia,& recta, ſiue canonica electione, quæ eſt via Dei, id eſt, diuinitus in Eccleſia inſtituta. Hinc illi verſus.

Quatuor Eccleſias portis intratur ad omnes:
Cæſaris: & Giezi: ſanguinis: atque Dei.
Prima patet magnis,& nummis altera, charis
Tertia, ſed paucis quarta patere ſolet.

His præmiſſis nunc deueniendum eſt ad reſolutionem.

Prima Concluſio. *In electione ad dignitates, & prælaturas Eccleſiaſticas locum quandoq; ſortitur ſimonia.* Concluſio eſt certiſſima,nec ab vllo negatur. Et prob.ex hoc cap. & infra c.Mathæus.& 8. q. 3. c.1. & 2. Ratio etiam clara eſt. Electio ad dignitates Eccleſiaſticas eſt via ad ſpiritualia. Quando ergo pecunia aut pretio æſtimabile interuenit,eſt ſimonia.

Secunda Concluſio. *Omnis pactio, aut promiſſio alicuius rei temporalis in electione inducit ſimoniam.* Hæc quæ communiter etiam à DD. tenetur, probatur ex hoc cap.cap.fin. de pact. & 1. quæſt.2. cap. Quam pio. In ſpiritualibus omnis pactio,& conuentio ceſſare debet. Notandum, quod pactum, aut promiſſio poteſt eſſe de aliquo,quod tacitè,ſiue iure,ſiue natura ineſt, vt ſi aliquod beneficium ex fundatione, erectioneque habeat reſidentiam: aut eſt dignitas electiua, quæ ſacerdotium requirit de iure, vt Epiſcopatus, Decanatus, &c. aut beneficium ex inſtitutione primæua tenetur

dare

dare quatuor, aut quinq; modos ſiliginis pauperibus certi loci, & ſic de ſimilibus. Aut promiſſio, ſiue conuentio eſt de aliquo, quod iure non ineſt, vt exempli gratia: Monachi in electione Abbatis conueniunt, vt quicunq; futurus eſt Abbas, præbebit conſenſum, vt Eccleſiæ incorporatæ monaſterio in poſterum conferantur ſeniori conuentus, & in euentũ quo ab illo recuſetur, proximo, & ſic de reliquis. Aut Canonici in electione Epiſcopi pactum ineunt, quod Epiſcopus ipſis preces primas, quando priuilegio, aut conſuetudine habent, in initio Epiſcopatus impertiri ad aliqua beneficia vacatura, teneatur dare: aut quod Epiſcopi correctioni non ſubiacebunt, ſed Decani, & capituli per omnia: atq; ad id iuramẽto ſe aſtringunt, antequã ad electionem procedant, & de ſimilibus ſimilis eſt ratio.

Tertia Concluſio. *Nullum pactum, aut ſtipulatio, ſiue promiſſio de eo, quod iure, & natura ineſt in electione, aut prouiſione facit electionem, aut prouiſionem ſimoniacam.* Ratio eſt: quia quod natura ineſt in ſpiritualibus, aut eis annexis ſine ſimonia poteſt deduci in pactum expreſſum, modò aliter non deducatur in pactum, quam ineſt arg. c. ad audientiam. 2. de reſcript. Gloſſ. ibid. & c. Significaſti. de elect. & arg. l. 3. ff. de legat. 1. Felin. in d. c. Audientiam. num. 8. verſ. Exprimere quod ineſt. Panormit. in cap. olim, 1. de reſtitut. ſpoliat. num. 6. Anton. ibid. nu. 1. & latius in c. Cum M. Ferrar. de conſtit.

num.

num. 51. Ioann. Imolen. in cap. fin. de pact. num. 2. & in cap. Significatum. de præbend. Iaſon in d.l.3. de legat. 1. num. 16. Pro hac ſententia ſunt etiam Damaſ. Vincent. & Tancred. allegati à Cardin. Alexand. & Archid. 8. quæſt. 3. in ſumma. Martin. Nauar. in Manual. Confeſſ. cap. 23. num. 100. & lib. 5. conſil. in tit. de ſimonia. conſil. 2. num. fin. & alibi. Pro hac concluſione facit regula in d.l.3. de leg. 1. poſita à Gloſſ. & à Bart. Caſtren. Ioanne Imolen. Iaſon. & alijs ibidem explicata. Expreſſio conditionis per eum modum qui tacitè ineſt, nihil operatur.

Dubium autem hic eſſe poteſt: Quid ſi canonici iurent inuicem ante electionẽ, & quilibet eorum, quod factus Epiſcopus ſeruabit aliquid, vel non alienabit, &c. Cardin. Alexand. in ſumma. 8. quæſt. 3. reſpondet, quod tale iuramentum valet, nec eſt ſimoniacum, niſi alia ratione eſſet perniciosum Eccleſiæ, quia tunc non eſſet licitum iuramentum, nec ſeruandum. cap. Sicut. 2. de iureiuran. & ibi Panormit. & alij DD. & ita videtur tenere Gloſſ. Facit text. in cap. Talia in fine. Ratio ſecundum Cardinal. quia talis promiſſio non videtur facta magis contemplatione, vel fauore vnius, quam alterius, nec ad corrumpendum eos, qui habent dare vota magis pro vno, quam pro alio; quia huiſmodi à ſingulis facta promiſſio, tollit ſuſpicionem ſimoniæ: ſicuti in ſimili dicit Ludou. Roman. in l. ſtipulatio hoc

hoc modo concepta. ff.de verbor. obligat. reciprocum pactum de ſuccedendo inter plures fratres valet, quod alias non valeret.l.fin. C.de pact. Alia tamen ratio foret, ſi huiuſmodi pacta eſſent pernicioſa, aut tenderent ad tollendum, ſiue diminuendum plenitudinem poteſtatis eligendi, per ea, quæ allegat Card.

Reſpondetur ſecundum dicta, ſi faciant pacta inuicem, & ea iuramento confirmant pro vtilitate Eccleſiæ circa ea, quę iure inſunt, valent pacta, nec committitur ſimonia: & hęc eſt communiſſima ſententia Theologorum, & fortè ita intelligit Cardin. Alexand. Si autem faciant alia, quæ non inſunt iure, committitur ſimonia per iura allegata in concluſ. In ſpiritualium acquiſitione omnis conuentio, & pactum abeſſe debent. Quod ſine dubio locum habet, quando Canonici, aut eligentes pacta, aut conuentiones etiam iuratas adhibent, quibus libertas eligendi, ſiue electi reſtringitur contra ius, & canones, & carnali libertati habenæ laxantur. Contingit quandoque in electionibus, quod Electores ita pactis, conuentionibus, & quod peius eſt etiam iuramentis manus, pedeſque eligendi ligent, vt abſque eorum conſenſu vix exequi poſſit ſuum officium. Quando autem huiuſmodi pacta fiunt, ſi ſint illicita contra iura, aut Epiſcopalem auctoritatem, non ligant, etiam iurata: Quia iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis: aut contra bonum publicum

cum, animarumque ſalutem, per ea, quæ au-ctores adducunt de obligatione iuramenti, & colligunt Angel. in verb. Iuramentum. 3. & Syluest. eodem verb. 4. Si autem dubitatur, an poſſint huiuſmodi conditiones, & pacta ſer-uari cum debito paſtoralis officij regimine, & executione petenda eſt abſolutio iuramen-ti à Pontifice, cuius auctoritate ſunt admit-tenda, vel reijcienda huiuſmodi capitula iu-rata. Quando autem pacta apponuntur in electionibus, quæ tacitè non inſunt, & alias ſunt ſimoniaca tantum quia prohibita, ſi fiant cum conditione, quod Pontifici fide-liter exponantur, & cum eius beneplaci-to fiant, & admittantur, non inducunt ſi-moniam. Dictum in Concluſionis ratione, prout etiam Concluſio intelligenda (modo aliter non deducatur in pactum, quam iure ineſt) quia ſi deducitur aliquid plus, vel ali-ter in pactum, quam ineſt, ſimonia commit-titur. Felin. Nauarr. & alij: Sic ſi quis in pa-ctum deducat obligationem ad antidora in ſpiritualibus, committitur ſimonia: quia alio modo requiritur, quam prius ineſt, Inerat e-nim prius obligatio naturalis, & pacto indu-citur ciuilis. Dicitur autem ea obligatio an-tidoralis, quæ naſcitur ex beneuolentia, aut grati animi ſignificatione. Faciunt ad huius Dicti confirmationem ea, quæ DD. docent in materia vſurarum, quod in mutuo ſine v-ſura, obligatio antidoralis non valeat deduci

in ciui-

in ciuilem, per conuentionem, aut pactum. S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 2. 3. & 4. Conrad. de contract. q. 46. concluſ. 4. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. art. 1. Syluest. in verb. vſura 1. q. 2. Gloſſ. & Archidiac. 14. q. 3. cap. Si quis fœneraueris. Ioan. ab Anania. Cardin. & Panormit. in cap. Conſuluit. de vſur. Bald. in Rubr. C. de vſura. col. 1. Decius in l. Rogaſti. §. Si tibi. colum. fin. ff. ſi certum petatur. Ancharan. in reg. Peccati venia. q. 8. de reg. iur. in 6. & alij alibi. De qua re latius actum eſt à nobis in Comment. de cap. Conſuluit. q. 2.

Quarta Concluſio. In electione ſimonia committitur, quando vota pecunia, aut pretio comparantur. c. Mathæus. & c. Nobis infra hoc tit. c. Cum ſuper. de confeſſ. Felin. Panor. Anton. & communiter DD. in d. c. Mathæus. Quod veritatem habet etiam ſecundum DD. ſi quis vnum tantum votum pecunia emeret, aut promiſſione alicuius temporalis acquireret: & ſic prauitas vnius inficit totum actum electionis.

Quinta Concluſio. *Conferens, aut promittens beneficium Eccleſiaſticum ad hoc, vt eius vocem, aut ſuffragium in electione ad dignitatem, aut aliud Eccleſiaſticum munus obeundum conſequatur, crimen ſimoniæ incurrit.* Eſt communis DD. in hoc c. & probatur per idem cap. Licet enim beneficium ſit quid ſpirituale, tamen emolumenta, quæ beneficium conſequuntur, & ex eo dependent, ſunt tēporalia, & pretio æſtimantur.

Vnde

Vnde qui beneficium dat, aut promittit, vt ſuffragium in electione ad dignitatem acquiratur, ſimoniæ crimine ſe maculat. Eadem ratione hæc pacta ſunt ſimoniaca. Ego promitto te eligere, & tu me. Vel conuenio tecum, vt meum nepotem nunc ætatem habentem eligas, & ego eligam tuum in proxima inſtante electione. Solent enim quandoque dicere maiores Canonici. Canonizemus nepotes noſtros. Placeat tibi de meo, & mihi placebit de tuo. Raymund. in tit. de Simonia. & poſt alios Summa Piſanella in verb. ſimonia 3. in tract. de benefic. Aurea Armilla in eod. verb. num. 46. Selua in 1. part. q. 7. & alij alibi. Quia vt ſæpè dictum, In ſpiritualibus omnis pactio eſt prohibita.

Sexta concluſio. *Etiam ſimoniaca redditur electio, quando ambiens dignitatem alicui tertio dat pecuniam, aut promittit aliquid temporale, vt procuret aut impetret ſibi votum alicuius, qui habet ius etiam pro ſua parte ad eligendum.* DD. cum text. communiter infra in cap. Nobis. & arg. c. Per inquiſitionem. de elect. & eorum, quæ DD. ibidem annotant. Ratio eſt, quia datur, aut promittitur temporale pro ſpirituali conſequendo, quod ſpectat ad crimen ſimoniæ, vt frequentiſſimè repetitur in hac materia. Hinc aſpirans in electione ad Epiſcopatum, ſi aliquem amicum, aut fratrem alicuius collegæ accedat, vt ab amico, ſeu fratre collegæ ſuffragium ſibi petat, promittendo quod factus

Epiſco-

Epiſcopus ipſum infeudabit de bono aliquo feudo vacante per ſententiam, aut feloniam commiſſam, ſimoniam etiam committit.

Septima Concluſio. *Electus à maiore parte Capituli, ſi contradicat minor pars, nec velit conſentire, electus nec per ſe, nec per alios ſine crimine ſimoniæ poteſt contradicentibus pecuniam offerre, vt conquieſcant, & à contradicendo deſiſtant.* Panormit. Felin. & alij infra. in cap. Mathæus. Piſanella in d. verb. Simonia 3. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 21. Sylueſt. in eodem verb. quæſt. 13. Aurea Armill. num. 25. & alij per text. in d. cap. Mathæus. Nec licitum eſt redimere vexationem ante ius in re quæſitum: vt communiter DD. tradunt.

Dubium hoc loco moueri poteſt. An ad impediendam electionem iniurioſam, & Eccleſiæ pernicioſam liceat pecuniam offerre: V.G. In Capitulo duo ſunt inter quos militat electio. Vnus Catholicus doctus, & prouidus, atque dignus qui præficiatur Eccleſiæ: Alter Caluiniſta, qui oberit Eccleſiæ tam in ſpiritualibus, quam temporalibus. Dubium nunc quærit: An liceat pecunia amouere ab illo indigno electionem, ſi videatur in illum inclinare fortaſſe maior pars eligentium, vtpote, quia habet plures ſibi adhærentes.

Dico I. Caietan. tom. 2. opuſc. tract. 9. quæſt. 3. Dominicus à Soto. lib. 9. de iure, & iuſt. q. 6. art. 1. in ſolut. ad 5. Gregor. de Valent. in 2. 2. diſp. 6. quæſt. 16. punct. 3. quæſt. 3. Nauarr. in

Manual. cap.23. num.102. verſ.Octauo, & alij quidam recentiores Theologi exiſtimant, quando talis iniuria, aut violentia imminet, quod liceat pecunia amouere, & vexationem redimere, modò recta ſit intentio.

Dico II. Caiet. ſolus exiſtimat non eſſe licitum in illo caſu electionem in dignum illum, in ſpecie dirigere, ſed tantum in genere, vt eligatur dignus: ſed alij rectius iudicant id etiam eſſe licitum ad promotionem digni, quia in hoc caſu repulſio vnius, vt Sotus ait, eſſet alterius electio.

Dico III. Quando in hoc caſu pecunia offertur eis, qui pernicioſam Eccleſiæ moliuntur electionem ad redimendam vexationem, intentio eſſe debet, non vt pecunia detur tanquam pretiũ rei ſpiritualis, ſed tanquam motiuum ad remouendam iniuriam, quæ Eccleſiæ imminet.

Dico IV. Exiſtimarem quod in hoc caſu poſſet aliquis pro ſeipſo procurare, quando iudicio bonorum virorum ipſemet ſolus dignus iudicaretur ad bonum Eccleſiæ, & diſcrimen tantum inter ipſum & alium indignum verteretur, quicquid in contrarium Caietan. dicat.

Dico V. Si ambiguitas verteretur inter duos dignos, etſi alter eſſet dignior, neutiquam eſſet licitum electionem pecunia, aut temporalium promiſſionibus deflectere in digniorẽ. Quia tum non redimeretur vexatio, ſed daretur oc-

tur occaſio peruertendi electiones ſimoniacâ prauitate,& mentiretur iniquitas ſibi.

Octaua Concluſio. *Omnis electio ſimoniacè procurata,aut facta eſt nulla, per eamq́; nullum ius acquiritur electo.* Hæc eſt communis DD. tam Theologorum, quam Summiſtarum, & Canoniſtarum, & probatur ex iure. c. Sanctorum.1.q.1. cap.Si alicuius de election. & d.cap. Nobis.& Extrauag.Pauli II.de ſimonia.& alibi: in quibus iuribus nihil clarius. Excipitur tamen ſingularis caſus ſecundum Panormit. Felin. & alios in d.c. Nobis. Rebuff. in concordat.in tit.de electionis derogat. non longè à principio, ſuper verb.Simoniacis. Sylueſt.in d. q. & alios communiter alibi: quando ſcilicet ſimonia commiſſa eſt in fraudem eius, qui ſperabatur eligi, vtpote inimici, & ficti amici commiſerunt ſimoniam cum aliquo electorum ipſo ignorante ad effectum impediendi, & irritandi electionem.

Nona Concluſio. *Omnis electio ſimoniacè contracta in ordine ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica, excommunicationem inducit inter ſic eligentes, & electum.* Eſt communis DD.per expreſſum textum. in d. Extrauag. Pauli II. ibi: ſententiam excommunicationis incurrunt, à qua niſi à Romano Pontifice pro tẽpore exiſtente non poſſint abſolui,&c.Eidem excommunicationi ſubiacent mediatores,quales ſæpè ſolent interuenire in electionib.ad pingues prælaturas. Mittuntur amici, procuratores,&

alij mediatores, qui pollicitationibus, promiſſionibus bonorum tam Eccleſiaſticorum, quam ſæculariũ, aut donis datis, aut alijs omnibus modis, qui à diligenti, vigilantique ambitioſo excogitari poſſint, venentur, emant, & procurent vota neceſſaria ad electionem: Et vtinam frequenter huiuſmodi non fierent aliquando, necdum vacantibus dignitatibus: & hæc parua tamen, & minima hoc tempore, imò pleriſque nulla peccata videntur: gloriantur nonnunquam de huiuſmodi, & exultant in rebus peſſimis. Ingrediuntur Eccleſias cum Simone in maledictione, & putant quod fœlix regimen ſint habituri; Sed ſi auri ſacra fames in penetralia veneranda proſerpit, quis locus tutus erit?

CAPVT XII.

Simoniacum eſt pro temporali obſequio beneficium Eccleſiaſticum promittere.

Idem Eboracen. Archiepiſcopo.

Cum eſſent in noſtra præſentia conſtituti R. clericus, & nobilis vir V. quia idem V. moram diutius facere non poterat, pro ſe in cauſa illa ſufficientem conſtituit reſponſalem.

Cumque ab ore præfati R. intellexerimus, quod memoratus miles promiſerat ei dare Eccleſiam, ſi quoddam negotium eiuſdem in noſtra poſſet præſentia pro-

tia promouere: ac per hoc promiſsionem ipſam continere ſimoniacam prauitatem, eidem R. ſuper eadem Eccleſia ſilentium duximus imponendum.

CAſus cap. talis eſt ſecundum Abbatem. R. clericus, & nobilis Vir V. erant in præſentia domini Papæ pro controuerſia, quam inter ſe habebant. Quia nobilis ille in curia domini Papæ morã diutius trahere non poterat, pro ſe in cauſa illa conſtituit procuratorem partibus in præſentia Papæ conſtitutis, clericus ille confeſſus eſt, quod miles ille promiſerat ei dare Eccleſiam illã ſuper qua litigabant, ſi quoddam negotium ipſius militis poſſit in præſentia Papæ promouere: Et quia promiſſio illa continebat ſimoniacam prauitatem, eidem R. Papa impoſuit ſilentium ſuper illa Eccleſia.

Notandum I. ex text. & DD. Clericum poſſe eſſe procuratorem, ſiue ſolicitatorẽ in cauſa laici. Quod quidem verum cenſent in Curia Romana, & foro Eccleſiaſtico. argum. cap. Per venerabilem. iuncta ſuperſcriptione. Qui filij ſint legitimi: Secus autem in foro ſæculari. Panormit. Anton. Felin. Ioann. ab Anania ſecuti Abbatem ſentiunt, quod clericus non prohibetur procurare & promouere vnum negotium laici. Iura autem in contrarium prohibent exercitium, & indiſtinctè agere munus procuratoris.

Notandum II. Cum Ioanne Andrea, Car-

din. Panormit. Ioan. ab Anania, & alijs circa textum de promouendo negotio apud ſedem Apoſtolicam, quod hodie qui facit pactum de dando, aut recipiendo aliquid commoditatis, aut vtilitatis pro obtinenda, & conſequenda iuſtitia aut gratia apud ſedem Apoſtolicam, pro ſe, ſiue pro alio, ſiue ſit clericus, ſiue laicus vtriuſque ſexus, aut etiam religioſus, ſiue familiaris Papæ, ſiue non; eſt ipſo iure excommunicatus: nec à tali excommunicatione abſque ſpeciali mandato Pontificis poteſt abſolutionis beneficiũ obtinere, per Extrauag. Bonifacij VIII. cuius hoc loco auctores allegati meminerunt, habeturque inter Extrauag. communes. de ſentent. excommunic. c. 1. atq; incipit. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis. Et licet hæc extrauag. Bonifacij ſit reuocata per Clementẽ V. vt teſtantur Angel. in Summa. verb. Excommunicat. 5. excomm. 35. poſt Ioan. Calderin. & Ioann. à Lignano. Syluеſt. in verb. Excommunicatio 7. excomm. 46. Palud. in 4. d. 18. q. 3. Nauarr. in Enchirid. confeſſ. cap. 27. num. 106. in fine. & in Comment. de datis, & promiſſis pro iuſtitia vel gratia obtinẽdis: ſtatim in princip. Fuit tamen nunc noſtris temporibus innouata, & maioribus pœnis munita à fœliciſſimæ memorię Pontifice Gregorio XIII. in extrauag. incip. Ab ipſo Pontificatus noſtri principio, &c. quæ promulgata eſt ſub dato Anni Incarnationis Dominicæ 1574.
Nonis

Nonis Nouemb. Pontificatus eius Anno 3. Hanc Gregorij extrauag. eruditè lateque explicat Nauarr. per totum comment. de datis & promiſſis.

'*Notandum* III. Cum Gloſſ. in fine mouent DD. dubium, An quis licitè ſeruire poſſit alicui prælato, ſperareque ab eo beneficium abſque ſimonia: cuius dubij ſolutio patebit infra in Quæſtione. In hoc c. plenius tractabitur de ſimonia, quæ admitti ſolet circa beneficiorum collationem, & diſpoſitionem.

QVÆSTIO I.

An & quomodo ſimonia committatur in beneficiorum collatione, prouiſione, & acquiſitione?

PRima Concluſio. *Quicunque dat pecuniam, aut aliud quodcunque temporale pro beneficio quocunque Eccleſiaſtico conſequendo, & acquirendo ſimoniæ crimen committit.* Hæc eſt communis Theologorũ, Summiſtarum, & Canoniſtarũ, omniumq; qui iura tractauerunt. S. Tho. 2. 2. q. 100. a. 4. & 5. Commentatorũ eius ibid. Sot. lib. 9. de iuſt. & iure. q. 7. art. 1. in eandẽ doctrinam S. Tho. Alexand. Alen. 2. par. q. 187. mẽb. 6. S. Anton. 2. part. tit. 1. c. 5. §. 21. & ſæpius in toto c. Palud. in 4. d. 25. q. 4. Albert. ibid. a. 4. Durãd. q. 5. in ead. d. Gabr. ſuper Can. Miſſ. lect. 2. Adrian. quodl. 9. Angel. in ſumm. verb. Simonia 3.

nia 3. Summ. Piſanell. Syluestr. Caietan. & aliorum. in eodem verb. Cardin. Alexand. Archidiac. Turrecr. & aliorum in 1. quæſt. 3. cap. Si quis obiecerit. & cap. Saluator. & ſequentib. Canoniſtarum in hoc cap. & infra in cap. Iacobus. & frequentiſſimè in hoc titu. Rebuff. in praxi benefic. 1. part. in titu. Quot modis beneficia acquirantur. Et in 3. part. in titu. de ſimonia in reſignat. Ioann. à Selua de benefic. 1. part. quæſt. 7. & aliorum paſſim alibi. Probatur nunc Concluſio 1. quæſt. 3. cap. Si quis obiecerit. ex Paſchali I. Si quis obiecerit non conſecrationes emi, ſed res ipſas, quæ ex conſecratione proueniunt, penitus deſipere probatur. Nam cum corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale aliquid ſine rebus corporalibus in nullo proficiat: ſicut nec anima ſine corpore corporaliter viuit: Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit. Nullus igitur emat Eccleſiam, vel præbendam, vel aliquid Eccleſiaſticum: nec paſtellum, nec paſtum antea, vel poſtea pro huiuſmodi ſoluat. Et ibidem in cap. Saluator. ex Epiſt. Vrbani II. qui in confirmationem adducit Concilium Chalcedonenſe. Et iterum ibidem Alexander II. cap. Ex multis: ſanctè & probè loquitur ad noſtrum propoſitum his verbis. Ex multis temporibus hoc deteſtabile malum intra veſtram Eccleſiam inoleuiſſe cognouimus, vt nulli vnquam clerico, quamuis re-

uis religioſo, quamuis ſcientia, & moribus prædito Eccleſiaſticum beneficiũ concederetur, niſi ei, qui profano pecuniæ munere illud emere ſtuduiſſet: fiebatq; Eccleſia, & res eius ita venalis, veluti quędã terrena, & vilis merx à negociatoribus ad vendendũ expoſita. Quod malum quam deteſtabile, quantum Deo, ſanctiſque ſit contrarium, & ſacri Canones docent, & ferè omnibus manifeſtum exiſtit. Chalcedonenſe namque Concilium vnum ex principalibus ſimili pœna condemnat eos, qui Eccleſiæ beneficium interuentu pecuniæ acquirunt, & eos, qui ſacram manus impoſitionem (per quam Spiritus ſanctus confertur) mercari dignoſcuntur: Vtroſque enim auctoritate inexpugnabili, illos à beneficio, iſtos à ſacro ordine, &c. Qui enim alij per numularios apud Ioannem II. condemnantur, & è templo à Chriſto tanquam negociatores eijciuntur, quam beneficiorum emptores, & venditores, qui id quod gratis dandum venale faciunt, prout in Rubr. notab. 11. plenius ex ſanctorum Patrum ſententia declarauimus. Vtinam hæc, hoc tempore in multis locis multi conſiderarent, vbi canonicatus, ſiue præbendæ quaſi publicè venales ſunt, nec ſecus, quam cariſſima merx venduntur, non rarò 1000. aut 2000. daleris, aut aureis, & ſic admittuntur in domum Dei, non qui moribus, pietate, diſciplina, & ſcientia locupletati ſunt, ſed qui maiores ſacculos pecuniæ adferunt:

atque ita aditus viris bonis, ac doctis ad Eccleſias præcluditur, quippe qui conſcientia vrgente, & Deo prohibente nolunt aliundè, quam per oſtium templum intrare: ac interim non ſunt, qui gratis dona Dei, prout eorum natura poſtulat, eis offerant: ſed omnia ambitionis ardor, & auri prophanus, inſatiabiliſque amor occupant. Non mirum ſi nunc pietas è multis Eccleſijs exulet, diſciplina omnis ruat, patrimoniū Chriſti malè diſſipetur, Eccleſiæ olim florentiſſimæ à maioribus noſtris maxima munificentia erectæ, fiant ſeminaria hæreticorum: Quandoquidem in ingreſſu non Dei honor quæritur, ſed temporale commodum ſpectatur. Introitus eſt cum Simone, perſeuerantia, & exitus cum eiuſdem maledictione; & ſic veriſſimum eſt illud relatum à Rebuff. ſuper concordatis. in tit. de electionis derogatione. col. 8. à princ. antea ab alio tamen prolatum: quod tales ſic intrantes, communiter malè viuunt, ſcilicet iniuſtè, crudeliter, immundè, & carnaliter, ſuperbè, & ignominiosè, ac inſtabiliter: ſic ille. Ex fructibus enim cognoſcitur arbor. Qualem enim de ſe fructum producturus eſt, cuius graui ſimoniaca peſte radix infecta eſt. Quando enim ſpiritualis eſt promotio, ſpiritualia promotus quæret: Si verò venalis, pecuniam: Si carnalis, carnalia, quia quod natum ex carne, caro eſt, & quod natum ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Ioann. 3. vt rectè annotauit Hoſtien. in verb. venale.

c. pe-

c. penult. Ne prælati vices ſuas. Faciunt etiam pro hac concluſione multi canones in hoc tit. præſens.c.& infra.c.ſequens.& c. Inſinuatum. c. Ex diligenti. c. Tua. c. Iacobus. & alibi. & Extrauag. 2. inter communes. de ſimonia: & hæc omnium eſt vnanimis ſententia.

Secunda Concluſio. *Omnis pactio, promiſſio, & conuentio in collatione, & prouiſione beneficiali tanquam ſimoniaca damnatur, niſi ſit de aliqua re, quæ tacitè, & iure inſit.* Prima pars conſtat: quia in ſpiritualibus omnis pactio, conuentioque ceſſare debet. c. Quam pio. 1.q.2. & cap.fin.de pact. & DD. in ijſdem locis. Secunda pars etiam patet ex c.præcedenti.q.vnic.concl.3. Quę enim tacitè de iure inſunt, poſſunt deduci in pactum expreſſum per multa ibi allegata pro electione, quæ etiā in collatione, & alia prouiſione ſuo modo locū habent. Hinc ſi quis haberet collationem beneficij curati, ꝙ de iure, vt certiſſimū eſt requirit perſonalem reſidentiā, eſſetq; aliquis alias idoneus, qui peteret, de quo tamen ex probabilibus coniecturis dubitaret, an vellet perſonaliter reſidere, poſſet ei cum pacto de perſonaliter reſidendo conferre: Quia tacitè de iure ineſt beneficio curato onus reſidendi. Eadem eſt ratio ſi collator, aut patronus haberet prouidere de aliquo beneficio, quod de iure eſſet incompatibile cum alio, eſſetque competitor, qui aliud incōpatibile poſſideret, poſſet, modo alias dignus eſſet eidem reſignare, cum pacto, & promiſſio-

miſſione de reſignando, quod poſſidet, habita poſſeſſione pacifica ſuper conferendo. Quia de iure in tali caſu tenetur alterum reſignare: per dicta ab Hoſtienſi in cap. Audientiam. 2. de reſcript. Collecta. in cap. Significaſti. de elect. Rebuff. in praxi benef. prima part. tit. de requiſitis ad collationem bonam. num. 3. Aliud exemplum eſſe poteſt. Eſt beneficiũ, quod ex ſua fundatione, & erectione tenetur annuè pauperibus certi loci erogare, V.G. duo maldra frumenti, collator conditionem hanc ſine ſimonia, quando confert, poteſt exprimere. Pro parte priori concluſionis ſequentes caſus omnes ſunt ſimonia infecti. *Primus eſſe poteſt.* Si collator conferat N. & nepoti ſuo pauperi danti operam literis per quatuor annos continuos in ſingulos contribuat in ſubſidium de beneficij fructibus tria maldra frumenti. *Secundus.* Si collatori incumbat onus ædificandi, aut reſtaurandi tectum Eccleſiæ, & ea vacante præſentet N. cum pacto, vt is ædificet, vel reſtauret collapſum tectum. *Tertius.* Si præſentator Socrati offert beneficium, vt poſt ſex annos reſignet nepoti ſuo necdum capaci ob defectum ætatis, interim tamen Socrates erit in poſſeſſione, gaudebitq; fructib⁹. *Quartus.* Collator confert filio N. primogenito (qui non multum ſapit, ideoque inutilis ad adminiſtrationem rei familiaris) iure patronatus pinguem perſonatum, ea conditione vt filius ſecundogenitus ſuam filiam in vxorem

accipiat.

accipiat. *Quintus.* Confero tibi N. vel alteri parochialem Eccleſiam, cuius prouiſio ad me ratione dignitatis pertinet, vt tu beneficium ſimplex, nullam reſidentiam requirens quod poſſides reſignes in fauorem mei cognati, qui poſſit eo gaudere, & literis operam dare. *Sextus.* Petrus promouet Ioannem ad beneficium coram Epiſcopo facta conuentione, vt ſibi remittat debitum, quo ei obligatus eſt ratione gratitudinis ob beneficium impetratum. *Septimus.* Decanus Eccleſiæ S. VVillebrordi nominat Laurentium ad altare N. vacans in Eccleſia, vt onera ſua ad ſex annos in Eccleſia ſibi compleat. *Octauus.* Martinus eſt inſignis cantor, alias ad alia beneficia ob ignorantiam ineptus, & quia chorum cantando optimè ornare poteſt, confero ei Vicariatum cum pacto, & promiſſione vt nunquam ſe ad aliam Eccleſiam conferat. Et de ſimilibus caſibus eadem eſt ratio.

Tertia Concluſio. *Collator beneficij ſi alicui neneficium, aut Eccleſiam conferat cum pacto, vt aliquam partẽ fructuum beneficij ſibi retineat, committit ſimoniam non ſolum ſic conferens, ſed etiam recipiens beneficium.* Alen. in d. memb. 6. §. 2. S. Thom. 2. 2. quæſt. 100. art. 4. ad vltimum. Sotus in eundem art. 2. lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 7. art. 1. in fine ad 3. D. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 21. ſtatim in princip. Sylueſt. in verb. Simonia. quæſt. 13. in dict. 2. Aurea Armilla in eod. verb. num. 18. Cardin. Alexandrinus, & Turrecrem.

crem.in c.Si quis præbendas.1.q.3.cum Gloſſ. ibid. in verb.Diminutione. Panor. Anton. & Ioann.Imolen. in cap. 1. vt beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur.Et hęc eſt communiſſima DD. opinio. pro qua faciunt text.in d.c.Si quis præbendas.& d.c.1.vt benefic. cum Gloſſ. & ratio à S. Thom. inſinuata. Retinere ſibi partem hoc pacto idem eſt ac ſi munus aliquod temporale exigeret, quod eſt ſimoniacum. De æquipollentibus autē idem eſt iudicium. arg.l.3. C.de inſtitut. & ſubſtit. & l.Iulianus ait.ff.de condit.& demonſtra. Hinc quoties collator in præſentatione, collatione, ſiue ſit ſæcularis, ſiue Eccleſiaſticus confert beneficium, vt aliquas decimas ſibi retineat, vel in vino, ſiue frumento, aut alio cenſu quouis, committitur ſimonia: ſic beneficium recipiens nullum acquirit in eo ius, nec titulum, nec fructus ſuos facit. Ex infecta radice omnia quæ ſequuntur inficiuntur, ac nulla ſunt. Hoc tamen ſciendum, quod Epiſcopus ex graui neceſſariaque cauſa tendente ad communem Eccleſiæ vtilitatem, aut in pium, neceſſariumq; vſum beneficio vacante, antequā ad collationem deueniatur cum conſilio Capituli, aut ſine eo, quando de conſuetudine non ſolet huiuſmodi cū ſcientia, & conſenſu capitularium diſponere, poſſit aliquos fructus beneficij ſubtrahere vel ad tempus, vel in perpetuum pro neceſſitate, & pio vſu. Id tamen ita faciendum, vt qui beneficio inſeruiet, decentem,

centem, honeſtamq́; habeat ſuſtentationem. Quare huiuſmodi fructuum reſeruatio ab Epiſcopo non paſſim in omnibus beneficijs attentanda, ſed rarò in caſu neceſſitatis Eccleſiæ, & quando beneficium abundaret fructibus, vltra perſonæ ſeruientis exigentiam. Inferiori autem prelato propria auctoritate non foret licitum ita reſeruare. Si tamen maxima neceſſitas vrgeret, vtpote eſſet Abbas aliquis, cuius monaſterium eſſet deuaſtatum ab hoſtibus, aut captus fuiſſet ab hoſtibus, condemnatuſq́; ad maximam ſummam pro redemptione: Ex quibus cauſis magnum grauamen, aut debitum monaſterio enatum extitiſſet, vacante aliquo pingui beneficio, cuius prouiſio ad monaſterium ſuum pertineret, prælato etiam miſeriori, eſſet ſufficiens cauſa ſibi reſeruandi aliquam partem ante collationem cùm ſcientia, & approbatione Epiſcopi, maximè ad tempus. Pro qua Reſponſione Gloſſ. in pragmatica ſanctione. in tit. de annatis. §. voluit tamen: ſuper verb. Habeat. per cap. fin. de his quæ fiunt à maiore part. cap. & DD. in cap. Si propter. de elect. in 6. & alia iura. Aut Pontificis, ſiue Nuncij Apoſtolici accedente auctoritate. Atque hoc ſecurius conformiuſque iuri: Quoniam Pontifex propter plenitudinem poteſtatis maiorē habet diſponendi facultatem ſuper fructibus beneficiorum. Semper tamen cauendum, vt nullum fiat pactum in collatione, aut præſentatione, cũ eo,

cui-

cui confertur, aut prouiſio fit: eo quod huiuſmodi conditiones, & pacta grauent, odiumq́; generent, ideoque ſimoniam de iure inducant. De hac materia plenius decretorum DD. in d. cap. Si quis præbendas. & canonum interpretes in d. cap. 1. vt benef. Breuiter etiam hoc notandum, quod regulariter non poteſt beneficiario detrahi pars fructuum beneficio iam acquiſito. Quia ſine eius conſenſu, qui in poſſeſſione eſt non poteſt ei ius ſuum acquiſitum auferri per reg. Id quod noſtrum. ff. de reg. iuris. Et ſi contrarium fieret, beneficiarius poſſet agere tanquam ſpoliatus ad reſtitutionem.

Dubium hoc loco ſe offert. Quid iudicandum de primis fructibus, qui ſoluuntur in curia Romana, & in reſidentijs aliquorum Epiſcoporum. Angel. in verb. Simonia 3. §. 45. Sylueſt. in verb. Simonia. queſt. 13. dict. 2. Aurea Armilla in eodem verb. num. 44. & quidam alij Summiſtæ reſpondent, quod ſoluentes primos fructus, aut vt vocant alij, annatam, ſiue taxam bullarum, & cæterorum ſecundum ſtylum curiæ non ſunt credendi ſimoniaci: cum talia non ſoluantur pro ſpiritualibus, ſed pro ſuſtentatione curiæ, & hæc omnia ita ſunt ordinata, atque conſtituta de voluntate Papæ. Secus autem eſt in Curijs Epiſcoporum, & aliorum prælatorum, qui habent vnde viuant, ſecundum decentiam, non ſecundum pompam, & tunc huiuſmodi taxæ ſunt ſimoniacæ pro abſolutioni-

bus,

bus, diſpenſationibus, & ſimilibus. c. Ex multis. 1. quæſt. 3. Quod tamen verum non foret, quando Epiſcopi non haberent neceſſariam, decentemque ſuſtentationem pro ſuo ſtatu: tunc enim titulo ſuſtentationis ſuſtinentur huiuſmodi, nec damnantur taxæ vt ſimoniacæ. Quantum autem ad primos fructus clarius Reſpondeo Priuilegio, conſuetudineque potuiſſe introductam fuiſſe, ſolutionem primorum fructuum pro ſuſtentatione Epiſcoporum. arg. eorum, quæ habentur in Extrauag. Ioannis XXII. incip. Suſcepti regiminis, & habetur inter Extrau. Ioannis XXII. in tit. de elect. & inter alias communes, in tit. Ne ſede vacante. & c. Si propter. de reſcript. in 6. Secundo dico, Non valere priuilegium, ſtatutum, aut conſuetudinem, vt aliquis prælatus recipiat omnes fructus vnius anni, prout etiam obſeruat Petrus Rebuff. ſuper concordatis. in tit. de collationibus. §. Volumus. ſuper verb. beneficium, ſeu beneficia, quia reſeruari debet dimidia pars fructuum, vel quota deſcripta in d. Extrauag. vel vt paucis dicatur, tantum, quantum ſufficiat ad victum, ſuſtentationemque eius, qui beneficio inſeruit. Eſt enim contra legem naturalem & diuinam, vt ligetur os boui trituranti: atque inſeruiat quis Eccleſiæ, & fame pereat. His quæ diximus de primis fructibus obſtare fortiſſimè videtur Conſtitutio Pij V. fol. 184. in lib. ſuarum Conſtit. quæ excommunicat cum reſeruatione,

P perſonas

perſonas accipientes priuilegio, vel conſuetudine aliquid ex fructibus primi, vel vlterioris anni beneficij vacantis, & interdicit capitula, & ſuſpendit Epiſcopos idem facientes.

Quarta Concluſio. *Exigere, & dare aliquid temporale pro inueſtitura Eccleſiarum, & beneficiorum eſt ſimoniacum.* Hæc eſt communiſſima, & vnanimis DD. Canoniſtarum in c. In tantum. infra. Summiſtarum in verb. Simonia. Quod verum eſt tam de inueſtitura facti, quam iuris, vt declarat Panorm. in d. c. In tantum. prope finem in hoc etiam communiter ab alijs receptus. Nec in hoc præiudicat conſuetudo praua, qua Archidiaconi marcham argenti, aut aliquid exigunt pro inueſtitura. per text. in d. c. verſus finem. & DD. ibidem. Non eſt in hoc caſu recurrendum ad conſuetudinem, etiam longæuam, quæ ſimoniam nullo modo excuſat, ſub quocunq; colore, vt Cardin. Alexand. Turrecrem. & communis cum Gloſ. per text. ibid. in c. Si quis præbend. in 1. q. 3. in fine. argum. cap. Cum in Eccleſiæ. de ſimonia. & d. c. In tantum. & infra. cap. Iacobus. Quandoquidem ſimonia eſt contra ius naturale, & diuinum, quod conſuetudine nulla aboletur. arg. cap. fin. de conſuetud. & eorum, quæ Panorm. & alij ibidem colligunt. Nec refert ſiue aliquid pro collatione, aut inueſtitura ante, vel poſt exigatur. per text. in c. Eos. in fine. Gloſſam & DD. 1. q. 1. & in d. cap. Præbendas. prope finem. Obſtat huic Concluſioni conſuetudo o-

tudo multarum Eccleſiarum, in quibus Archidiaconi, quando inueſtituram conferunt, accipiunt marcham argenti, aut aliquid taxatum, quam conſuetudinem damnare durum videtur, eo quod multi ſimoniam, & cum Simone æternæ maledictionis ſententiam incurrerent. Reſpondetur ſimpliciter nullam conſuetudinem, prout antea ſignificatum, efficere poſſe, vt iuſtè aliquid pro inueſtitura exigatur: potuiſſe tamen conſuetudine introductum fuiſſe approbata, vt aliquid accipiatur tanquam ſtipendium ſuſtentationis, & tunc intentio recta eſſe debet, vt non recipiatur tanquam pro ſpirituali debitum, ſed pro talis conſuetudinis obſeruantia, iuxta tradita à S. Thoma 2.2. quæſt. 100. art. 2. ad 4. In hoc tamen & ſimilibus, ſolicitè cauendum eſt, quod habet ſpeciem ſimoniæ, vel cupiditatis, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Theſſal. vlt. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Quod certè locum habere debet in prælatis Eccleſiarum, quorum omnis intentio eſſe debet, vt inferioribus malo exemplo ſcandalum nullum præbeant. His omnibus addo, quod quando certum aliquid ſtatutis ſynodalibus, aut Eccleſiaſticis, aut conſuetudine longæua præſcriptum in loco eſt, non eſt licitum ſine ſimonia plus accipere, aut exigere, minus ſic, conſideratis circumſtantijs temporum, & perſonarum: & tunc ſine verborũ ambagibus dicendum: Tantum pro hoc iure ſoluendum,

nec litigandum pro duriore exactione. Ex dictis elicitur nullo colore, aut prætextu excuſari prælatos à ſimoniæ peſſima labe, qui metas ſtatutorum, aut conſuetudinis longæuę in his excedunt, & quando agitur de inueſtiendo, aut inſtituendo in Eccleſia, aut beneficio, non ſecus mercantur, quam ſi equos, aut boues in foro emerent, aut venderent. Dominus dicit, Tua Parochia eſt pinguis ſolues pro inueſtitura, ſiue eius iure 36. aureos. Inueſtiendus contra: Non poſſum ob paupertatem, nihil adhuc percepi, nec in anno percipere poſſum: Et quod magis miſeriam meam auget, milites parentes meos, & futuros parochianos meos omnibus bonis ſpoliarunt. Iterum prælatus. Ex quo tantas grauaminum tuorum cauſas allegas, ſolues triginta aureos, & adhuc aliam tibi gratiam faciam, non decernam tibi citationem in partibus intimandam ad oppoſitiones faciendas contra te, ſi aliquæ ſint, & ita non alias facies expenſas itineris, & ſic de ſimilibus. Inferior contra. Domine, Non poſſum tantum ſoluere, nec habeo pecunias, nec vnde habere poſſim ſcio: peto propter Deum, Dominatio veſtra ſit contenta mea paupere ſorte, duodecim regios ſoluam, quos mutuo à bono amico accepi. Dominus ex oppoſito. Numerabis viginti quinq;, & inueſtiturã tibi in forma ſine mora communicabo. Inueſtiendus denuò. Non poſſum, Domine, non habeo, debeo recedere potius, & præſentationem

nem relinquere. E contra prælatus. Recedas, veniet alius, qui libenter ſoluet tantum: ſi tu nolueris: ſed quia tantum grauaris, vt nec tuę, nec meæ voluntati reſpondeatur, numerabis viginti regios, & alium pro iuribus familiæ: & ſic quaſi dialogus apud quoſdam more licitantium in nundinis, pro iure inueſtituræ inſtituitur. Quæ res eſt intolerabilis in Eccleſiaſticis rebus & perſonis, plena ſcandalo, auaritia, & ſimonia. Infernus, & perditio nunquam replentur. Similiter & oculi hominum inſatiabiles. Prouerb. 27. & iterum 30. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, affer, affer, & ignis ille ibidem, qui nunquam dicit, ſufficit, eſt cupiditatis ardor, cui nunquam ſufficit, quod habet, ſed ſemper plura appetit: Sed his omiſſis, vt ſatisfaciam quorundam conſcientiæ, qui aliquando cruciantur in hac re. Dubitare quiſpiam poteſt de ſoluentibus tam importunam exactionem, an etiam incurrant ſimoniam, excommunicationem, aliaſque pœnas iuris contra ſimoniacos in beneficijs, de quibus in Extrauag. 2. de ſimonia. Reſpondeo, quod ſine ſimonia poſſunt dare, quando ſinceram habent intentionem non emendi inueſtituram, ſed amouendi pecunia tanquam motiuo quodam impedimentum, atq; redimendi vexationem, iniuriamúe, qua afficiuntur, quod non poſſunt vti ſuo iure quæſito per præſentationem. Nō enim ſtudioſè pecuniam ſuam pro acquiſitione rei ſpiritualis exponunt, ſed

quaſi coactè ad auertendã violentiam. Nemo enim ſuum præſumitur profundere in tali caſu. Quemadmodum enim pro poſſeſſione acquirenda, & iure tuendo, quando à potente quis impediretur, vt illam facilè non poſſet conſequi, liceret pecunia vexationem illam amouere, prout Innocent. infra. in cap. ad aures. & Rebuff. in praxi benefic. 3. part. in titu. de Simonia. in reſignatione. num. 24. ſignificant. Ita in propoſito, quando prælatus non vellet inueſtituram impertiri, nec occurreret aliud medium, præſentatus pecuniam importunè exactam poſſet ſoluere, ſuamque iniuriam redimere. Non tamen negandum eſt eum, qui ſic pecuniam recipit, & extorquet eſſe ſimoniacum, incidereque in pœnas ſimoniacorum, obligatumque iri ad reſtitutionem. Et quia ſimoniaci aut nunquam aut rarò reſtituunt, & reſignant ſimoniacè accepta, & acquiſita, difficilè ſaluantur ſecundum Ioannem à Turrecrem. in cap. Ex multis. num. 20. 1. quæſt. 3. & Guilhelm. Peraldum tom. 2. de virtutib. & vitijs. in tract. de Auaritia. cap. 7. in §. de multiplici damno, quod prouenit de ſimonia. verſus finem.

Quinta Concluſio. *Simoniam etiam committit circa beneficium, qui dat mediatori, aut interceſſori aliquod pretium, vt procuret ſibi collationem, prouiſionem, aut confirmationem.* Hæc eſt communis. Panormit. Innocent. Anton. à Butrio, & alio-

& aliorum in cap. Tuam. de ætate, & qualit. ordinand. Felin. in cap. Tanta. hoc tit. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 9. Angel. verb. Simonia. 3. §. 25. Piſanell. Syluest. Aurea Armill. & alij in Summis. Nauarr. in manual. Confeſſ. cap. 23. num. 106. verſus fin. & alij alibi communiter. Et ſatis conſtat ex Extrauag. 2. de ſimonia, vbi mediator etiam in excommunicationem, & pœnas iuris incidit. Præterea paria ſunt dare collatori, & dare tertio ad mouendum collatorem in collationem. Alia tamen ratio foret, ſi quis daret aliquid tertio pro labore, quem impenderet ſæpius eundo ad ædes collatoris, aut confirmatoris, & redeundo, expectando, & ſæpius ſolicitando cum mora, prout contingit plerumque fieri in aulis magnatum: quod plus temporis moram trahendo, & expectatione longa perdatur, quam in expeditione negotiorum impenditur. Similis ratio foret ſi quid paruum, quod animum non efficaciter mouere poſſet, daret ratione gratitudinis, amicitiæ, & familiaritatis per latius dicta à Nauarr. Hinc mouent Piſanella, Aurea Armilla loc. cit. & alij Summiſtæ alibi dubium. *Quid ſi quis det miniſtro, ſiue familiari prælati pecuniam, aut aliquid, vt habeat acceſſum ad Prælatum faciliorem, aut expeditiorem pro rei ſpiritualis acquiſitione, aut collatione beneficij?* Et communiter reſpondent, Quod ſi tantum det pro obtinendo

ingreſſu, neuter, neque accipiens, neque dans committit ſimoniam. Si autem pecunia datur, & accipitur, vt pro eo miniſter, aut familiaris verbum faciat, perſuadeat, aut moueat prælatum ad conſequendum rem ſpiritualem, aut conferendum beneficium, vterque committit ſimoniam. Mediator autem ſiue interceſſor in hoc caſu tenetur ad reſtitutionem eius, quod ſic recepit. Solent autem hoc deploratiſſimo ſæculo, in quo omnia pecuniæ obediunt, cunctaque ſunt vendibilia vſque ad animam, quæ durante vita non poteſt auelli à corpore, alias à multis, qui æſtuant igne cupiditatis, venderetur, plurimę ſimonię committi in ſpiritualium, & beneficiorum collatione, in aulis tam Eccleſiaſticorum, quam ſæcularium principum. Cum omnes diligant munera, ab omnibus indifferenter accipiunt munera, & ſi vno die tres pro eodem beneficio venirent, ſucceſſiuè ipſis darent ſpem promotionis, & ab vnoquoque aliquid muneris venarentur. Et ſic quandoque qui non habent, quod dent, etiamſi pietate, litteris, & alijs animi dotibus polleant, non poſſunt habere aditum, ſed patiuntur repulſam, facilè inuenitur occaſio repellendi, & dimittendi. In Summa: Si nihil attuleris, ibis, Homere foras: obtinet nunc pecunia, quod virtus obtinere nequit, acquirit plena burſa, quod pietati, & literarum ſcientiæ denegatur: ſed tandem aliquando veniet tempus, quando omnia æqua lance perpen-

perpendentur: tunc pietas,& vitę innocentia, ornata ſcientia fulgebunt, vt ſplendor firmamenti in conſpectu Dei, ardor autem inſatiabilis pecuniæ, & rerum temporalium cupiditas, & dolus practicis ſimoniacis coloratus ardebunt, & fœtebunt in inferno, niſi in præſenti ſæculo aqua ſapientiæ ſalutaris, & pœnitentiæ lachrymis deleantur. *Aliud hoc loco & tempore incidit dubium reſoluendum. Quid ſi eodem tempore duo beneficia vacent apud eundem prælatum, quæ ab eodem duobus competitoribus conferenda: ſed familiaris, vel alius interceſſor accipit pecuniam, aut promiſſionem de aliquo temporali accipiendo, ab vno eorum, quatenus ſibi procuret, aut obtineat id, quod de duobus pinguius in reditibus, & minus in laboribus, atque onere eſt.* Reſpondetur, quod in hoc caſu ſimonia etiam committitur, nec negari poteſt arg. ſumpto à definitione ſimoniæ: datur enim pecunia pro acquirendo ſpirituali, aut ſpirituali annexo. Qui enim pecuniam dat, aut recipit, vt procuretur pinguius beneficium, vtique rem ſpirituali annexam pecunia acquirit, quod propriè eſt ſimoniacum. Huic reſponſioni conformis eſt reſolutio Nauarr. in Comment. de datis, & promiſſ. pro iuſt. & gratit. num. 20. non longè à fine, dum teſtatur ſe nuper reſpondiſſe eum incurriſſe ſimoniam, qui vicario generali dederat viginti ſcuta animo alliciendi eum ad conferendum ſibi beneficium melius de duobus, quorum alterum ſibi per concurſum debeba-

 tur, di-

tur, dicens ſe illa dare vt collationem accelera-ret, & ille contulit ſibi maius, ſi modo vicarius ob id eum alteri concurrenti prætuliſſet. Nam illud factũ tacitè id loquebatur, & dare quicquam temporale pro adeptione benefi-cij, etiam alias debiti, ſimonia eſt, iuxta text. iuncta Gloſſ. ſingulari in verb. (Iuſtitiam) cap. vendentes. 1. quæſt.3. Sic ille. Ex quibus ſatis etiam reſponſio noſtra confirmatur. Circa hunc caſum Nauarri, vt etiam ipſe indicat, Aduertendum eſt, qualis intentio ſit, an recta, vel corrupta: aliquando enim coram Deo, & in conſcientia poteſt eſſe ſimonia: & non in foro exteriori: aliquando præſumptio erit in foro fori pro ſimonia, vbi nulla erit in conſcientia. Regula enim eſt poſita à Sylueſt. in verb. Simonia. quæſt. 3. quod ad euitandam ſimoniam coram Deo, & in conſcientia, ſufficit, quod quis non intendat pro ſpiritualibus, vel eis annexis aliquid temporale recipere, quaſi pretium, etiam ſi intendat recipere, titulo ſuſtentationis conceſſione iuris, vel piæ conſuetudinis: Sed in his, & ſimilibus ſemper cauendum eſt, ne ſibi mentiatur iniquitas fingendo id, quod non eſt, aut colorando titulum receptionis, qui minimè præconceptus fuit. Deus enim cor intuetur, nec irridetur, vt ſacra ſcriptura tradit.

Sexta Concluſio. *Quando poſt collationem beneficij aliquid temporale datur, ſine pacto præcedenti, aut promiſſione obligatoria, aut exactione, liberè & volun-*

& voluntariè, collator illud ſine vitio ſimoniæ poteſt recipere, ſi rectam intentionem habeat, quod non capiat pro collatione, ſed ex liberalitate dantis, & gratitudine. Hæc Concluſio probatur ex c. Quicquid. 1. q. 1. & eadem cauſ. q. 2. cap. Placuit. & ex ijs, quæ Cardinal. Alexand. & Turrecrem. ibidem colligunt. & in c. Ordinationes. in ead. q. 1. Angel. in verb. Simonia 2. in fine. & alij in ſummis: Nec eſt dubium in ea re. Si tamen ex parte dantis, aut ex parte accipientis, ſine vllo pacto tacito vel expreſſo, corrupta eſſet intẽtio, à parte eius, cuius ſiniſtra foret intentio, committeretur ſimonia mentalis, quę ſola pœnitentia deletur, nec inducit pœnas alias iuris, prout infra in c. fin. Deó duce, oſtẽdetur. Qui enim beneficium accepit ab alio, iure naturali gratitudinis obligatur ad agendam, referendamq; gratiam eidẽ opportuno loco, & tempore. Benefacienti. n. benefaciendum eſt. l. Si non ſortẽ. §. Libertus. iuncta Gloſ. ibidem in verb. naturaliter. & c. Cũ in officijs. de teſtã. ait Concil. Lateran. ſub Alexan. III. charitatis primo loco illis teneamur obnoxij, à quibus nos beneficium cognoſcimus recepiſſe. Et ꝙ homo naturaliter teneatur ad gratiarũ actionẽ benefaciẽti, & quomodo hęc gratiarũ actio ꝓ loco, & tẽpore, & affectu ſit beneficio recõpenſanda, pulchrè declarat S. Tho. 2. 2. q. 106. art. 3. 4. & 5. Quãdo ergo beneficiarius beneficio accepto, ꝓ tempore, & cõmoditate aliquo dono beneuolẽtię collatorẽ recognoſcit, nihil recompenſa-

recompenſione dignum facit, ſed quod natura faciendum dictat, exequitur. Et ſic qui recompenſationẽ etiam recipit, in ſignum gratitudinis, nullas iuſtitiæ leges violat. Valdè enim inhumanum eſt à nemine velle recipere, & viliſſimum eſt omnia ab omnibus. l. Solent. §. fin. ff. de offic. Proconſ. Dictum eſt in concluſione (poſt collationem beneficij) Quia quando ante collationem datur, præſumptio maxima eſt, quod offeratur ad alliciendum animum collatoris ad collationem. Non autem poſt. argum. cap. Sicut Epiſcopum. 1. q. 2. & eorum, quæ Cardinal. Alexand. & Turrecrem. ibi annotant. Additum etiam (ſine promiſſione obligatoria, intellige antecedenti) Quia promiſſio gratitudinis iure naturæ debita, verbis generalibus, eo modo, quo ineſt, expreſſa ſine vlla additione, aut verborum coarctatione, quæ faciat eam tranſire in ciuilem, non nocet: per ſupra allegata, de Electione. concluſ. 3. Tacitè autem, & naturaliter ineſt, vt beneficiarius ſit gratus. Sic qui beneficium petit à collatore poterit dicere, Non ero ingratus, vel Ero gratus, vel Referam, agamque gratias tempore opportuno, vel Ero memor beneficij accepti: Et ſic de ſimilibus. Quæ proferri poſſunt ſine animo ſe ad aliquid ſpeciale ciuiliter obligandi. Quia vt loco ſupra alleg. traditum, Non licet ſine ſimoniæ labe, obligationem gratitudinis antidoralem in ciuilem deducere. Generalia etiam ta-

iam talia verba ad complacentiam, & vrbanitatis ergo prolata non plus obligant, quam ſi non proferrentur iuxta tradita à Ioan. Andre. Panormit. Cardinal. & alijs in cap. Cum veniſſent, de inſtitut. per text. ibidem, vbi Archidiaconus Richimundiæ, qui timens ne ſi negaret expreſsè quaſdam libertates, quas Archiepiſcopus ſibi competere volebat, quod impediretur, ne veniret ad poſſeſſionem Archidiaconatus, quam necdum habebat, vel poſſeſſio diutius differretur, reſpondit Archiepiſcopo, quod non ſolum de illo, puta, Archidiaconatu, ſed de omnihus reditibus ſuis faceret, quod ſibi placeret. Quibus verbis nulla cenſetur inducta obligatio, nec commiſſa ſimonia. Plura pro huius rei amplificatione adducuntur à Martino Nauarr. in d. Comment. de datis, & promiſ. XI. Notabili.

QVÆSTIO II.

An ſit ſimonia dare, aut recipere munus à lingua, pro beneficio, aut re ſpirituali?

DE hac re tractant Alenſis. 2. part. q. 187. memb. 3. art. 3. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. & Commentatores eius ibidem. Sotus in eundem art. lib. 9. de iuſt. & iure. q. 7. art. 3. D. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 4. Cardinal. Alexand. & Turrecrem. latè in cap. Ordinationes. 1.

nes.1.q.1.Adrian.quodl.9. Franciſ.Vict.in relect. de ſimonia. 1. part. n. 30. & ſeq. Angel.in ſumma.verb.Simonia.5. Sylueſt.in hoc eod.q. 16.dict.3. & alij canonum DD. in c.Tuam. de ætat. qualit.ordinand. & alij alibi. Pro maiori elucidatione tituli Quæſt.& aliorum, quæ occurrent in progreſſu, aliqua prænotanda ſunt.

Primum. Munus à lingua dicitur, quod conſiſtit in actu linguæ, vt ſi quis laudando, humanum fauorem ſibi conciliet apud collatorem, cuius fauoris intuitu aliquid ſpirituale ei conferatur, vel collator, vt fauorem alicuius habeat, ad preces eius confert. Eadem eſt ratio de precibus, quæ interponuntur apud collatorem: hæ enim referuntur ad munus à lingua.

Secundum. Preces diſtinguere poſſumus cum DD. in duplices, aut, ſi naturam rerum altius conſiderare velimus, in triplices, ita vt aliæ dicantur humiles, ſiue benignæ, quales communiter fiunt à petentibus beneficia in ſupplicationibus factis ad prælatos pro beneficijs, aut collatione rerum ſpiritualium. Aliæ ſunt importunæ cum immoderata inſtantia opportunè & importunè impenſa, quales plerumq; facere ſolent homines perfrictæ frontis, qui ſine verecundia immoderato habendi deſiderio tracti, inſequuntur ſuis precibus, & inſtantia id, quod habere intendunt. Aliæ nominantur à DD. preces armatæ, de quibus mentio-

mentionem faciunt Cardin. Alexand. & Turrecrem. Syluest. Aurea Armill. & quidam alij loc. cit. ſunt illæ, quæ fiunt à principibus, aut maioribus prælatis Eccleſiæ, apud minores pro aliquo, cũ minis, aut inſinuatione alicuius mali, niſi conſenſus annuatur. Tollunt enim huiuſmodi preces armatæ libertatẽ, quę ineſſe debet electionibus, & prouiſionibus Eccleſiaſticis: Et tradit Guilhelm. Perald. Epiſcop. Lugd. tom. 2. de virtut. & vitijs. in tract. de auaritia. c. 9. hoc peccatum eſſe grauius ſimonia, vocatque Choritarum peccatum. Hæc precum diſtinctio, præter id, quod experientia rerum magiſtra eam confirmat, deducitur ex multis collectis à Gloſſatore pragmaticæ ſanctionis ſuper cap. de Electionib. & reſeruat. §. Item nec credit ipſa Congregatio Bituricen.

Tertium. Aut preces porriguntur pro digno, aut pro indigno. Aut quis rogat ꝓ ſeipſo, aut pro alio. Hanc diſtinctionem aſſignant Alenſ. & S. Thom. & poſt eos communiter alij. Nunc quoniam variæ ſunt DD. ſententiæ in hac materia, vt clariora omnia fiant, reſolutio per Concluſiones adhibenda eſt. Sit ergo

Prima Concluſio. *Quando preces, aut laus, aut fauor humanus reſoluuntur in aliquod temporale commodum tanquam pretium, tunc ſimoniacum foret eorum intuitu beneficium, aut aliquod ſpirituale conferre.* Hanc tenent S. Thom. in d. art. ad 2. & 3. Victor. in relect. de ſimonia. 1. part. num. 34. con-

34.concluſ.4.Soto loc.cit.Greg.de Valent.22. diſp.6.q.16.punct.3. Innocent. & Cardin.in c. Tuam.de ætat.& qualit.ordinand. Nauarr. in Manual. Conf. cap. 23. num. 101. & in Comment.de datis,& promiſſ.num. 24. nec eſt dubium in hac concluſione. Ratio pro concluſione. Quia qui ſpectat munus à lingua pro ſpiritualium collatione accipere, omnium ſententia eſt ſimoniacus. Exemplum huius concluſ.ponit victoria. Si pontifex pro collatione beneficij Eccleſiaſtici exigeret fauorem apud principem, ad conſequendam dignitatem temporalem, aut reditus conſanguineis ſuis. Aliud ſimile Sotus adfert. Si Epiſcopus Regis famulo ſacerdotium eius precibus ductus conferat, vt ſe apud Regem laudibus efferat, & hoc hamo pinguiorem Eccleſiam poſſit expiſcari.

Secunda Concluſio. *Siue quis preces interponat pro indigno, ſiue digno, ſi nullum aliud temporale pretium interueniat, aut ſperetur, non eſt ſimonia.* Hæc Concluſio eſt contra multos DD. nempe S.Thom. Durand. Maior. q. 5. Palud. in 4.d.29. Vide etiam S.Thom.2.2. q.100. art. 5.ad 3. Syllueſt. in d. q. 16. S.Antonin. Cardin. Alexand. & Turrecrem. loc. cit. alioſque plures. Et hanc communem opinionem Theologorum ſentit Adrian. quodlib.9. Aliqui tamen ex DD. cenſent, tantum eſſe ſimoniam, quando preces fiunt pro indigno. Concluſ. noſtram amplectuntur Victor. Sot.& Nauar.

loc. cit.

loc.cit.Innocent. Cardin. Hoſtienſ. Panorm. in d. c. Tuam. & alij alibi. Ratio eſt. Simonia non eſt, vbi nihil pecunia, aut pretio æſtimabile pro ſpirituali interuenit. At quando preces interponuntur, nihil pecunia æſtimabile interuenit, ſiue pro digno, ſiue pro indigno fiant. Ad ſimoniæ crimen incurrendum nihil facit ſiue pro digno, ſiue indigno preces accedant.

Tertia Concluſio. *Si preces quis offerat pro digno, eiq́; prælatus conferat precibus motus, reſpiciendo dignitatem perſonæ, nullum committitur peccatum.* Ratio aſſignatur à Soto. Quia legitima ſubeſt tam precandi, quam conferendi cauſa: Nec in hoc caſu eſt infidelis diſpenſatio bonorum ſpiritualium. Contrarium ſi quis aſſerat, condemnat ferè totum mundum. Omnes tam in ſæculari, quam in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti ſolent frequentiſſimè preces pro bonis, & idoneis viris, apud collatores interponere: ob quorum preces, & commendationes illis beneficia conferuntur, & tamen non committitur peccatum.

Quarta Concluſio. *Qui preces impendunt pro indigno, aut eidem etiam beneficium conferunt, grauiter peccant.* Ratio Concluſionis. Quoniam ſic precantes, aut precibus annuentes infideliter agunt, iuſtitiamq́ue violant, & ſic ſi Eccleſia aliquod damnum ex mala illa diſpenſatione incurrat, ad reſtitutionem damnorum tenentur. Grauiſſimè autem peccant ſic indignè

dignè promouentes ad curata beneficia, plurimas enim tales animas in diſcrimen adducunt, quas indignè occidunt, fortè nunquam viuificandas. Quare omnibus, qui gratia, fauoreq; gaudent apud prælatos, & magnates, attentè conſiderandũ pro quibus preces impendant, atque ſolicitè attendendum, ne eorum opera animarum traditoribus aditus pateat ad Eccleſiam.

Quinta Concluſio. *Si quis pro ſeipſo preces fundat apud collatorẽ, aut præſentatorem, non committit ſimoniam, ſiue ſit beneficium ſimplex, ſiue curatum.* Hæc Concluſ. eſt etiam contra multos DD. qui ex ſententia D. Thomæ, & aliorum ſequentium ſtatuunt; quod ſi quis pro ſe precetur, vt curatum beneficium conſequatur, ſimoniæ crimen incurrat. & Gloſſ. in c. Ordinationes. 1. q. 1. indiſtinctè dicit eſſe ſimoniã, ſi quis pro ſe preces offerat. Victor. Rationem noſtræ cõcl. aſſignat. Si fundere preces, inquit, pro ſe eſt ſimoniacum, etiã eſſet pro alio: & ſi pro indigno, etiam pro digno. Quia vbiq; par eſt ratio, & nullibi aliquid interuenit pretio æſtimabile; quod ad ſimoniam requiritur.

Sexta Concluſio. *Si quis bona fide conſideratis circumſtantijs rerũ, temporum, hominumq; iudicat ſe dignum beneficio, cui animarũ cura annexa eſt, non eſt mortale peccatum præſumptionis, nec ſimonia, pro ſe apud collatorẽ preces offerre, & rogare, ſi indigeat.* Hæc videtur contra D. Tho. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3. prope finem, dum ait: Si verò aliquis

aliquis pro ſe rogat, vt obtineat curam animarum, ex ipſa preſumptione redditur indignus, & ſic preces ſunt pro indigno. Licitè tamẽ poteſt aliquis, ſi ſit indigens pro ſe beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura animarum. Huic doctrinæ S. Thomæ antea conſenſum præbuit Alexand. Alenſ. in d. memb. art. 3. & poſtea alij DD. de quibus Card. Alex. & Turrecrem. vbi ſupra. concl. noſtram ſequuntur. Angel. in verb. Simonia 5. §. 4. Aurea Armill. in verb. Beneficium. n. 39. Ioan. Maior in 4. d. 25. q. 3. Cardin. Alexan. & Turrecr. cum alijs ab eis allegatis. Caiet. Greg. de Valent. Petrus de Aragon. in d. art. S. Thomæ. Sotus in eundem. 9. de iuſt. & iure. loc. cit. & communiter recentiores. Hanc concl. reſtringo ad curata beneficia inferiora. De Epiſcopatu propter altitudinẽ ſtatus, alia ratio in caſu eſſe poſſet: Quod in hoc caſu non ſit ſimonia ex ſuperioribus conſtat. Quod autem alias non ſit illicitum, ex his cũ Soto perſuaderi poteſt. Primò, quia cura animarum in paræcianis, & alijs curatis inferioribus Epiſcopali dignitate, nõ tam excelſum poſtulat perfectionis gradum, ideoque non apparet tanta præſumptio, ſi quis ſe bona fide, moribus, & ſcientia dignũ arbitretur. Secundò poteſt eſſe tanta eorũ raritas, qui ad parochias regendas ſint idonei, tantaq; Eccleſiarum neceſſitas, vt viro alicui, qui optimam ob vitæ conuerſationem, & eruditionis laudem, & exiſtimationem in populo habet,

tur, dicens ſe illa dare vt collationem accelleraret, & ille contulit ſibi maius, ſi modo vicarius ob id eum alteri concurrenti prætuliſſet. Nam illud factū tacitè id loquebatur, & dare quicquam temporale pro adeptione beneficij, etiam alias debiti, ſimonia eſt, iuxta text. iuncta Gloſſ. ſingulari in verb. (Iuſtitiam) cap. vendentes. 1. quæſt. 3. Sic ille. Ex quibus ſatis etiam reſponſio noſtra confirmatur. Circa hunc caſum Nauarri, vt etiam ipſe indicat, Aduertendum eſt, qualis intentio ſit, an recta, vel corrupta: aliquando enim coram Deo, & in conſcientia poteſt eſſe ſimonia: & non in foro exteriori: aliquando præſumptio erit in foro fori pro ſimonia, vbi nulla erit in conſcientia. Regula enim eſt poſita à Sylueſt. in verb. Simonia. quæſt. 3. quod ad euitandam ſimoniam coram Deo, & in conſcientia, ſufficit, quod quis non intendat pro ſpiritualibus, vel eis annexis aliquid temporale recipere, quaſi pretium, etiam ſi intendat recipere, titulo ſuſtentationis conceſſione iuris, vel piæ conſuetudinis: Sed in his, & ſimilibus ſemper cauendum eſt, ne ſibi mentiatur iniquitas fingendo id, quod non eſt, aut colorando titulum receptionis, qui minimè præconceptus fuit. Deus enim cor intuetur, nec irridetur, vt ſacra ſcriptura tradit.

Sexta Concluſio. *Quando poſt collationem beneficij aliquid temporale datur, ſine pacto præcedenti, aut promiſſione obligatoria, aut exactione, liberè & volun-*

& voluntariè, collator illud ſine vitio ſimoniæ poteſt recipere, ſi rectam intentionem habeat, quod non capiat pro collatione, ſed ex liberalitate dantis, & gratitudine. Hæc Concluſio probatur ex c. Quicquid. 1. q. 1. & eadem cauſ. q. 2. cap. Placuit. & ex ijs, quæ Cardinal. Alexand. & Turrecrem. ibidem colligunt. & in c. Ordinationes. in ead. q. 1. Angel. in verb. Simonia 2. in fine. & alij in ſummis: Nec eſt dubium in ea re. Si tamen ex parte dantis, aut ex parte accipientis, ſine vllo pacto tacito vel expreſſo, corrupta eſſet intẽtio, à parte eius, cuius ſiniſtra foret intentio, committeretur ſimonia mentalis, quę ſola pœnitentia deletur, nec inducit pœnas alias iuris, prout infra in c. fin. Deó duce, oſtẽdetur. Qui enim beneficium accepit ab alio, iure naturali gratitudinis obligatur ad agendam, referendamq́; gratiam eidẽ opportuno loco, & tempore. Benefacienti. n. benefaciendum eſt. l. Si non ſortẽ. §. Libertus. iuncta Gloſ. ibidem in verb. naturaliter. & c. Cũ in officijs. de teſtã. ait Concil. Lateran. ſub Alexan. III. charitatis primo loco illis teneamur obnoxij, à quibus nos beneficium cognoſcimus recepiſſe. Et ꝙ homo naturaliter teneatur ad gratiarũ actionẽ benefaciẽti, & quomodo hęc gratiarũ actio ꝓ loco, & tẽpore, & affectu ſit beneficio recõpenſanda, pulchrè declarat S. Tho. 2. 2. q. 106. art. 3. 4. & 5. Quãdo ergo beneficiarius beneficio accepto, ꝓ tempore, & cõmoditate aliquo dono beneuolẽtię collatorẽ recognoſcit, nihil

recompenſa-

recompenſione dignum facit, ſed quod natura faciendum dictat, exequitur. Et ſic qui recompenſationē etiam recipit, in ſignum gratitudinis, nullas iuſtitiæ leges violat. Valdè enim inhumanum eſt à nemine velle recipere,& viliſſimum eſt omnia ab omnibus. l. Solent.§.fin. ff. de offic. Proconſ. Dictum eſt in concluſione (poſt collationem beneficij) Quia quando ante collationem datur, præſumptio maxima eſt, quod offeratur ad alliciendum animum collatoris ad collationem. Non autem poſt. argum. cap. Sicut Epiſcopum.1.q.2. & eorum, quæ Cardinal. Alexand. & Turrecrem. ibi annotant. Additum etiam (ſine promiſſione obligatoria, intellige antecedenti) Quia promiſſio gratitudinis iure naturæ debita, verbis generalibus, eo modo, quo ineſt, expreſſa ſine vlla additione, aut verborum coarctatione, quæ faciat eam tranſire in ciuilem, non nocet: per ſupra allegata, de Electione. concluſ.3. Tacitè autem, & naturaliter ineſt, vt beneficiarius ſit gratus. Sic qui beneficium petit à collatore poterit dicere, Non ero ingratus, vel Ero gratus, vel Referam, agamque gratias tempore opportuno, vel Ero memor beneficij accepti: Et ſic de ſimilibus. Quæ proferri poſſunt ſine animo ſe ad aliquid ſpeciale ciuiliter obligandi. Quia vt loco ſupra alleg. traditum, Non licet ſine ſimoniæ labe, obligationem gratitudinis antidoralem in ciuilem deducere. Generalia etiam ta-

iam talia verba ad complacentiam, & vrbanitatis ergo prolata non plus obligant, quam ſi non proferrentur iuxta tradita à Ioan. Andre. Panormit. Cardinal. & alijs in cap. Cum veniſſent, de inſtitut. per text. ibidem, vbi Archidiaconus Richimundiæ, qui timens ne ſi negaret expreſsè quaſdam libertates, quas Archiepiſcopus ſibi competere volebat, quod impediretur, ne veniret ad poſſeſſionem Archidiaconatus, quam necdum habebat, vel poſſeſſio diutius differretur, reſpondit Archiepiſcopo, quod non ſolum de illo, puta, Archidiaconatu, ſed de omnibus reditibus ſuis faceret, quod ſibi placeret. Quibus verbis nulla cenſetur inducta obligatio, nec commiſſa ſimonia. Plura pro huius rei amplificatione adducuntur à Martino Nauarr. in d. Comment. de datis, & promiſ. XI. Notabili.

QVÆSTIO II.

An ſit ſimonia dare, aut recipere munus à lingua, pro beneficio, aut re ſpirituali?

De hac re tractant Alenſis. 2. part. q. 187. memb. 3. art. 3. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. & Commentatores eius ibidem. Sotus in eundem art. lib. 9. de iuſt. & iure. q. 7. art. 3. D. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 4. Cardinal. Alexand. & Turrecrem. latè in cap. Ordinationes. 1.

nes.1.q.1.Adrian.quodl.9. Franciſ.Vict.in relect. de ſimonia. 1. part. n.30. & ſeq. Angel.in ſumma.verb.Simonia.5. Sylueſt.in hoc eod.q. 16.dict.3. & alij canonum DD. in c.Tuam. de ætat. qualit.ordinand. & alij alibi. Pro maiori elucidatione tituli Quæſt.& aliorum, quæ occurrent in progreſſu, aliqua prænotanda ſunt.

Primum. Munus à lingua dicitur, quod conſiſtit in actu linguæ, vt ſi quis laudando, humanum fauorem ſibi conciliet apud collatorem, cuius fauoris intuitu aliquid ſpirituale ei conferatur, vel collator, vt fauorem alicuius habeat, ad preces eius confert. Eadem eſt ratio de precibus, quæ interponuntur apud collatorem: hæ enim referuntur ad munus à lingua.

Secundum. Preces diſtinguere poſſumus cum DD. in duplices, aut, ſi naturam rerum altius conſiderare velimus, in triplices, ita vt aliæ dicantur humiles, ſiue benignæ, quales communiter fiunt à petentibus beneficia in ſupplicationibus factis ad prælatos pro beneficijs, aut collatione rerum ſpiritualium. Aliæ ſunt importunæ cum immoderata inſtantia opportunè & importunè impenſa, quales plerumq; facere ſolent homines perfrictæ frontis, qui ſine verecundia immoderato habendi deſiderio tracti, inſequuntur ſuis precibus, & inſtantia id, quod habere intendunt. Aliæ nominantur à DD. preces armatæ, de quibus mentio-

mentionem faciunt Cardin. Alexand. & Turrecrem. Syluest. Aurea Armill. & quidam alij loc. cit. ſunt illæ, quæ fiunt à principibus, aut maioribus prælatis Eccleſiæ, apud minores pro aliquo, cũ minis, aut inſinuatione alicuius mali, niſi conſenſus annuatur. Tollunt enim huiuſmodi preces armatæ libertatẽ, quę ineſſe debet electionibus, & prouiſionibus Eccleſiaſticis: Et tradit Guilhelm. Perald. Epiſcop. Lugd. tom. 2. de virtut. & vitijs. in tract. de auaritia. c. 9. hoc peccatum eſſe grauius ſimonia, vocatque Choritarum peccatum. Hæc precum diſtinctio, præter id, quod experientia rerum magiſtra eam confirmat, deducitur ex multis collectis à Gloſſatore pragmaticæ ſanctionis ſuper cap. de Electionib. & reſeruat. §. Item nec credit ipſa Congregatio Bituricen.

Tertium. Aut preces porriguntur pro digno, aut pro indigno. Aut quis rogat ꝓ ſeipſo, aut pro alio. Hanc diſtinctionem aſſignant Alenſ. & S. Thom. & poſt eos communiter alij. Nunc quoniam variæ ſunt DD. ſententiæ in hac materia, vt clariora omnia fiant, reſolutio per Concluſiones adhibenda eſt. Sit ergo

Prima Concluſio. *Quando preces, aut laus, aut fauor humanus reſoluuntur in aliquod temporale commodum tanquam pretium, tunc ſimoniacum foret eorum intuitu beneficium, aut aliquod ſpirituale conferre.* Hanc tenent S. Thom. in d. art. ad 2. & 3. Victor. in relect. de ſimonia. 1. part. num.

34. con-

34.concluſ.4.Soto loc.cit.Greg.de Valent.22. diſp.6.q.16.punct.3. Innocent. & Cardin.in c. Tuam.de ætat.& qualit.ordinand. Nauarr. in Manual. Conf. cap. 23. num. 101. & in Comment.de datis,& promiſſ.num. 24. nec eſt dubium in hac concluſione. Ratio pro concluſione. Quia qui ſpectat munus à lingua pro ſpiritualium collatione accipere, omnium ſententia eſt ſimoniacus. Exemplum huius concluſ.ponit victoria. Si pontifex pro collatione beneficij Eccleſiaſtici exigeret fauorem apud principem, ad conſequendam dignitatem temporalem, aut reditus conſanguineis ſuis. Aliud ſimile Sotus adfert. Si Epiſcopus Regis famulo ſacerdotium eius precibus ductus conferat, vt ſe apud Regem laudibus efferat, & hoc hamo pinguiorem Eccleſiam poſſit expiſcari.

Secunda Concluſio. *Siue quis preces interponat pro indigno, ſiue digno, ſi nullum aliud temporale pretium interueniat, aut ſperetur, non eſt ſimonia.* Hæc Concluſio eſt contra multos DD. nempe S.Thom. Durand. Maior. q. 5. Palud. in 4.d.29. Vide etiam S.Thom.2.2. q.100. art. 5.ad 3. Sylueſt. in d. q. 16. S.Antonin. Cardin. Alexand. & Turrecrem. loc. cit. alioſque plures. Et hanc communem opinionem Theologorum ſentit Adrian. quodlib.9. Aliqui tamen ex DD. cenſent, tantum eſſe ſimoniam, quando preces fiunt pro indigno. Concluſ. noſtram amplectuntur Victor. Sot.& Nauar. loc. cit.

loc.cit.Innocent. Cardin. Hoſtienſ. Panorm. in d. c. Tuam. & alij alibi. Ratio eſt. Simonia non eſt, vbi nihil pecunia, aut pretio æſtimabile pro ſpirituali interuenit. At quando preces interponuntur, nihil pecunia æſtimabile interuenit, ſiue pro digno, ſiue pro indigno fiant. Ad ſimoniæ crimen incurrendum nihil facit ſiue pro digno, ſiue indigno preces accedant.

Tertia Concluſio. *Si preces quis offerat pro digno, eiq́; prælatus conferat precibus motus, reſpiciendo dignitatem perſonæ, nullum committitur peccatum.* Ratio aſſignatur à Soto. Quia legitima ſubeſt tam precandi, quam conferendi cauſa: Nec in hoc caſu eſt infidelis diſpenſatio bonorum ſpiritualium. Contrarium ſi quis aſſerat, condemnat ferè totum mundum. Omnes tam in ſæculari, quam in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti ſolent frequentiſſimè preces pro bonis, & idoneis viris, apud collatores interponere: ob quorum preces, & commendationes illis beneficia conferuntur, & tamen non committitur peccatum.

Quarta Concluſio. *Qui preces impendunt pro indigno, aut eidem etiam beneficium conferunt, grauiter peccant.* Ratio Concluſionis. Quoniam ſic precantes, aut precibus annuentes infideliter agunt, iuſtitiamq́ue violant, & ſic ſi Eccleſia aliquod damnum ex mala illa diſpenſatione incurrat, ad reſtitutionem damnorum tenentur. Grauiſſimè autem peccant ſic indignè

 dignè

aliquis pro ſe rogat, vt obtineat curam animarum, ex ipſa pręſumptione redditur indignus, & ſic preces ſunt pro indigno. Licitè tamẽ poteſt aliquis, ſi ſit indigens pro ſe beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura animarum. Huic doctrinæ S. Thomæ antea conſenſum præbuit Alexand. Alenſ. in d. memb. art. 3. & poſtea alij DD. de quibus Card. Alex. & Turrecrem. vbi ſupra. concl. noſtram ſequuntur. Angel. in verb. Simonia 5. §.4. Aurea Armill. in verb. Beneficium. n. 39. Ioan. Maior in 4.d. 25.q.3. Cardin. Alexan. & Turrecr. cum alijs ab eis allegatis. Caiet. Greg. de Valent. Petrus de Aragon. in d. art. S. Thomæ. Sotus in eundem. 9. de iuſt. & iure. loc. cit. & communiter recentiores. Hanc concl. reſtringo ad curata beneficia inferiora. De Epiſcopatu propter altitudinẽ ſtatus, alia ratio in caſu eſſe poſſet: Quod in hoc caſu non ſit ſimonia ex ſuperioribus conſtat. Quod autem alias non ſit illicitum, ex his cũ Soto perſuaderi poteſt. Primò, quia cura animarum in paræcianis, & alijs curatis inferioribus Epiſcopali dignitate, nõ tam excelſum poſtulat perfectionis gradum, ideoque non apparet tanta præſumptio, ſi quis ſe bona fide, moribus, & ſcientia dignũ arbitretur. Secundò poteſt eſſe tanta eorũ raritas, qui ad parochias regendas ſint idonei, tantaq; Eccleſiarum neceſſitas, vt viro alicui, qui optimam ob vitæ conuerſationem, & eruditionis laudem, & exiſtimationem in populo habet,

perare ſuam virtutem gratia Dei adiutam, vt contingit in eo, qui ſe dignum ſincera mente exiſtimat, & ſupplicat pro beneficio curato. Præſumptio enim eſt ex mente eiuſdem S. Thomæ 2.2.quæſt.130.art.1.quando agens nititur ad agendum id, quod ſuam facultatem excedit, quod nequaquã locum habet, quando dignus beneficium curatum expetit: dignitas enim efficit, vt ſuam potentiam confirmatam diuino auxilio, ſine quo nihil, & cum quo, multa poſſumus, non excedat. Caiet. pro explicatione moderatiori S. Thom. in d. art. 5. adhibet hanc declarationem, quod petitio curę animarum ſecundum quid (hic enim auctor Epiſcopale onus vocat curã ſimpliciter) vt eſt petitio parochiæ, archipresbyteratus, & huiuſmodi: licet aliquid ſapiat, præſumptionis infra recti regiminis limites ſtando, vbi tamen communiter Eccleſiaſticum regimen corruptum eſſet, quia ſcilicet non dantur hæc beneficia niſi petentibus, præſumptione caret, ſi citra cuiuſpiam præiudicium fit, & eſt alias dignus petens, & ex charitate ad Eccleſiam mouetur. Patet hoc ex eo, quod in huiuſmodi corruptis regiminibus frequenter fiunt malæ prouiſiones. Ac per hoc in hac diminuta animarum cura ſufficit dignitas, & charitas ad petendum mouens, abſq; eo, quod videatur in particulari, quod malè imminet prouiſio. Præterea, quod Caiet. quinto loco ponit in explicatione prædictorum, quando vel vbi

huiuſmodi corruptum regimen Eccleſiaſticum eſſet, petitio huiuſmodi beneficij curati pro ſe alias digno, ex humano affectu procedens, licet ſapiat aliquid præſumptionis, pro quanto petit pręeſſe, quia tamen verè appetit, & intendit prodeſſe, & periculum imminet ſemper malæ prouiſionis ſtante huiuſmodi corruptela, & probi viri poſtponuntur, non plus quam venialis videtur illa præſumptio, & ſic preces non ſunt pro indigno ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Sic Caiet. à quo in moderatione, non multum diſſentiunt Sotus, & Greg. de Valent. De Epiſcopatu autem aliter DD. ſentire videntur propter culmen gradus, & celſitudinem honoris. Cum enim Epiſcoporum ſtatus ſit Apoſtolicus, maximamque perfectionem in ſubiecto prærequirat, vt clarum eſt ex diuinis literis, maximè 1. ad Timot. 3. & ad Titum 3. quæ præclara epitheta, & munia excellentiſſima paſſim Epiſcopis attribuunt, pręſumptuoſum videtur eſſe ſe offerre ad tantum, tamque arduum munus. Nec credere aliquis debet ſe dignum Epiſcopali dignitate, aut eum aſſumere honorē, niſi vocatus à Deo tanquam Aaron ſit, iuxta Apoſtolicā doctrinam: aut niſi diuinitus admonitus, & promotus exemplo Iſaiæ, cuius, vt patet ex eius cap. 6. Os angelus prius tetigit, atq; ab omni eum iniquitate emundauit, quam ipſe propheta diceret: Ecce ego: mitte me. Qua de cauſa, rectè quidam hoc argumento vtuntur ad improbandum

bandum appetitum tam immoderatum. Qui ſe ad Epiſcopatum offert, aut iudicat ſe indignum; aut dignum. Si primum, iniquus eſt, qui id affectat, quod præſtare nequit in Eccleſia, & animarum perniciem. Si dignum: Certè regulariter alienus non erit à præſumptione, qui ſibi tantum perfectionis gradum aſſcribere audet: quippe nemo ſcit, an amore, an odio dignus ſit, vel ſincerè Deum diligat, quod requiritur ad paſcendum oues Chriſti. Non enim ſine cauſa Dominus antequam Petrum ſuis ouibus præficeret, ter prius eum de charitate examinauit dicens, Petre, amas me; & tandem Petrus dixit. Tu ſcis Domine, quia amo te: & tandem paſtor inſtitutus fuit, audireque meruit, paſce oues meas. Quare communis antiquorum conſtans opinio eſt, non licere Epiſcopatum ſine præſumptione appetere, nec ſe ad eum offerre. Quomodo autem illud Apoſtoli Pauli. Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, intelligendum, ſupra ſignificatum eſt in c. De hoc. q. 1. notab. 4. Verum recentiores DD. moderantur illã ſententiã. Caiet. Greg. de Valent. Petr. de Arag. & alij in d. a. 5. D. Tho. Caiet. autem, qui alijs inprimis tribuit declarandi occaſionẽ in hunc modum ſuam mentẽ proſequitur. Inprimis quod petitio curę animarũ regulariter eſt præſumptuoſa, vt petere Epiſcopatũ. Dicitur ſecundũ cũ (regulariter) vt pſeruetur petitio Epiſcopatus in caſu neceſſitatis ipſius Eccleſię. Secũdo

Petitio curæ animarum ſimpliciter in caſu non eſt præſumptuoſa, ſed ſancta, quando videlicet clarè conſtat, quod niſi ipſe dignus petat Epiſcopatum illum, eidem malè prouidebitur. Tunc ſine ſcandalo poteſt alias dignus licitè, vt proſit eum petere. Tertiò putat, cum ſit neceſſitas, non eſſe præſumptionis, ſed charitatis conſilium hoc, quod inde patet, quia Eccleſia illa gratias magnas illi referret, ſi ſciret ex illius petitione, ſe ex propoſito ereptam de manu lupi imminentis. Et ſimiliter ſponſus ac Dominus Eccleſiæ Ieſus Chriſtus, vt fidelem negotij geſtorem illum recognoſcet, non minus quam vnus homo, cui hoc beneficium præſtitum fuiſſet. Conſtat namq; quod ſi mea eſſet Eccleſia illa, ego tenerer illi ſic petenti gratias agere. An fortè, ait ille auctor, ingratus, aut tam rigoroſus eſt Chriſtus, vt non velit ſuarum Eccleſiarum periculis humana ratione obuiam iri? Poſtremò. Petitio curæ etiam ſimpliciter animarum non eſt neceſſariò præſumptuoſa, cum in caſu ſit licita: Et quia Eſaias purgatum ſe videns, petijt abſque præſumptione. Ecce ego; mitte me. Nec mirum ſi Auguſtin. Greg. S. Thom. & alij videntur aliter docuiſſe: quoniam ipſi docuerunt quid agendum infra legũ limites ſit: nos autem quid inter corruptiones legũ fieri poteſt, & quandoq; debet. Et rurſus ipſi, quid abſolutè fieri licet, nos aũt quid in caſu neceſſitatis, vel ſimpliciter, vel pro nunc inter tales. Sic Caietan.

Septima

Septima Concluſio. *Qui beneficium aut aliud ſpirituale confert alias digno, motus metu incuſſo per preces armatas, aut violentiam, non committit ſimoniam.* Hæc eſt contra. Cardin. Alexandr. & Turrecr. in d. cap. Ordinationes. dum docent, quod ſi prælatus requiſitus de dando ordinem, aut beneficiũ huiuſmodi precibus propulſatus, principalem reſpectum habeat ad illas preces, vt videlicet euitet aliquod malum perſonæ, vel famæ, vel rerum quod probabiliter timetur, ſimonia ſit: Etiam multi Theologi ſunt eandem imitati ſententiam. Bonau. in 4. d. 25. Durand. in ead. d. q. 4. Maior ibid. q. 3. Imo & S. Thom. in ead. d. q. 3. ad 3. Adrian. quodl. 9. art. 2. & alij alibi. Concluſionem ſequuntur Franc. Victor. in relect. de ſimonia. 1. part. num. 24. & 25. Sotus. Greg. de Valent. & Petr. de Arag. loc. cit. & alij recentiores. Probatur Concluſio. Conferens ex metu ſic incuſſo aliquid ſpirituale, nihil pretio æſtimabile recipit, ſed gratis dat. Ergo non eſt ſimoniacus. Præterea, vt Victoria arguit, Si quis timore oret, celebret, confiteatur, aut abſoluat, non eſt ſimoniacus, & tamen hæc maximè ſunt ſpiritualia. Hæc tamen Concluſio ita eſt limitanda, vt non intelligatur, quando timor reſolueretur in aliquod temporale commodum, aut pretio æſtimabile, V.G. vt Sotus ait: Si Rex, vel aulicus comminaretur Epiſcopo, quod niſi ſacerdotium tali perſonę conferret, de gratia regia excideret, neque ad aliam eſſet

Q 5 aſcen-

aſcenſurus ſedem. Qui enim tali metu ſacerdotium conferret, id ad venandum Epiſcopatum faceret, & ſic ſimoniacus eſſet: Secus ſi metus incuteretur ei amittēdi vitam, aut temporalia bona, quæ poſſidet: tunc nihil temporale datur ſic conferenti, nec via aperitur ad conſequēdum aliquod temporale, quod non habeat. An autē ſit peccatum, & quale, quando quis ex tali timore beneficiū, aut aliquod ſpirituale confert, dubium eſſe poſſet? Victoria cenſet nullum eſſe peccatum. Sed Sotus, & Petrus de Aragon. & alij quidam cenſent eſſe veniale, quia ſaltem non fit collatio eo modo, quo fieri deberet. Ego rariſſimè, aut nunquā putarem iudicandum culpā mortalem interuenire, quando collatio fit digno, & talis metus incutitur, qui in fortem, & ſapientem virum cadere poſſit. Per hoc tamen non intendimus excuſare à grauiſſimo crimine eū, qui huiuſmodi preces armatas intentat, quamuis ſimoniam non committat. De his, qui ſic preces armatas adhibent, videtur loqui Paſchalis Secundus in cap. Sunt quidam. 1. q. 1. dum (inquit) Sunt quidam, qui vel violentia, vel fauore non permittunt Eccleſias regulariter ordinari. Hos etiam decreuimus vt ſacrilegos iudicandos. De his melius Concil. Baſilien. vbi agit de elect, receptum in pragmatica ſanctione. in tit, de elect. §. ad tollendum. Vbi hunc in [illegible]um loquitur. Ad tollendum autem om[illegible]mbitionis radicem, obſecrat per viſcera

miſeri-

miſericordiæ Dei Ieſu Chriſti hæc ſancta Synodus, ac inſtantiſſimè exhortatur Reges, & Principes, communitates, & alios cuiuſcunq; gradus, vel dignitatis exiſtant, Eccleſiaſticæ, vel mundanæ, ne electoribus literas ſcribant, aut preces porrigant pro eo, qui per ſe, vel alium preces tales, vel literas procurabit. Multoque minus comminationes, impreſſiones (intellige reales violentias cum Gloſſa pragmaticæ) aut aliud faciant, quo minus liberè ad electionē procedatur. Similiter in virtute ſanctæ obedientiæ ipſis electoribus præcipitur, ne ad huiuſmodi literas, preces, comminationes, vel impreſſiones, aut alias, vt præmittitur, quenquam eligere præſumant, &c. hæc ibidem. His accedit, quod abuſu ſæcularis poteſtatis fieri dicitur electio, quando minis alicuius perſonæ potentis quiſpiam eligitur, Innocent. Collectan. & alij in cap. Quiſquis, de elect. Rebuff. ſuper concord. in tit. de elect. derogat. ſuper verb. Per abuſum ſæcularis poteſtatis.

Octaua Concluſio. *Etſi non committat ſimoniam conferens beneficium, vel aliquid ſpirituale ex metu incuſſo per preces armatas, aut impreſſiones indigno, & inepto, mortaliter tamen peccat.* Prima pars eſt contra DD. in præcedenti concl. allegatos, & ſatis conſtat ex fundamentis eiſdem. Secundam amplectuntur communiter DD. vbi ſupra. Committitur .n. acceptio perſonarū, ac infideliter, iniuſteq; contra legem

natura-

naturalem, & diuinam res ſpiritualis diſpenſatur.

QVÆSTIO III.

An ſit ſimonia, beneficia & ſpiritualia conferre propter conſanguinitatem?

ANtequam reſolutio adhibeatur, aliqua ſunt præmittenda.

Primum. De materia huius Quæſt. tractant Alexand. Alenſ. 2. part. q. 187. memb. 4. art. 2. §. 6. Durand. & Maior. in 4. d. 25. Guilhelm. Altiſiodorenſ. 3. part. tract. 21. Victoria in 1. part. relect. de ſimonia. num. 26. Commentatores D. Thomæ, cum eodem, in d. art. 5. Adrian. quodl. 9. Cardin. Alexand. & Turrecrem. in c. Peruenit. 1. q. 3. Gloſſ. in cap. 1. vt beneficia ſine diminutione conferantur. & alij alibi.

Secundum. Inter omnes conuenit, grauiſſimum eſſe peccatum conferre conſanguineis beneficia, eoſq; promouere ad Eccleſiaſticas dignitates, ſolo intuitu conſanguinitatis, præſertim quando alias digni non ſunt, licet hoc malum plus hedera noſtris temporibus in Eccleſia ſerpat, eamque ſæpiſſimè in maxima diſcrimina trahat. Vocatur autem hoc peccatum ædificantium Sion in ſanguinibus, à DD. ex illo Michææ 3. Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Hieruſalẽ in iniquitate. Et Abacuc 2.

Vah

Vah illis, qui ædificant ciuitatem in ſanguinibus, & præparant vrbem in iniquitatem. Collatio beneficiorum, (ait Guilhelm. Perald. tom.2. de virtutib. & vitijs. in tract. de Auaritia.cap.8.) facta conſanguineis, quædam præparatio eſt, vt habeant vrbem Eccleſiæ concordem ad omnem iniquitatem, quam facere volunt. Et certè in Electionibus, nominationibus, alijſq; negotijs Eccleſiaſticis ſæpè conſanguinitas multa mala generat, vbi in capitulis votorum pluralitas locum habet. Electio ſi aliqua inſtituenda ſit, ſi multi ſanguinis vinculo ligati interſint, ſanguinem eligunt, ſicque digniores negliguntur, & Eccleſia ſemper in ſanguine regitur per illos, qui ex ſanguinibus, & non ex Deo nati ſunt. De Petro enim dictum eſt Matth. 16. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Vtinam multi Eccleſiaſtici dum nimio amore ſanguinem complectuntur, conſanguineis dignitates Eccleſiaſticas conferunt, eis Eccleſiarum bona concredunt de patrimonio crucifixi arces, agros, vineas, & alia bona immobilia comparant, vt fœlicius, vel potius infœlicius ad maioratus, baroniæ, aut comitatus honorem euehant extra ſtatum, quem tenebant: perpenderent illud Dauidis Pſalm. 29. Quæ vtilitas in ſanguine meo: dum deſcendero in corruptionem. Vtinam aliud D. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 30. relatum à Gra-

à Gratiano 86.d.cap.Eſt probanda.diligenter attenderent: Neque enim propterea te Domino dicaſti, vt tuos diuites facias, ſed vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras,&pretio miſerationis redimas peccata tua. Putant ſe parum poſcere, qui pretium tuum quærunt: vitæ tuæ fructum adimere contendunt,& accuſant, quod eos diuites nō feceris, cū te illi velint æternæ vitæ mercede fraudare. Cui accedit & D.Hieron.in lib.Numer. iuxta Gratian. 8. q.1. c.Si ergo.ibi, Audis euidenter ordinationem principis populi tam manifeſtè deſcriptam, vt penè expoſitione non egeat. Nulla hic populi acclamatio, nulla cōſanguinitatis habita contemplatio eſt. Propinquis, agrorū, & prædiorum relinquatur hæreditas: Gubernatio populi illi tradatur, quē Deus elegerit, homini ſcil.tali, qui habet ſicut ſcriptū audiſtis, in ſemetipſo ſpiritū Dei, & præcepta Dei in conſpectu eius ſunt, &c. Verba huius Canonis à Gratiano aſſcribuntur D. Hieron. Sunt aūt Orig.Hom.22.in Num.ad cap.27. vt obſeruatur in decreto emēdato iuſſu Gregorij XIII. Citatur autem Hieron.quia eas latinas reddidit, noxia detruncauit,&vtilia tranſtulit, teſte eod. Hieron. in epiſt. 62. ad Theophilum.& in prolog. lib.2.in Michæam. Multa, quæ ad peccati huius deteſtationē faciunt, colligunt Perald.vbi ſupra. & Aluar. Pelagius lib.2. de planctu Eccleſiæ. art. 15. in lit. M.

Tertium. Committitur nonnunquam peccatum

catum acceptionis perſonarum in electiones ad dignitates Eccleſiaſticas, nec non in diſtributione beneficiorum Eccleſiaſticorũ, prout Theologi pleriq;, nec non alij vbi ſupra tradiderunt. Eſt aũt acceptio perſonarum iuxta D. Tho. 2.2. q.63.a.1. receptũ cõmuniter ab alijs, peccatum, quo id quod ex debito iuſtitiæ vni perſonæ conferendum eſt, datur alteri, non propter meritũ eius ad ipſam rem, quæ cõfertur, ſed propter aliquam conditionẽ impertinentem ad rem, vt V. G. Si quis conferat alicui Epiſcopatum non eo intuitu, quod bonæ conuerſationis, & eminentis eruditionis ſit: quippe qui ineptus, ſed quia diues eſt, aut quia ſanguine iunctus. Diuitiæ, & conſanguinitas neminem dignũ Epiſcopatu reddũt, ſed morum honeſtas, & doctrinæ ſplẽdor. Eſt autem perſonarũ acceptio ſuo genere peccatũ mortale, oppoſitum iuſtitiæ diſtributiuæ, prout S. Thom. in d. a.1. oſtendit. Ad quod etiam illud Gloſ. in c.2. Iacobi in illa verba: Nolite in perſonarũ acceptione habere fidẽ Domini. Quis ferat, ait Gloſſ. ſi quis diuitem eligat ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore, quæ deſumpta eſt ex Auguſtin. epiſt. 29. ad Hieron. verſus finem.

Prima Concluſio. *Conferre beneficium alicui ratione ſanguinis non eſt ſimonia.* Hæc concl. eſt contra D. Bonau. in 4. d. 25. in expoſitione literæ, Durand. & Maior. in ead. d. Adrian. loc. cit. Gloſſ. in cap. Nemo. huius tit. & in d. cap. 1. vt bene-

vt beneficia Eccleſiaſtica. & alios alibi. Concluſionem amplectuntur Alen. Altiſiodoren. loc.cit. D.Tho. in d.art.5. in ſolut.ad 2. & eius Commentatores ibidem. Sotus & Victoria. vbi ſupra. Cardin. Alexand. & Turrecrem. in d.c.Peruenit. Et hæc nunc eſt communiſſima Theologorum ſententia. Ratio fundamentalis. Qui beneficium intuitu ſanguinis confert, nihil pretio temporali dignum recipit: ſed non poteſt eſſe ſimonia, vbi emptioni, & venditioni non eſt locus.argum. à definitione ſimoniæ. Præterea ſi collator eſt ſimoniacus, vt Victoria argumentatur. Ergo etiam qui ſcienter eo intuitu recipit, quod nemo dicit, neque talis damnatur ad reſtitutionem. Et confirmatur ex d.cap.vnic.vt beneficia Eccleſiaſtica. vbi Innocent. III. reprehendit Archiepiſcopum Mediolanen. circa tria. Circa contrarietatem reſponſi, circa carnalitatem animi, quia non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuit Eccleſiaſticum officium, & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare. Et circa inhoneſtatem facti, quia non licuit ex pactione, vel conuentione quacunque, ſub modo, vel tenore præſcripto concedere nudum officium, & retinere ſibi prouentus. Hoc tertium tantum (vt ſatis textus indicat) ab Innocentio vt ſimoniacum reprobatur. Secundum tantum vt illicitum reprehenditur.

Secunda Concluſio. *Qui conſanguineo votum prabet in electione, ſmotus vinculo ſanguinis, aut eidem be-*

dem beneficium eo intuitu confert, quando alias dignus non eſt, committit acceptionem perſonarum. Eſt communiſſima concluſio DD. quos allegauimus pro prima, & nunc pro ſequentibus allegabimus.

Tertia Concluſio. *Prælatus motus conſanguinitate conferens beneficium, aut votum etiam præbens in electione conſanguineo alias digno, non peccat mortaliter.* Victor. Cardin. Alexand. & Turrecr. loc cit. & alij alibi. Probat Victor. Actus ex obiecto eſt bonus & circumſtantia non eſt mortalis. Ergo actus non eſt mortalis. His accedit, quod ſecundum rectum ordinem charitatis homo plus coniunctos debet diligere, & per conſequens magis eis prouidere, quando idonei ſunt.

Quarta Concluſio. *Cæteris paribus prouidere conſanguineis, non eſt peccatum.* Hanc docent Cardin. Alexan. & Turrecrem. loc. cit. & latius in cap. Decenter. 89. diſt. Victor. loc. cit. & alij paſſim: nec poteſt in ea eſſe dubium. Quia cæteris paribus recta, & ordinata charitas hoc admittit, & naturalis ratio ad hoc inclinat. Huic concluſioni videtur obſtare d. c. Decenter, quod deſumptũ eſt ex Concil. Toletano X. cap. 3. vbi prohibetur, quod Epiſcopi officia, & res Eccleſiæ ſanguine propinquis, aut fauore perſonæ, quibuſcunque ſibi coniunctis non commendent ad ſuum nefandæ preſumptionis excidium: & contra aliter ordinantes grauiſſimas ſtatuit pœnas. Reſpondetur ad

Petitio curæ animarum ſimpliciter in caſu non eſt præſumptuoſa, ſed ſancta, quando videlicet clarè conſtat, quod niſi ipſe dignus petat Epiſcopatum illum, eidem malè prouidebitur. Tunc ſine ſcandalo poteſt alias dignus licitè, vt proſit eum petere. Tertiò putat, cum ſit neceſſitas, non eſſe præſumptionis, ſed charitatis conſilium hoc, quod inde patet, quia Eccleſia illa gratias magnas illi referret, ſi ſciret ex illius petitione, ſe ex propoſito ereptam de manu lupi imminentis. Et ſimiliter ſponſus ac Dominus Eccleſiæ Ieſus Chriſtus, vt fidelem negotij geſtorem illum recognoſcet, non minus quam vnus homo, cui hoc beneficium præſtitum fuiſſet. Conſtat namq; quod ſi mea eſſet Eccleſia illa, ego tenerer illi ſic petenti gratias agere. An fortè, ait ille auctor, ingratus, aut tam rigoroſus eſt Chriſtus, vt non velit ſuarum Eccleſiarum periculis humana ratione obuiam iri? Poſtremò. Petitio curæ etiam ſimpliciter animarum non eſt neceſſariò præſumptuoſa, cum in caſu ſit licita: Et quia Eſaias purgatum ſe videns, petijt abſque præſumptione. Ecce ego; mitte me. Nec mirum ſi Auguſtin. Greg. S. Thom. & alij videntur aliter docuiſſe: quoniam ipſi docuerunt quid agendum infra legũ limites ſit: nos autem quid inter corruptiones legũ fieri poteſt, & quandoq; debet. Et rurſus ipſi, quid abſolutè fieri licet, nos aũt quid in caſu neceſſitatis, vel ſimpliciter, vel pro nunc inter tales. Sic Caietan.

Septima

Septima Concluſio. *Qui beneficium aut aliud ſpirituale confert alias digno, motus metu incuſſo per preces armatas, aut violentiam, non committit ſimoniam.* Hæc eſt contra. Cardin. Alexandr. & Turrecr. in d. cap. Ordinationes. dum docent, quod ſi prælatus requiſitus de dando ordinem, aut beneficiũ huiuſmodi precibus propulſatus, principalem reſpectum habeat ad illas preces, vt videlicet euitet aliquod malum perſonæ, vel famæ, vel rerum quod probabiliter timetur, ſimonia ſit: Etiam multi Theologi ſunt eandem imitati ſententiam. Bonau. in 4. d. 25. Durand. in ead. d. q. 4. Maior ibid. q. 3. Imo & S. Thom. in ead. d. q. 3. ad 3. Adrian. quodl. 9. art. 2. & alij alibi. Concluſionem ſequuntur Franc. Victor. in relect. de ſimonia. 1. part. num. 24. & 25. Sotus. Greg. de Valent. & Petr. de Arag. loc. cit. & alij recentiores. Probatur Concluſio. Conferens ex metu ſic incuſſo aliquid ſpirituale, nihil pretio æſtimabile recipit, ſed gratis dat. Ergo non eſt ſimoniacus. Præterea, vt Victoria arguit, Si quis timore oret, celebret, confiteatur, aut abſoluat, non eſt ſimoniacus, & tamen hæc maximè ſunt ſpiritualia. Hæc tamen Concluſio ita eſt limitanda, vt non intelligatur, quando timor reſolueretur in aliquod temporale commodum, aut pretio æſtimabile, V. G. vt Sotus ait: Si Rex, vel aulicus comminaretur Epiſcopo, quod niſi ſacerdotium tali perſonę conferret, de gratia regia excideret, neque ad aliam eſſet

aſcenſurus ſedem. Qui enim tali metu ſacerdotium conferret, id ad venandum Epiſcopatum faceret, & ſic ſimoniacus eſſet: Secus ſi metus incuteretur ei amittēdi vitam, aut temporalia bona, quæ poſſidet: tunc nihil temporale datur ſic conferenti, nec via aperitur ad conſequēdum aliquod temporale, quod non habeat. An autē ſit peccatum, & quale, quando quis ex tali timore beneficiū, aut aliquod ſpirituale confert, dubium eſſe poſſet? Victoria cenſet nullum eſſe peccatum. Sed Sotus, & Petrus de Aragon. & alij quidam cenſent eſſe veniale, quia ſaltem non fit collatio eo modo, quo fieri deberet. Ego rariſſimè, aut nunquā putarem iudicandum culpā mortalem interuenire, quando collatio fit digno, & talis metus incutitur, qui in fortem, & ſapientem virum cadere poſſit. Per hoc tamen non intendimus excuſare à grauiſſimo crimine eū, qui huiuſmodi preces armatas intentat, quamuis ſimoniam non committat. De his, qui ſic preces armatas adhibent, videtur loqui Paſchalis Secundus in cap. Sunt quidam. 1. q. 1. dum (inquit) Sunt quidam, qui vel violentia, vel fauore non permittunt Eccleſias regulariter ordinari. Hos etiam decreuimus vt ſacrilegos iudicandos. De his melius Concil. Baſilien. vbi agit de elect. receptum in pragmatica ſanctione. in tit. de elect. §. ad tollendum. Vbi hunc in modum loquitur. Ad tollendum autem omnem ambitionis radicem, obſecrat per viſcera miſeri-

miſericordiæ Dei Ieſu Chriſti hæc ſancta Synodus, ac inſtantiſſimè exhortatur Reges, & Principes, communitates, & alios cuiuſcunq; gradus, vel dignitatis exiſtant, Eccleſiaſticæ, vel mundanæ, ne electoribus literas ſcribant, aut preces porrigant pro eo, qui per ſe, vel alium preces tales, vel literas procurabit. Multóque minus comminationes, impreſſiones (intellige reales violentias cum Gloſſa pragmaticæ) aut aliud faciant, quo minus liberè ad electionē procedatur. Similiter in virtute ſanctæ obedientiæ ipſis electoribus præcipitur, ne ad huiuſmodi literas, preces, comminationes, vel impreſſiones, aut alias, vt præmittitur, quenquam eligere præſumant, &c. hæc ibidem. His accedit, quod abuſu ſæcularis poteſtatis fieri dicitur electio, quando minis alicuius perſonæ potentis quiſpiam eligitur, Innocent. Collectan. & alij in cap. Quiſquis, de elect. Rebuff. ſuper concord. in tit. de elect. derogat. ſuper verb. Per abuſum ſæcularis poteſtatis.

Octaua Concluſio. *Etſi non committat ſimoniam conferens beneficium, vel aliquid ſpirituale ex metu incuſſo per preces armatas, aut impreſſiones indigno, & inepto, mortaliter tamen peccat.* Prima pars eſt contra DD. in præcedenti concl. allegatos, & ſatis conſtat ex fundamentis eiſdem. Secundam amplectuntur communiter DD. vbi ſupra. Committitur .n. acceptio perſonarū, ac infideliter, iniuſteq; contra legem

natura-

naturalem, & diuinam res ſpiritualis diſpenſatur.

QVÆSTIO III.

An ſit ſimonia, beneficia & ſpiritualia conferre propter conſanguinitatem?

ANtequam reſolutio adhibeatur, aliqua ſunt præmittenda.

Primum. De materia huius Quæſt. tractant Alexand. Alenſ. 2. part. q. 187. memb. 4. art. 2. §. 6. Durand. & Maior. in 4. d. 25. Guilhelm. Altiſiodorenſ. 3. part. tract. 21. Victoria in 1. part. relect. de ſimonia. num. 26. Commentatores D. Thomæ, cum eodem, in d. art. 5. Adrian. quodl. 9. Cardin. Alexand. & Turrecrem. in c. Peruenit. 1. q. 3. Gloſſ. in cap. 1. vt beneficia ſine diminutione conferantur. & alij alibi.

Secundum. Inter omnes conuenit, grauiſſimum eſſe peccatum conferre conſanguineis beneficia, eoſq; promouere ad Eccleſiaſticas dignitates, ſolo intuitu conſanguinitatis, præſertim quando alias digni non ſunt, licet hoc malum plus hedera noſtris temporibus in Eccleſia ſerpat, eamque ſæpiſſimè in maxima diſcrimina trahat. Vocatur autem hoc peccatum ædificantium Sion in ſanguinibus, à DD. ex illo Michææ 3. Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Hieruſalē in iniquitate. Et Abacuc 2.

Vah

Vah illis, qui ædificant ciuitatem in ſanguinibus,& præparant vrbem in iniquitatem. Collatio beneficiorum, (ait Guilhelm. Perald. tom.2. de virtutib. & vitijs. in tract. de Auaritia.cap.8.) facta conſanguineis, quædam præparatio eſt, vt habeant vrbem Eccleſiæ concordem ad omnem iniquitatem, quam facere volunt. Et certè in Electionibus, nominationibus, alijſq; negotijs Eccleſiaſticis ſæpè conſanguinitas multa mala generat, vbi in capitulis votorum pluralitas locum habet. Electio ſi aliqua inſtituenda ſit, ſi multi ſanguinis vinculo ligati interſint, ſanguinem eligunt, ſicque digniores negliguntur, & Eccleſia ſemper in ſanguine regitur per illos, qui ex ſanguinibus, & non ex Deo nati ſunt. De Petro enim dictum eſt Matth. 16. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Vtinam multi Eccleſiaſtici dum nimio amore ſanguinem complectuntur, conſanguineis dignitates Eccleſiaſticas conferunt, eis Eccleſiarum bona concredunt de patrimonio crucifixi arces, agros, vineas, & alia bona immobilia comparant, vt fœlicius, vel potius infœlicius ad maioratus, baroniæ, aut comitatus honorem euehant extra ſtatum, quem tenebant: perpenderent illud Dauidis Pſalm. 29. Quæ vtilitas in ſanguine meo: dum deſcendero in corruptionem. Vtinam aliud D. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 30. relatum à Gra-

à Gratiano 86.d.cap. Eſt probanda. diligenter attenderent: Neque enim propterea te Domino dicaſti, vt tuos diuites facias, ſed vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras,& pretio miſerationis redimas peccata tua. Putant ſe parum poſcere, qui pretium tuum quærunt: vitæ tuæ fructum adimere contendunt,& accuſant, quod eos diuites nō feceris, cū te illi velint æternæ vitæ mercede fraudare. Cui accedit & D. Hieron. in lib. Numer. iuxta Gratian. 8. q.1. c. Si ergo. ibi, Audis euidenter ordinationem principis populi tam manifeſtè deſcriptam, vt penè expoſitione non egeat. Nulla hic populi acclamatio, nulla cōſanguinitatis habita contemplatio eſt. Propinquis, agrorū, & prædiorum relinquatur hæreditas: Gubernatio populi illi tradatur, quē Deus elegerit, homini ſcil. tali, qui habet ſicut ſcriptū audiſtis, in ſemetipſo ſpiritū Dei, & præcepta Dei in conſpectu eius ſunt, &c. Verba huius Canonis à Gratiano aſſcribuntur D. Hieron. Sunt aūt Orig. Hom. 22. in Num. ad cap. 27. vt obſeruatur in decreto emēdato iuſſu Gregorij XIII. Citatur autem Hieron. quia eas latinas reddidit, noxia detruncauit,& vtilia tranſtulit, teſte eod. Hieron. in epiſt. 62. ad Theophilum. & in prolog. lib. 2. in Michæam. Multa, quæ ad peccati huius deteſtationē faciunt, colligunt Perald. vbi ſupra. & Aluar. Pelagius lib. 2. de planctu Eccleſiæ. art. 15. in lit. M.

Tertium. Committitur nonnunquam peccatum

catum acceptionis perſonarum in electiones ad dignitates Eccleſiaſticas, nec non in diſtributione beneficiorum Eccleſiaſticorũ, prout Theologi pleriq;, nec non alij vbi ſupra tradiderunt. Eſt aũt acceptio perſonarum iuxta D. Tho. 2.2. q.63.a.1. receptũ cõmuniter ab alijs, peccatum, quo id quod ex debito iuſtitiæ vni perſonæ conferendum eſt, datur alteri, non propter meritũ eius ad ipſam rem, quæ cõfertur, ſed propter aliquam conditionẽ impertinentem ad rem, vt V. G. Si quis conferat alicui Epiſcopatum non eo intuitu, quod bonæ conuerſationis, & eminentis eruditionis ſit: quippe qui ineptus, ſed quia diues eſt, aut quia ſanguine iunctus. Diuitiæ, & conſanguinitas neminem dignũ Epiſcopatu reddũt, ſed morum honeſtas, & doctrinæ ſplẽdor. Eſt autem perſonarũ acceptio ſuo genere peccatũ mortale, oppoſitum iuſtitiæ diſtributiuæ, prout S. Thom. in d. a.1. oſtendit. Ad quod etiam illud Gloſ. in c.2. Iacobi in illa verba: Nolite in perſonarũ acceptione habere fidẽ Domini. Quis ferat, ait Gloſſ. ſi quis diuitem eligat ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore, quæ deſumpta eſt ex Auguſtin. epiſt. 29. ad Hieron. verſus finem.

Prima Concluſio. *Conferre beneficium alicui ratione ſanguinis non eſt ſimonia.* Hæc concl. eſt contra D. Bonau. in 4. d. 25. in expoſitione literæ, Durand. & Maior. in ead. d. Adrian. loc. cit. Gloſſ. in cap. Nemo. huius tit. & in d. cap. 1. vt bene-

vt beneficia Eccleſiaſtica. & alios alibi. Concluſionem amplectuntur Alen. Altiſiodoren. loc.cit. D.Tho. in d.art.5. in ſolut.ad 2. & eius Commentatores ibidem. Sotus & Victoria. vbi ſupra. Cardin. Alexand. & Turrecrem. in d.c.Peruenit. Et hæc nunc eſt communiſſima Theologorum ſententia. Ratio fundamentalis. Qui beneficium intuitu ſanguinis confert, nihil pretio temporali dignum recipit: ſed non poteſt eſſe ſimonia, vbi emptioni, & venditioni non eſt locus.argum. à definitione ſimoniæ. Præterea ſi collator eſt ſimoniacus, vt Victoria argumentatur. Ergo etiam qui ſcienter eo intuitu recipit, quod nemo dicit, neque talis damnatur ad reſtitutionem. Et confirmatur ex d.cap.vnic.vt beneficia Eccleſiaſtica. vbi Innocent. III. reprehendit Archiepiſcopum Mediolanen. circa tria. Circa contrarietatem reſponſi,circa carnalitatem animi, quia non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuit Eccleſiaſticum officium,& beneficium in perſona magis idonea diſpenſare. Et circa inhoneſtatem facti, quia non licuit ex pactione,vel conuentione quacunque,ſub modo, vel tenore præſcripto concedere nudum officium,& retinere ſibi prouentus.Hoc tertium tantum (vt ſatis textus indicat) ab Innocentio vt ſimoniacum reprobatur. Secundum tantum vt illicitum reprehenditur.

Secunda Concluſio. *Qui conſanguineo votum præbet in electione, motus vinculo ſanguinis, aut eidem be-*

dem beneficium eo intuitu confert, quando alias dignus non eſt, committit acceptionem perſonarum. Eſt communiſſima concluſio DD. quos allegauimus pro prima, & nunc pro ſequentibus allegabimus.

Tertia Concluſio. *Prælatus motus conſanguinitate conferens beneficium, aut votum etiam præbens in electione conſanguineo alias digno, non peccat mortaliter.* Victor. Cardin. Alexand. & Turrecr. loc cit. & alij alibi. Probat Victor. Actus ex obiecto eſt bonus & circumſtantia non eſt mortalis. Ergo actus non eſt mortalis. His accedit, quod ſecundum rectum ordinem charitatis homo plus coniunctos debet diligere, & per conſequens magis eis prouidere, quando idonei ſunt.

Quarta Concluſio. *Cæteris paribus prouidere conſanguineis, non eſt peccatum.* Hanc docent Cardin. Alexan. & Turrecrem. loc. cit. & latius in cap. Decenter. 89. diſt. Victor. loc. cit. & alij paſſim: nec poteſt in ea eſſe dubium. Quia cæteris paribus recta, & ordinata charitas hoc admittit, & naturalis ratio ad hoc inclinat. Huic concluſioni videtur obſtare d. c. Decenter, quod deſumptũ eſt ex Concil. Toletano X. cap. 3. vbi prohibetur, quod Epiſcopi officia, & res Eccleſiæ ſanguine propinquis, aut fauore perſonæ, quibuſcunque ſibi coniunctis non commendent ad ſuum nefandæ præſumptionis excidium: & contra aliter ordinantes grauiſſimas ſtatuit pœnas. Reſpondetur ad

tur ad hanc obiectionem ſecundum Gloſſ. Cardin. Alexand. & Turrecrem. c.intelligendum, quando conſanguinei ſunt malæ vitæ, vel alias non ſunt idonei. Rationabiliter autem interdicitur Epiſcopis, & prẹlatis, ne tales præficiant beneficijs, aut etiam officijs ſæcularibus, prout rectè proſequitur Turrecrem. in d.cap. Decenter. Primo, quia Epiſcopi minus volunt cōiunctos corrigere, quos fauore proſequuntur, etiamſi reperti fuerint in mala adminiſtratione, & ſic perit iuſtitia, & læduntur res Eccleſiæ. Secundo, Propinqui Epiſcoporum ex tali coniunctione aſſumunt audaciam occupandi bona Eccleſiæ, quæ adminiſtrant: ac ſæpè etiam hac occaſione arripiunt ſibi præſumptam poteſtatem ſupprimendi, ac concutiendi ſubditos, quorum gubernationi præficiuntur. Tertio, quia iſti ſanguine iuncti propter coniunctionem Epiſcopi timentur, & vix quis de eorū mala adminiſtratione audet loqui, nec eos accuſare. Quod profectò ſẹpiſſimè veritatē habet, quando Epiſcopi malæ ſunt conſcientiæ, plus auaritiæ, ſanguinique inhiantes, quam publicæ vtilitati, ſubditorum tranquillitati, ac animarum lucro intendentes. Excœcat aliquando carnalitas, vt vitia in noſtris feramus, & diſſimulemus, quæ ſi in alienis conſpiceremus, erubeſceremus. Prædicta concluſio limitanda eſt ex mente Alexan. Alenſ.2.par.q.136.memb.2. S.Antonin.2.par. tit.1.c.20.§.2.S.Thom.quodlib.4. Card.Alex

& Turre-

& Turrecrem. quando ſcandalum ceſſat, nec alij malum exemplum inde capiunt. Et certè plurima, maximaq; neceſſe eſt naſci ſcandala in Eccleſia, quando prælati ſanguinē ſequuntur, & omnia per carnem, & ſanguinem diſponunt. Ideoque vt verbis Aluari Pelagij vtar, verè hodie luna, id eſt, Eccleſia ecclipſin patitur in capite, & in membris, ac carnalibus iſtis temporibus verſa eſt ferè tota in ſanguinem: Prælati ex ſanguine nati ſunt, & ex voluntate carnis. Ioan. 1. de conſecr. d. 4. cap. Si quis autem. Prælati immundi ſunt, quia ſanguiniflui filij homorrhoiſſæ. Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8. Sanguis eorum, & carnalitas ſanguinem tetigit. Oſeæ 4. Quia cum ſanguine eos promouent viri ſanguinum. Prælati carnales ædificant templum Domino, & præſunt illi non obſtante, quod dixerit Dominus ad Dauid 1. Paralip. 23. Non ædificabis mihi templum, quia vir ſanguinum es. 1. quæſt. 7. cap. Si quis omnem. Hæc ille. Dubium hic eſſe poteſt. *An Prælatus mortaliter etiam delinquat peccato acceptionis perſonarum, ſi ratione ſanguinis coniunctum, dignum tamen præferat alteri digniori, & magis idoneo.* Simpliciter affirmatiuè Cardin. Alexand. & Turrecrem. reſpondent in d. c. Decenter. Pendet accurata huius rei cognitio ex illa grauiſſima quæſtione, An ſit peccatum mortale eligere dignum, vel eidem conferre, omiſſo digniori. Ad huius quæſtionis reſolutionem ſit

Quinta Concluſio. *Eligere minus dignum, aut eidem conferre beneficia curata, aut dignitates, aliaq́ue quæ adminiſtrationem adiunctam habent, omiſſo, aut reiecto digniori ex ſua natura eſt peccatum mortale.* Concluſio videtur contra Gloſſ. in cap. licet. 8. q. 1. & in c. Conſtitutis. de appellat. & in c. 2. de offic. cuſtod. & alios quoſdam. Concluſionem autem tradunt Alex. Alen. 2. part. q. 136. memb. 2. S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. & q. 185. art. 3. & quodlib. 6. art. 9. & alibi. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 20. §. 1. Nicolaus Lyranus in cap. 21. Ioann. Altiſiodoren. lib. 2. tract. 33. cap. 3. art. 4. Gabr. in 4. d. 15. q. 7. art. 3. Angel. in Summa. in verb. Acceptio perſonarum. §. 6. Piſanell. in eod. verb. Sylueſt. ibid. q. 2. Caiet. Aurea Armill. & alij in eod. verb. Adrian. in 4. de reſtitut. in q. de collatione offic. & benefic. Eccleſiæ. Sotus lib. 3. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 2. concluſ. 9. Petrus de Aragon. & Gregor. de Valent. in d. q. 63. art. 2. & communiter recentiores Theologi, quos ſequuntur Decretiſtæ, & Canoniſtæ. Cardin. Alexand. & Turrecr. vbi ſupra. Panorm. & alij quidam in d. c. Conſtitutis. Rochus de iure patronatus. in verb. Honorificum. q. 15. latè Didac. Couar. in Relect. reg. Peccatum. 2. part. §. 7. num. 4. Nauarr. in Enchrid. de orat. miſcellaneo 38. Rebuff. ſuper concordat. in tit. de elect. derogat. ſuper verb. Idoneorem. Gloſſ. in cap. 1. in verb. Vtiliorem. de elect. in pragmatica: Et hęc eſt receptiſſima, & communiſſima ſententia, quam

tia, quam antiquitas recepit, & nouitas nunquam reiecit. Prob.concluſ. Ioan. 21. Ter Petro Chriſtus dixit: Diligis me plus his, vt oſtenderet ſuo exemplo meliorem eligendum Hieron. in cap. Licet ergo. 8. q.1. Sciant omnes, & certi ſint, quod qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminẽtior, ille eligatur. & c. fin. de offic. cuſtod. Ad hoc opus tales ordinẽtur, quales meliores, & ſanctiores eſſe viderint. & in d.c.1. vt Eccleſiaſtica beneficia, Eccleſiaſtica officia, & beneficia nõ ex carnis affectu, ſed ex diſcreto iudicio, in perſona magis idonea debere diſpenſari. Idẽ patet ex forma iuramenti exigendi ab Electoribus pręſcripta in Concil. Baſili. & inſerta pragmaticę ſanctioni. in tit. de electionib. Ego N. iuro, & promitto omnipotenti Deo, & N. Sancto, vel Sanctæ, ſub cuius vocabulo dedicata eſt hęc Eccleſia, eum eligere, quem credam in ſpiritualibus, & temporalibus Eccleſiæ futurum vtiliorem, nec illi vocem dare, quem veriſimiliter ſciuero promiſſione, aut datione alicuius rei temporalis, ſeu prece per ſe, aut per alium interpoſitis: aut alias qualitercunque directè vel indirectè pro ſe electionem procurare. Rationes etiam ſunt pro concluſione. Qui præficit dignum prætermiſſo digniori, neceſſariò id facit ex aliqua ratione ad electionem minimè pertinente, nempe ex amicitia, conſanguinitate, precibus, & ſic de ſimilibus. Sed hæc eſt manifeſta

acceptio perſonarum. Ergo. Deinde collatores beneficiorum, & dignitatum in Eccleſia Dei ſunt diſpenſatores miniſteriorum Dei. 1. ad Cor.4. in quibus requiritur ſinceritas, & fidelitas iuxta illud Chriſti. Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam: ſed prudens diſpenſator optimos quoſque, quos poteſt eodē ſtipendio ſeruos conſtituit pro ſeruitio Domini ſui, ne fidei ſuę deſit. Ex hac communiſſima DD. ſententia facilè patet in quanto periculo verſentur Epiſcopi, prælati Eccleſiæ, & collatores, qui ſuos conſanguineos ſine vlla ſæpè diſcretione omnibus alijs quantumuis digniſſimis ſcientia, & moribus præferunt facilè fingentes aliquem titulum, quo colorem juſtitiæ ſubducant, ſuumque factum rectificent. Sed Deus, apud quem non eſt reſpectus perſonarum, quique omnia intuetur prout ſunt ſine vllo reſpectu, reddet ſuo tempore pro meritis. Prô dolor, inueniuntur nonnunquam in Eccleſia prælati, qui ita ſanguine excœcati, atque immerſi ſunt, quod vni ex ſanguine concrederent mille, aut duo, triaq; millia animarum, cui alias tuto non auderent tria poma, quæ in pretio haberent, committere: aut cuſtodes conſtituunt ſuper Eccleſiaſtico regimine, quibus ob luxum, prodigalitatem, aut alia crimina, non auderent confidere ſex aureos in pecunia. Omnes enim nunc ſtudent auaritiæ, & theſauro proprio à minimo vſq; ad maxi-

ad maximum : de animarum lucro, & Eccleſiæ dignitate, pauci ſunt, qui recogitent. Proximam concluſionem limitant quidam DD. vt locum non habeat in beneficijs minimis, & parui momenti, in illis non incurritur mortale. Alexand. Alenſ. in d. quæſt. 136. memb. 2. §. 3. Angel. in verb. Acceptio perſonarum. §. 6. Caiet. Soto. Greg. de Valentia. Petrus de Aragon. & communiter recentiores. In minimis, & ſimplicibus beneficijs ad euitandum mortale ſufficit, vt electio, aut prouiſio fiat digno, & bono. Eadem eſt ratio ſi exceſſus eſſet paruus : in mortalibus enim non exigitur dignitas metaphyſica, aut mathematica, ſufficit moralis, vt homo in electione conſideret, quantum humana prudentia patitur, quem iudicet in conſcientia meliorem, & vtiliorem in ordine ad regimen Eccleſiæ, & bonum commune conſideratis circumſtantijs rerum, temporum, aut perſonarũ. Hoc tamen mente tenendum, vt communiter DD. tradunt, quod quãdo electio facta eſt de digno, prętermiſſo digniori non reuocatur, nec infringitur in foro exteriori, ſed ſuſtinetur. S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. & alibi. S. Antonin. loc. cit. Cardin. Alex. & Turrecrem. in d. c. licet. & ibidem Dominic. qui dicit communem : ſicut etiam Couar. in d. §. 7. num. 3. nec eſt in ea re dubium. Quod rectè fit ad amouendas lites innumeras, & ad inducendam tranquillitatem. Si enim electiones reuocarentur, quando

non fieret de meliori, nulla eſſet electio, quæ careret calumnia. Quiſque enim prætenderet ſe meliorem, & ita iura, quæ pro charitate, & iuſtitia inſtituta ſunt, contra charitatem, & iuſtitiam militarent.

Sexta Concluſio. *Prælatus conferens beneficium conſanguineo principaliter motus ratione conſanguinitatis, & intendens ex huiuſmodi promotione non ſolum prouiſionem perſonæ promotæ, ſed etiam vtilitatem ex illa prouiſione tranſeuntem in ipſum, ſcilicet quod ipſe conferens per hoc magnificetur, vel ſit potentior, vel vt domus eius exaltetur, & nobilior reddatur, vel aliquid ſimile tale, ſimoniam committit.* Ratio pro concluſione clara eſt. Sic conferens ſpirituale, pro eo accipit vtilitatem temporalem; vel accipere ſperat: vnde reducitur ad munus à manu. Hanc docent Card. Alexand. & Turrecrem. in c. Peruenit. 1. q. 3. & allegant etiam pro ea Alenſem in 2. part. qui ibidem in quæſt. 187. memb. 4. art. 2. §. 6. & etiam Raymund. in ſumma. Ex hac concluſ. facilè elicitur, quæ cenſura ferenda de illis prælatis, qui quandoque pueris, aut minus idoneis ſibi ſanguine, aut carne coniunctis perſonatus, aut beneficia curata, vt ipſi diſponant de fructibus, eoſque in proprios vſus conuertant, donec cognati, vel nepotuli adoleſcant, cogitentque quem ſtatum aſſumere velint. Vel filijs fratrum, ſororumque, aut cognatorum beneficia conferunt, vt parentes tenuis fortunæ, aut qui pro ſua profuſione prode-

prodegerunt, habeant, vnde viuant, & vtinam non aliquando hæretici, & Caluiniſtæ eſſent, qui hoc pallio, iniuſtè patrimonio Chriſti ſæpè paſcuntur, & bonis Eccleſiæ, quã alias proprio marte impugnant, aut blaſphemijs, calumnijſque dilacerant, victitant. Prælati ſic conferentes ſimoniaci ſunt, in perpetua maledictione viuunt, & niſi Eccleſiæ reſtituant bona, quæ ſic diſſipant, dignamque pœnitentiam agant, quod rariſſimè contingit, in fine vitæ cum Simone, à quo ſimonia nomen accepit, ſepelientur in inferno.

QVÆSTIO IV.

An ſimonia committatur, ſi quis pro ſpiritualium, & beneficiorum collatione accipiat munus ab obſequio?

DE hac quæſtione tractant Alenſ. 2. part. q. 187. memb. 3. art. 2. S. Thom. 2. 2. in d. q. 100. & eius Commentatores ibid. Sotus lib. 9. de iuſt. & iure. q. 7. art. 3. Victor. in relect. 1. part. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 5. Angel. in verb. Simonia 5. §. 5. Sylueſt. in eod. verb. q. 16. dict. 4. Cardin. Alexand. & Turrecrem. in d. c. Ordinationes. Panorm. Ioann. ab Anania. Anton. Cardin. & eſt communis Canoniſtarum cum Gloſſ. in hoc noſtro cap. Pro intelligentia, munus ab obſequio eſt ſeruitus indebitè

bitè impenſa : vel eſt actus corporalis factus in commodum, aut vtilitatem alicuius. V.G. Aliquis Epiſcopo inſeruit ſine ſtipendio, vt pro ſeruitio beneficium ſibi conferat. Vel adoleſcens doctus ſit nobilium pædagogus cum pacto, vt eorum pater, qui habet multa beneficia iuris patronatus, ad proximum vacaturum eum præſentabit.

Præterea memoria tenendum finem eſſe duplicem principalem, & minus principalem. Quod alij aliter dicunt, aliã eſſe cauſam finalem, aliam impulſiuam, ſiue excitatiuam : cuius diſtinctionis aliqui DD. etiam in hoc cap. meminerunt occaſione Gloſſ. Cauſa principalis eſt, quæ principaliter in agendo actu ab agente intenditur, & conſideratur, ipſumque præcipuè mouet ad agendum. Et licet hæc ſit prima in intentione, eſt tamẽ vltima in executione, vt philoſophi tradunt, & poſt eos S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. ad 1. & Commentatores eius ibidem. Et ex Iuriſperitis Bartol. in l. Ambitioſa. num. 19. ff. de decret. ab ordin. fac. ac Didac. Couar. lib. 1. variar. reſolut. cap. 20. num. 2. Finis minus principalis, vel cauſa impulſiua eſt, quæ præter finem vltimum mouet agentem, vel impellit, excitatque ad agendum, aliquid propter aliud, ſiue ſine illa id fieret, ſiue non. De his cauſis ad propoſitum agunt Nauar. in Comment. cap. Cum miniſter. 23. q. 5. num. 9. & ibidem à num. 37. & ſeq. & in manual. confeſſ. cap. 23. num. 101. Couar. loc. cit.

Gabr.

Gabr.ſuper can.Miſſæ.lect.28. Adrian.quodl. 9.art.2.ſub lit. L. M. N. O. Gloſſ. & DD. in hoc cap.

Prima Concluſio. *Conferre alicui præbendam aut beneficium principaliter pro obſequio præſtito, vel præſtando, ſi pactum implicitè, vel explicitè accedat, eſt ſimoniacum.* Hæc Concluſio eſt communis omnium DD. Iuriſtarum, & Theologorum, vt rectè Cardin. Alexand. & Turrecr. loquuntur, & ſatis probatur ex cap. Ordinationes. & cap. Sunt nonnulli. 1.q.1. & præſenti.cap.Deinde ſeruitium, ſiue obſequium omnium iudicio eſt res pretio temporali digna. Ergo ſi quis pro obſequio ſpirituale recipiat, ſimoniam committit.

Secunda Concluſio. *Seruire alicui prælato, aut collatori principaliter, ſpe conſequendi ab eo beneficium ſine vllo pacto, ſimonia mentalis eſt.* Richard. in 4.d.25. Victor. Felin.in hoc cap. Couar.vbi ſupra. Sylueſt. loc. cit. Caiet. in Summa. verb. Simonia. & alij alibi. nec eſt dubium. argum. ſumpto à definit.ſimoniæ. In tali tamen caſu non incideret in pœnas iuris, nec teneretur ad reſtitutionem.arg.infra c.fin. & annotatorum ibidem à DD.

Tertia Concluſio. *Qui inſeruit principaliter prælato ob perſonæ dignitatem, atque ob ſtipendium, aut victum amictumque, licet minus principaliter ſperet aliquod beneficium, non eſt ſimoniacus.* DD.cum Gloſſ.in hoc c.Gabr.Couar.Nauar. & alij alibi. Ratio. Quia quod principaliter, &

non

non quod minus principaliter agitur eſt attendendum. l.Si quis nec cauſam. ff.ſi certum petatur. c.Quamuis pactum. iuncta Gloſſ. de pact. in 6. & per alia collecta à Iaſone in d.l. Si quis nec cauſam, & ſimilia tradita ad longum à Nauarr. in d. comment. cap. Cum miniſter. à num. 36. & in comment. de datis, & promiſſ. pro iuſtitia. notab. 21. num. 33. His addi poteſt alia ratio. Quod in temporalibus eſt vſura, in ſpiritualibus eſt ſimonia: vt Sotus, Petrus de Aragon. & poſt eos alij recentiores aliquando argumentantur. atque ſatis Couar. & Nauar. vbi ſupra indicant. Sed non eſt vſura ſi quis mutuet alicui pecuniam principaliter ad ei ſubueniendum, eiuſque amicitiam captandam, & minus principaliter, ſeu ſecundario ſperet mutuatarium aliquid temporale in remunerationem gratis, liberaliterque daturum, iuxta Gloſſ. in cap. Conſuluit. in verb. Sperantes. de vſur. receptam communi DD. calculo. Ergo. In his caſibus, quando prælatus famulo ſuo, alias digno beneficium confert, cum principalis intentio non fertur in ſeruitium, ſed in dignitatem perſonæ in ordine ad bonum Eccleſiæ, & minus principalis conſideratio ad fidele obſequium dirigitur: obſequium non eſt finalis cauſa, ſed incitatiua, ſeu impulſiua. Prælatus enim quando miniſterium in honeſtis negotijs habet, qui ſe probum, idoneumque præbet, ſpecimenque dat, quod Deo, Eccleſiæq; fideliter inſeruiet, non prohi-

prohibetur beneficium eidem conferre: imo etiam cæteris paribus, eum in collatione præferre: hoc enim gratitudo poſtulat, nec ratio recta contradicit, modo ſcandalum abſit. Pro quibus facit illud Gregorij lib. 2. regiſtri. cap. 57. in princ. Eccleſiaſticis vtilitatibus deſeruientes, Eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere. Attendant tamen tam prælati, quam eis ſeruientes, ne oculus ſit nequam, & mentiatur ſibi iniquitas, parum proderit diſtinguere intentionem principalem, & minus principalem: cauſam finalem, & impulſiuam, ſpem primario, aut ſecundario conceptam verbis, ſi cor ſit prauum, eiuſque intentio corrupta. Verè enim olim à quodam dictum eſt, quod curiæ prælatorum, ſint probatoria clericorum, vt meminerunt Paludan. in 4. d. 25. & poſt eum Adrian. in d. art. 2. Cardin. Alex. & Turrecr. in d. cap. Ordinationes. q. 2. num. 5. Cuius dicti ratio eſt, quod ibi merita, & virtutes oſtenduntur, cum occaſiones multæ offerantur, ambitioni locus ſit, & inuidia omnes ferè anguli ardeant: ſæpe non pro mercede, ſed beneficijs capellani, alijque clerici inſeruiant, remis, veliſque contendunt pro pinguiori præbenda, aut beneficio vacante: Tunc vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum, probantur in aula Epiſcoporum, prælatorumq; clerici virtute, pietateque præditi, qui non mouentur ambitione, nec quęrunt beneficia, donec vltrò vocentur, id exigentibus eorum meritis.

meritis. E contra verò ambientes ſemper ſollicitant, circumeunt, ac inquirunt, nunquid aliquod beneficium Eccleſiaſticum vacet, vnde prædam nanciſcantur: Et tunc tanquam Mercurium in pedibus habentes huc, atque illuc currunt, & ſic probationi locus eſt, vbi vera ſolidaq́ue pietas, & vbi ficta, fucataq́ue virtus lateat: atque in hunc ſenſum curiæ prælatorum ſunt clericorum probatoria.

Quarta Concluſio. *Epiſcopus, & prælatus recipiens aliquem in ſuum familiarem, aut miniſtrum pro aliquo obſequio præſtando, conſtituto ei annuo ſalario, donec de beneficio prouideat, non committit ſimoniam, modo pactum non accedat, quod collato beneficio gratis inſeruiet.* Hoſtienſ. Ioan. Andreas. Cardin. & communiter DD. in hoc cap. Sylueſt. & Aurea Armill. in verb. ſimonia. Nauar. in manual. confeſſ. cap. 25. num. 113. & alij communiter alibi. Panormit. tamen hoc pacto moderatur, quod verum credat, quando prælatus non inducitur principaliter propter ſeruitium, ſed quia ille meretur: aliter ſi cauſa finalis ſit ſeruitium, non licet argum. cap. Graue. de præbend. ſecus ſi ſit cauſa impulſiua. Etſi hæc communis ſit Canoniſtarum, & ſummiſtarum opinio, tamen opinor, quod niſi rectiſſima ſit tam domini, quam famuli in illo caſu intentio, admodum periculoſum ſit hoc exercitium, tum propter facilitatem ſcandali, tum propter ſpeciem mali,

quam

quam videtur preſeferre talis contractus, tum propter proximum acceſſum ad ſimoniam. Hinc à fortiori dubitat Victoria in d. num. 36. concl. 2. an excuſetur à pœna iuris, & reſtitutione, quando inter alias conditiones prælatus hoc etiam addit familiari futuro, habens intentionem prouidendi. Dabo tibi in beneficijs vſq; ad centum, & dabo ſalarium quinquaginta aureorum, quouſq; dedero tibi beneficium centum aureorum, ita quod alia ratione non iret in obſequium, & famulatum Epiſcopi: Hæc inquit ille videntur malè ſonantia, & certè periculoſa.

Dubiũ hic eſſe poteſt. Quid ſi vno anno, aut duobus prælatus aliquem in ſuo ſeruitio pro annuo & ſtatuto ſalario habeat, qui eidem inſeruiuit in Eccleſiaſticis muneribus, & adminiſtratione curæ paſtoralis eſt cooperator, tandem procurat tali ſuo Capellano beneficium, aut præbendam cũ pacto, & obligatione, vt vlterius ſibi inſeruiat, duobus, aut tribus annis, donec expectantiæ tempus labatur, & poſſit reſidere in Eccleſia præbendæ, tamen pro currenti annuo ſalario. Memini aliquando in aula cuiuſdam Epiſcopi à quibuſdam Iuriſperitis reſponſum in partem negantem, quando tamen contrarium rectius veriuſque obtinuiſſet, & fortaſſe cæci cæcis ducatũ prębebant: Ideò nunc palã reſpõdeo, quod tunc in angulis locũ nõ habebat. Quod ſic cũ pacto, & obligatione prębendã, aliudúe beneficiũ conferens ſimoniã committat in omni foro, vt ſeqq. manifeſtiſſimum reddam

reddam argumentis. Primo. Omnis pactio, & conuentio, quæ iure non ineſt in ſpiritualibus damnata, & reprobata eſt, vt ſimoniaca. cap. Quam pio. 1. q. 2. & cap. fin. de pact. prout ſupra latius probatum eſt. Præterea in tali caſu obligatione ciuili beneficiarius oneratur in aliquo temporali, ad quod de iure non tenetur. Ergo eſt ſimonia. Quia quoties quis ita grauatur ratione ſpiritualis percipiendi, abſque dubio ſimonia eſt, argum. ſumpto à definitione ſimoniæ. His accedit, quod per tale pactum, talemque conuentionem ob beneficium conſequendum beneficiarius ſuam libertatem obligat, & diſtrahit pro tanto temporis ſpatio: libertas autem omnium rectè ſentientiũ opinione pretio ęſtimari poteſt. Poſtremò vt antea dictum, quod in temporalibus facit vſurariũ, in ſpiritualibus reddit ſimoniacum, At in temporalibus, ſi quis ratione mutui obliget aliquem ad aliquid, quod non tenebatur ante facere, etiam interueniente iuſto pretio, committit vſuram. V.G. Si quis mutuo alicui det, vt ad ſuũ molendinum veniat, ibiq; molat pro ſolito pretio, vſuram committit, vt communis opinio eſt, teſte Sylueſt. in verb. Vſura. 1. q. 7. quam amplectuntur S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 7. §. 8. Conrad. de contract. q. 36. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. art. 3. Sotus lib. 6. de iuſt. & iure. q. 1. art. 2. Caiet. in ſumma. verb. Vſura exterior. Laurẽt. à Rodulph. in c. Conſuluit. de Vſur. 2. part. q. 38. Panormit. Cardin.

Ancharan.

Ancharan.& Ioan.ab Anan.in cap.fin.eod.tit. Couar.lib.3.var. reſolut. cap. 2.num.5. Nauar. in manual. Confeſ. cap. 17. num. 220. & alibi communiter alij. Ergo etiam in noſtro caſu ſimonia eſt, quod ob beneficium conferendum talis ſe obliget pro tanto tempore ſeruiendi, etiam ſalario interuenienti: Quandoquidem iſta obligatio pretio æſtimari poteſt, & eſt oneroſa obligatio.

Aliud dubium occurrit. Quid ſi duo ſacerdotes in eadem collegiata Eccleſia conuerſantes, ex aliqua cauſa conſentiunt, vt vnus pro altero miſſam ſummam, & alter pro ſocio primam dicat. Aut, vt Petrus pro Paulo prima ſeptimana menſis Euangelium cantet, & Paulus ſecunda Epiſtolam legat; & ſic de ſimilibus eadem eſt ratio. Reſpondent poſt Gulielmum S. Antonin.2.part.tit.1.c.5. §.5. Piſanell. in verb.Simonia 1.Sylueſt.in verb.Simonia.q. 16. prope finem. Victor. de ſimonia 1. part. n. 17. Petr.de Arag. in 2.2. S.Thom.q.100.a.1. & alij alibi, quod non ſit ſimonia, quando nihil temporale tanquam merces interuenit. Vnus in hoc caſu ex cauſa alteri adminiculatur, & opus charitatis adimplet. Et hæc eſt communis ſententia contra Richard. in 4. d. 2. q.3.

QVÆSTIO V.

An & quomodo ſimonia committatu circa permutationem beneficiorum?

PRima Concluſio. *Qui pecunia, aut preti procurat permutationem beneficij pro ſe, au alio, ſimoniam committit.* In hac concluſ. non e dubium. argum. ſumpto à definitione. Nomi ne enim emptionis, & venditionis intelligitu omnis contractus non gratuitus.

Secunda Concluſio. *Priuatæ perſonæ ſi ſua be neficia inuicem permutent ſine auctoritate, & con ſenſu ſuperiorum, ad quos de iure, vel conſuetudin ſpectat conferre, inſtituere, aut approbare, permuta tio eſt nulla, & ſimoniaca.* Hæc eſt etiam com munis Theologorum, & Iuriſtarum. S. Th 2.2. q. 100. art. 1. ad 5. & Commentatorum ibi Adrian. quodlib. 9. art. 3. ad 5. Angel. Sylueſt. aliorum in ſummis. verb. Permutatio. Proba tur ex c. Quæſitum. & c. Vniuerſorum. de re rum permut. & Clem. vnic. eod. tit. & DD. i eiſdem locis. Concluſio extenditur tam ad be neficia eiuſdem Eccleſiæ, quam diuerſarum contra Innocent. in d. c. Quæſitum, qui ſen ſit in præbendis eiuſdem Eccleſiæ, & eiuſde qualitatis permutationem poſſe fieri propr auctoritate, abſque conſenſu ſuperioris. Se hanc Innocentij opinionem Hoſtienſ. Pano

Anto

Anton. Ioan. Imolen. in d. c. Quæſitum. Angel. in verb. Permutatio. §. 4. (qui tamen putat, ſed malè, quod Innocentij opinio poſt factum poſſit teneri) Syluest. in eod. verb. q. 1. & alij communiter reijciunt. Cum omnia in beneficiorum permutationibus generaliter reprobentur abſque ſuperiorum approbatione, & auctoritate facta. ex d. c. Quæſitum. & DD. ibid. Petro de Vbaldis. in tract. de permut. benefic. & Federic. in tract. de eadem, qui habentur in 3. volum. Oceani iuris. His accedit, quod ius generale eſt, nec diſtinguit inter beneficia eiuſdem, aut diuerſarum Eccleſiarum. Vbi autem ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ac etiam praxis nunc recipit, vt in omnibus beneficijs etiam eiuſdem Eccleſiæ ſuperiorum conſenſus adhibeatur.

Tertia Concluſio. *Partes ſine ſimoniæ crimine poſſunt inuicem tractare de permutatione proponenda ſuperiori, antequam proponant, licet nihil concludere valeant; niſi quatenus ſuperiori placuerit.* Hæc eſt contra Hoſt. qui ſentit etiam tractatum eſſe illicitum. Sed concluſionē communiter tenent DD. reiecta Hoſtienſ. ſingulari opinione. Gloſſ. in Clem. vnic. de rerum permut. Panor. Anto. & quidā alij in d. c. Quęſitum. Angel. in verb. Permutatio. §. 4. Adrian. loc. cit. Sylu. in eod. verb. q. 5. Decius in conſil. 141. incip. Ad plura dubia. Rebuff. in praxi benef. 3. part. in c. de permut. n. 52. & alij alibi.

Concluſio ſatis probatur. Iura damnant

tantum permutationem, quæ eſt, quando v-
nus in alterius ius ſuccedit: aut inter parte
abſolutè concluditur: Tractatus autem non
includit deliberatum conſenſum. Periculoſa
etiam eſt contraria ſententia, vt poſt Panorm
alij etiam fatentur, quia pauci ſine præuio tra-
ctatu permutant, nec deueniretur ad permu-
tationem, niſi partes antea conuenirent, &
tractarent, nunquam adirent ſuperiorem pro
beneplacito, & niſi prius tractarent, eſſent be-
ſtiæ, vt Angel. ait: homo enim cum ſit anima
rationale, non agit ſine ratione, & ideò volen-
tes permutare inprimis conueniunt, cauſa
permutationis conferunt, ſtatum rei conſide-
rant, & modum proponendi ſuperiori diſcu-
tiunt. Imo addit Rebuff. quamuis partes fece-
rint inſtrumentum obligatorium de permu-
tando ſua beneficia cum beneplacito Sedi
Apoſtolicæ, vel Legati habentis ad hoc pote
ſtatem, nequaquam ſimoniam committeren
reſeruãdo tamen voluntatẽ ſuperioris. A qu
doctrina non eſt etiam alienus Syluester, dum
dicit, quod concludere poſſunt ſub expreſſ
cõditione, & reſeruatione, ſi ſuperiori placue-
rit. Quia talis concluſio nõ eſt concluſio, cum
ſuſpendatur vſque ad ſuperioris conſenſum
Nec mirum cum ipſa permutatio robur ſuum
ſumat à confirmatione ſuperioris, & non à fa-
cto partis. Imolen. in Clem. 1. colum. 6. de re-
rum permut. & poſt alios Ioſeph. Maſcard. de
probat. vol. 3. concluſ. 1170. Decius in conſil

210. Alia

210. Alia tamen ratio foret, ſi nulla conſideratione beneplaciti ſuperioris partes inter ſe talia machinarentur.

Quarta Concluſio. *Quando aliquis in permutatione beneficij minoris emolumenti in reditibus cum pinguiori in recompenſationem redituum dat aliquid temporale, aut pecunia æſtimabile, vt permutatio adæquetur, ſimoniam incurrit.* Hæc eſt contra Angel. in verb. Permutatio. §. 6. allegantem pro ſe Panormit. in c. ad quæſtiones. de rerum permut. Adrian. loco cit. defendit Panormit. contra Angelum, cum quo tamen ſentiunt Caiet. 2. 2. q. 100. art. 4. & Aurea Armill. etiam in verb. Beneficium. num. 75. qui ſentiunt pecuniam poſſe accedere in permutatione, quãdo alterum beneficium pinguiores habet reditus ad coæquandam inæqualitatem. Concluſionem tenent vbi ſupra Adrian. Nauar. in manual. confeſ. cap. 23. num. 100. verſic. Tertio, quod permutatio. Victoria de ſimonia 1. part. num. 17. prope finem. Couar. lib. 1. variar. reſolut. cap. 5. num. 9. & alij alibi. Ratio pro concluſione. Si temporale non poteſt permutari cum Eccleſiaſtico beneficio, quod ſpirituale cenſetur, aut ſpirituali annexum, ex definitione ſimoniæ, nec etiam poterit temporale dari pro reditibus alterius beneficij, qui temporales ſunt, quandoquidem tales reditus ex titulo beneficij, qui ſpiritualis eſt percipiuntur: alioquin facilè perſuaderi poſſet, licitè etiam pecuniam dari pro beneficio

Eccleſiaſtico ſine ſimonia, hoc expreſsè addito, pecuniam non pro ſacro titulo, ſed pro temporalibus conferri, quod falſum eſt. Nec principaliter, nec acceſſoriè, vt rectè Couar. addit, in permutādis beneficijs quicquā temporale intercedere poteſt. Hæc concluſio intelligenda, niſi per conceſſionē Pontificis, aut alterius habentis poteſtatem ab eodem penſio alicui conſtituatur pro adæquatione fructuum maioris beneficij. Hoc enim licitè fieri poteſt, vt ſupra de penſionibus traditum eſt & communiter DD. admittunt. Circa prædictam concluſ. animaduertendum, fraudis præſumptionem induci, quando magna inæqualitas eſt inter beneficia, quę permutantur, maximè, quando aliæ coniecturæ accedunt, vt ſi quis beneficium pingue cum tenui permutet. Panor. Felin. Cardin. & alij in c. Veriſimile. de præſumpt. per text. ibid. Bald. in l. Spadonem §. fin. ff. de excuſ. tutor. Decius in d. conſ. 210 Collectan. in c. Cum olim. de rer. permut. Pe Anchara. in conſ. 388. incip. In caſu præmiſſo Ioan. Selua in tract. de benefic. 3. par. q. 18. Re buff. ſuper concordat. in tit. de collat. §. Volumus, ſuper verb. Vacantia. verſ. Tertia coniectura eſt. Maſcard. in d. concluſ. qui ibidem à num. 7. latè proſequitur de alijs coniecturis quæ concurrunt cum inæqualitate, aut concurrere debent ad præſumptionem fraudulentæ permutationis. Ratio huius rei videtur ſignificari in c. Super hoc. de renunciat. Nul

nam

namq́; ratio hoc veriſimile reddit, vt quis beneficium multis fortè expenſis acquiſitum, quo ſuſtentari debet facilè ſine magna cauſa ſua ſponte reſignet. His addo maximam ſæpè eſſe ſuſpicionẽ ſimoniæ latentis, quando permutatio fit cũ beneficio, vel Capellania ficta, aut titulo ſine re, aut canonicatu nullius momenti: Quia iactare ſuum quis in dubio non præſumitur. l. cum de indebito. ff. de probat. & in tali caſu vt plurimũ ſimoniacè ſolet procurari talis colorata permutatio, vt pallium permutationis præiudicet ſtatutis de expectantia, aut alijs, quantum ad ordinem. Et ſanè cum huiuſmodi permutationes non ſubſiſtant, vtpote fictę, nec fulciantur vlla cauſa canonica, iuſtaq́; quæ ad permutationẽ in conſcientia requiritur, ſecundum omnium rectè ſentientium iudicium, omnino reprobandæ ſunt, nec admittendæ à ſuperioribus, quamuis meminerim alias nõ rarò tales auctorizatas, & conſenſu ſuperiorũ confirmatas, vt permutatio fieret canonicatus, cuius fructus ſufficerent ad hominis Eccleſiaſtici decentẽ ſuſtentationem, cum vno altari in angulo Eccleſiæ, cuius reditus nulli eſſent, aut non excederent valorem 2. aureorum. Qualis permutatio, quam canonica ſit, & quomodo hominem ſecurum apud Deum reddat, atq; ex qua cauſa procedat, vbi tanta inæqualitas, aut nudus titulus ex altera parte eſt, parũ doctus facilè diiudicat: & tamen aliquando inueniuntur prę-

lati tam cœci & indocti in Eccleſia, qui ſuum conſenſum, & auctoritatem audeant interponere, cum tamen fraudis, & ſimoniæ præſumptio ſit, vt expreſsè Panorm. & Felin. in d. cap. Veriſimile. & text. abundè ibid. probat. Selua in d. q. 18. & alij alibi atteſtantur, ita vt purgatio Canonica in tali caſu veniet indicenda: inde ſi aliæ coniecturæ accedant, ſententia proferri poſſit.

QVÆSTIO VI.

An & quomodo ſimonia committatur in renunciatione, & reſignatione beneficiorum?

PRima Concluſio. *Reſignatio beneficij Eccleſiaſtici fieri debet cum auctoritate Epiſcopi, aut eius ſuperioris, ad quem ſpectat prouiſio.* c. Admonent. & cap. Quod in dubijs. de renunciat. Beneficium autem, ad cuius titulum aliquis ordinatus eſt, non licet reſignare, niſi facta mentione, quod ad eius titulum promotus ſit: Neque ea reſignatio admittenda eſt, niſi conſtito, quod aliundè commodè viuere poſſit, & aliter facta reſignatio nulla eſt. Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de reformat.

Secunda Concluſio. *Renuncians beneficium non perdit ius quod in beneficio habet, donec renunciatio per ſuperiorem admiſſa, & acceptata fuerit.* Innocent. Cardin. Anton. & Henric. in d. cap.

Quod

Quod in dubijs. Felin. in cap. In noſtra. col. 34. de reſcript. Ioan. Andr. in Reg. Ratum. de reg. iuris in 6. & poſt alios plures Couar. lib. 1. var. reſol. cap. 5. num. 6. Et hæc eſt communis opinio. Vnde reijcitur Gloſſ. in d. c. Quod in dubijs, & alibi, dum vult per renunciationem beneficij factam ſine licentia ſuperioris, beneficium omninò vacare, quoad renunciantem.

Tertia Concluſio. *Optimus tutiſſimuſq́ modus reſignandi beneficia Eccleſiaſtica eſt, ea liberè pureq́ ad manus ſuperioris reſignare, vt ea conferat pro ſua voluntate, & beneplacito cui voluerit.* Hæc probatur ex eis, quæ Gloſſ. Panorm. Felin. & alij dicunt in cap. Ex parte 1. de officio iudic. deleg. Nec eſt, qui eam negare poſſit.

Quarta Concluſio. *Omnis renunciatio beneficij pretio aliquo temporali procurata, eſt ſimoniaca.* Hæc eſt communis omnium concluſio, & ſatis probatur ex definitione ſimoniæ.

Quinta Concluſio. *Omnis reſignatio beneficij facta cum pacto, aut conditione, ſimoniaca habetur.* Hæc eſt etiam communis. Confirmatur ex c. Quam pio. 1. q. 2. & c. fin. de pact. Gloſſ. cum textu in c. Dudum. verb. liberè. de præbend. lib. 6. In ſpiritualibus omnis pactio, conuentioq́; reprobatur. Faciunt etiam pro concluſione ea, quæ Gloſſ. atq; DD. tradunt in d. cap. Ex parte.

Sexta Concluſio. *Renuncians beneficia ea intentione, vt conferantur Titio, aut ei, cui renuncians*

cians vult, non committit vllam ſimoniam mentalem, ſi pactum aliud non accedat iure antiquo. Hanc docent S. Antonin. 2. part. tit. 1. c. 5. §. 11. Gloſſ. in c. Ordinationes. Syluest. in verb. Renunciatio. q. 6. Aurea Armil. in eod. verb. n. 3. Nauar. in manual. confeſſ. c. 23. num. 107. verſ. Secundo quod renunciatio. & lib. 5. conſil. in tit. de ſimonia. conſil. 36. num. 1. & ibid. conſil. 38. num. 2. Dominic. Sotus. lib. 9. de iuſtit. & iure. quæſt. 7. art. 2. Couarr. loc. cit. num. 5. & alij alibi, quidquid aliqui Canoniſtæ in contrarium dicant. Probatur Concluſio inprimis argum. à definitione ſimoniæ, quæ non conuenit conferenti ea intentione. Aliud argumentum Nauarr. in Manuali facit. Mandatum datum ad renunciandum beneficium in manibus ordinarij liberè, & ad petendum ab eo poſt renunciationem liberam, vt prouideat illi, vel illi, non eſt ſimoniacum, ſed valet, & renunciatio virtute illius facta, & collatio ad petitionem mandatarij conſecuta, ſunt validæ, vt Rota declarauit, teſte Caſſad. in deciſ. 2. de ſimonia. Et negari non poteſt ex illo mandato colligi intentionem renunciantis fuiſſe, vt conferretur nominato per eum. Sic Nauarr. Dixi (iure antiquo) quia nunc iure nouo propter bullam Pij IV. & Pij V. de ſimonia confidentiali, cuius ſupra meminimus, dubium eſt, an non ſit reprobata vt ſimoniaca, talis intentio. Quidam opinantur Pium IV. & Pium V. etiam damnare licitam confiden-

confidentiam, qualis ea antiquo iure fuit, de qua in concluſione agimus. Sic Ioſephus Maſcard. volum. 3. de probat. concluſ. 1306. num. 35. & quidam incertus auctor, cuius tractatum in ſcriptis Maſcard. habuit de confidentijs, & quidam alij in curia exiſtimant in bulla damnari etiam alias licitas confidentias. Nauar. in dicto conſil. & in manuali cap. 23. maximè 1 0 9. latè oſtendit contrarium, tantum damnari confidentias illicitas, quæ ante bullas illas erant damnatæ à iure. Quicquid ſit de hac re, puto Nauarri ſententiam eſſe æquiſſimam. Non enim ſolet Eccleſia pœnas imponere pro peccatis mente conceptis in foro exteriori: quanto minus præſumendum, quod actum alias nulla lege prohibitum, cumque mentalem tam grauibus velit ſubijcere pœnis, quales in confidentijs bullarum prædictorum Pontificum continentur, atque contraria ſententia duriſſima eſt, quæ multos homines laqueis implicaret. Memini etiam Nauarri ſententiam olim Romæ in ſcholis publicè traditam, cum tamen etiam alij oppoſitum vellent, non tamen tunc adhuc viuens in curia Nauar. ſuam mutauit ſententiam, ſed eidem firmiter adhæſit. Motiua eius loco cit. in Manuali ſunt poſita, vbi etiam contrarijs reſpondet.

Septima Concluſio. *Renuncians beneficium ea*

adiecta

adiecta conditione, & modo expreſſe, vt Titio, vel alteri conferatur ſimoniam iure poſitiuo prohibitam committit. Hanc tenent Gloſ.Panor.& alij in d.c. Ex parte. S. Antonin. loc. cit. Sylueſt. & Aurea Armilla vbi ſupra. Ioann.Bapt. Caccialup.in tract.de penſionib.quęſt.19.num.11. Auffrer. ad deciſionem Capellæ Tholoſ. 438. Turrecrem. in cap. Apoſtolica. num. 98. q. 1. Nauar. in manual. confeſſ. cap. 23. num. 107. verſ.Ad decimum dico.& lib.5.conſil.in tit.de ſimonia. conſil. 22. num. 5. & hæc communis videtur opinio. Contra quam tamen tenent Dominicus à Soto. & Couar. loc. cit. & Gregor.de Valent.in 2.2. S.Thomæ. diſput.6. q.16.punct.3. quæſt.4. Ratio. Quia omnis pactio conuentioque in ſpiritualibus eſt prohibita per iura allegata in concl.5. niſi natura,& iure inſit: & ſic hæc ſimonia non eſt contra ius diuinum & naturale, ſed tantum poſitiuum. Quare in manibus Pontificis ſi fiant renunciationes hoc modo conceptæ, vt beneficium Titio conferatur, etiamſi addatur, quod alio modo non reſignetur, admittuntur ſecundum ſtylum curiæ, auctore Caſſad. deciſ. vlt.de renunciat. & 2. de Simonia. Quia cum Pontifex ſit ſupra ius poſitiuum, in hoc caſu purgat ſimoniam: Quæ ratio non militat in alio inferiore prælato. Quod verò alij auctores autumant talem renunciationem ſic conceptam, non eſſe contra ius, negatur: Eſt enim contra omnia iura, de quibus ſupra, quæ reprobant

probant pacta, conuentiones & conditiones in ſpiritualibus, quando iure non inſunt.

Octaua Concluſio. *Renuncians beneficium in manibus prælati cum pacto, & conditione, vt renunciatarius ſibi reſtituat expenſas, quas fecit in acquiſitione beneficij, ſimoniam committit, & quidem vterque tam renuncians, quam renunciatarius: & ſi intercedat ſolutio, ac receptio, ſit realis ex vtraque parte.* Antequam concluſio probetur pro maiori intelligentia formandus eſt caſus. Eſt aliquis, qui ante quatuor, vel quinque annos adhuc iuuenis inconſtans de vitæ ſtatu canonicatum obtinuit apud Epiſcopum, tandem intendit renunciare ſtatui Eccleſiaſtico ſimul cum beneficio, & quia expenſas fecit in curia Epiſcopi, & tandem alias in ſolutione ſtatutorum, quas non libenter perdit, circumit, ac quæritat aliquem in cuius fauorem renunciet cum pacto, conuentioneque refuſionis expenſarum. Nunc probatur concluſio, quam poſui contra praxin multorum, qui aliquando, vt experientia cognoui ſub colore expenſarum, multum pecuniæ acquiſierunt. Primo per regulam ſæpius poſitam. In acquiſitione ſpiritualium omnis pactio, conuentioque, quæ iure non ineſt, ceſſare debet. Secundo. In caſu huius concluſionis datur pecunia in ordine ad acquirendum ſpirituale, ſiue ſpirituali annexum. Ergo aperta eſt ſimonia. Renunciatarius non acquireret canonicatum, niſi ſubiret onus ſolutionis expenſarum, nec alter

renun-

renunciaret, niſi ſolutionem reciperet. Tertio. Simonia eſt ſi quis renunciet liti ſuper beneficio, aut alio ſpirituali, aliquo dato temporali etiam nomine expenſarum. per text. in cap. Cum pridem. de pactis. Gloſſ. Panormit. Anton. Cardin. & alios ibidem. Antonin. & Syluest. vbi ſupra. Angel. in verb. Renunciatio. §.9. Ergo à fortiori eſt ſimonia, ſi quis reſignet beneficium cum onere ſolutionis expenſarum.

Nona Concluſio. *Nulla renunciatio beneficij ſimoniacè facta valet, etiam in præiudicium reſignantis, nec reſignatio prodeſt reſignatario.* cap. Super hoc. iuncta Gloſſ. ſuper verb. Pecuniæ, de renunciat. Innocentius in cap. Vniuerſorum. de rerum permut. Panormit. ibidem. & in cap. Cum olim. eod. tit. Archidiac. in cap. Ordinationes. 1. q. 1. Ioann. Andreæ in cap. Dudum. de præbend. in 6. Deciſ. Capellæ Tholoſ. 438. & ibidem latius Auffrer. in addit. Domini de Rota in deciſ. 236. in antiq. de renunciat. Nicolaus Milius in repertorio. in verb. Renunciatio. quæſt. 4. Martin. Nauar. lib. 5. conſ. in tit. de ſimonia. conſ. 6. num. 4. & conſ. 22. num. 7. & alibi. Et hæc eſt communis ſententia teſte Nauarro.

Decima Concluſio. *Licet per ſimoniacam reſignationem nullum ius quæratur ei, cui reſignatio facta eſt, tamen qui per ſimoniam reſignauit, non poteſt illud repetere.* Gloſſ. & DD. in cap. Conſtitutus. de tranſact. Innocent. in d. cap. Cum vniuerſo-

vniuerſorum. Andr. Tyraquel. de contractu municipali.§.26. Gloſſ.2. num.10. Cardin. in cap.Super hoc. de renunciat. oppoſit. 5. Quia licet renunciatio non valeat, obtinet tamen vim pacti taciti, ne amplius hoc repetat, cui renuntiauit.cap.periculoſum.7.quæſt.1. vt etiam Tyraq.probat. His accedit, quod ſi ſimoniacus poſſit repetere beneficium ſic dimiſſum, faueretur ei in hoc, quod nequaquam dicendum; fraus enim & dolus nemini debent patrocinari. Vt hæc concluſio melius, & penitius concordetur cum antecedenti, animaduertendum, quod licet ſimoniaca renunciatio, non præiudicet reſignanti, quantum ad amiſſionem beneficij, & tituli, cum beneficium non vacet per talem reſignationem, præiudicat tamen illi in hoc, quod poſſit priuari, nec etiam repetere coram iudice, cum quantum in ſe eſt tranſtulerit in alium ius, quod habuit: & ideò meritò priuandus ſit ratione ſimoniæ in beneficio commiſſæ, vt ſatis Gloſſ. in pragmaticæ ſanctionis. in tit. de elect. §. Quod ſi aliter, & de alia perſona. ſuper verb.Ipſo iure. Gloſſ. in d. cap.Super hoc.in verb.Pecuniæ. Dominicus à S. Geminiano. conſil. 125. incip. Dubia ſiue concluſiones, & alij alibi.arg.cap.Quod in dubijs. de renunciat. & annotatur à Gloſſ.& DD.ibid.

CAPVT

CAPVT XIII.

Notorius ſimoniacus in beneficio ab illo deponitur; idem in infamato, qui ſe purgare non poteſt.

Inſinuatum eſt, quod in Ecclesijs tui Epiſcopatus plurimi clerici per ſimoniam dicuntur habere ingreſſum, & infamia inde reſpergi. Vnde mandamus, quatenus ſi qui fuerint, quos in prædictis Ecclesijs publicum, & notorium eſt, ſimoniacè intraſſe, eos amoueas ab Ecclesijs taliter acquiſitis. Illis autem quorum crimen non eſt publicum, & notorium, ſi publica laborant infamia, cum quinta, vel ſexta manu ſui ordinis purgationem indicas: in qua ſi defecerint, beneficijs huiuſmodi Eccleſiarum perpetuò priues eoſdem.

CAſus literalis ſecundum Gloſſ. & Panorm. eſt talis. In Eccleſijs Ciſternienſis Epiſcopatus quamplures clerici per ſimoniam dicuntur habere ingreſſum: de qua ſunt infamia notati. Vnde mandat Papa Diocœſano Epiſcopo, quatenus ſi publicum, & notorium fuerit aliquos in Eccleſijs illis per ſimoniam intraſſe, eos inde remoueat: illis autem, quorum crimen publicum, & notorium non eſt: ſi tamen laborant infamia publica, indicat cum quinta, vel ſexta manu ſui ordinis purgationem, in qua ſi defecerint, beneficijs illis perpetuò priuet eoſdem.

Ex hoc

Ex hoc cap.inprimis, quod qui notoriè, publiceq́; ſimoniacus in beneficio eſt, eo priuandus eſt. Deinde ſi quis infamia laboret publica de ſimonia commiſſa in beneficio, indicenda eſt ei canonica purgatio, in qua ſi defecerit, beneficio perpetuò priuatur. Forma, ſiue tenor purgationis deſcribitur infra, de purgatione canonica. cap. Quotiens. ibi Epiſcopus iurabit primum ſuper ſancta Dei Euangelia, quod pro Eccleſia ſancti Petri preſbytero P. danda, nec ipſe per ſe, nec per ſubmiſſam perſonam, nec aliquis pro eo ſe ſciente pretium recepit. Deinde purgatores ſuper ſancta Dei Euangelia iurabunt, quod ipſi credunt eum verum iuraſſe. De hoc cap. nihil ſingulare dicendum reſtat.

CAPVT XIV.

Simoniacum eſt precio, vel fauore cælare peccatorem, vel reconciliare non pœnitentem, vel dignè pœnitentem à reconciliatione remouere.

Idem.

NEmo preſbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imò ſpirituale detrimentum: à quocunque publicè peccante accipiat, vt Epiſcopo, vel miniſtris eius, peccatum illius cælet: nec

T pro re-

pro reſpectu cuiuſque perſonæ conſanguin
tatis, aut familiaritatis alienis communica
peccatis, hoc Epiſcopo innoteſcere detrecte
Nec quenquam pœnitentem, vel minus di
nè pœnitentem, gratia, vel fauore ad recon
liationem adducat, & teſtimonium recon
liationis ferat eidem, vel quocunque liu
re dignè pœnitentem à reconciliatione r
moueat: quia ſimoniacum eſt vtrumque.

Caſus literalis. Alexander Pontifex ſtatu
vt nullus preſbyter aliquod emolumentu
recipiat à quocunque publicè peccante,
Epiſcopo vel eius miniſtris cælet peccatum
lius: nec pro reſpectu cuiuſque perſonæ, co
ſanguinitatis, aut familiaritatis dimitta
quin peccatum innoteſcat. Secundò dici
quod nullum dignè pœnitentẽ propter gr
tiam, vel fauorem ad reconciliationem add
cat, & teſtimonium reconciliationis ferat
dem, vel propter aliquem liuorem, ſiue od
um remoueat à reconciliatione, quia vtru
que ſimoniacum eſt. Gloſſ. & Panorm.

Qæritur pro intelligentia huius cap.

Vtrum dare, vel recipere aliquid tempor
le pro omiſſione actus ſpiritualis,
ſit ſimonia?

EXempli gratia recipere, aut dare p
cuniam, ne abſoluatur aliquis ab e

con

communicatione maiori, vt ſic non ſit capax ſuffragij ferendi in electione ad dignitatem præfinito tempore. Simoniam eſſe, videtur probare textus in hoc capite. Deinde, ſicut abſoluere pertinet ad officium ſpirituale: Ita etiam non abſoluere. Ergo vtrumque eſt ſpirituale. Gloſſa in hoc capite. Panormitanus, Antonius, Felinus, & alij. Angelus in verb. Simonia 3. §. 42. Syluest. eodem verb. quæſtione 9. Paludan. in 4. diſ. viceſima quinta. quæſtione quinta. Supplementum Gabr. eadem diſ. quæſtione ſecunda. & alij quidam, quorum opinio apud antiquiores videtur communior, cenſent ſimoniam committi. In contrarium non committi verè ſed impropriè ſimoniam, ſecundum quandam apparentiam aut ſimilitudinem exiſtimant Innocentius, Tancred. & quidam alij. vt Hoſtienſ. & Ioann. Andre. hic meminerunt. Summa Piſanella in verb. Simonia 1. Summa confeſſor. titulo eodem. quæſtione triceſima octaua. Adrianus quodlib. 9. Victoria in relectione ſecunda. de ſimonia. Petrus de Aragon. in ſecunda ſecundæ Sancti Thomæ. quæſtione centeſima. articulo primo. Gregorius de Valentia ibidem diſputatione ſexta. quæſtione decima ſexta. puncto 2. quæſt. 4. & alij quidam recentiores, & ſic tenendum putamus. Omittere enim ſpiritualem actum, non eſt aliud

T 2 quam

quam ens rationis,nec eſt quid ſpirituale. Er
go pro tali omiſſione dare , vel accipere ali
quid temporale , non eſt ſimonia. argum
ſumpto à definitione ſimoniæ. Præterea ſi da
re pecuniam pro omiſſione actus ſpiritualis
eſſet ſimonia , ſequeretur quod quacunqu
ratione id fieret, eſſet ſimonia, quod tame
eſt falſum : Nam ſi quis alicui pecuniam of
ferret, vt indignum,& Eccleſiæ pernicioſum
non eligeret ad Epiſcopatum , nec ſimoniam
committeret,nec peccaret. Peccat autem pec
cato auaritiæ, qui pretio corruptus non faci
actum etiam ſpiritualem, quem exercere de
bebat. Ad text huius cap. reſpondetur cum a
lijs, quod loquitur impropriè & apparente
de ſimonia, quia præſefert ſpeciem quandam
ſimoniæ, & animum ad eandem propenſum
oſtendit, cum ſic ob temporale commodum
ceſſans ab operatione debita, pluris videatu
facere temporale, quam actum ſpiritualem,
quo ceſſat. Vnde etiam dici poteſt, quod tali
ita pecunia motus ad omittendum actum
quem facere tenebatur lege poſitiua pœna ſi
moniæ veniat puniendus, licet in rei veritat
non ſit ſimoniacus. Ad aliud argumentum
in oppoſitum , omiſſio actus non eſt
quid ſpirituale,ſed omiſſio actus
ſpiritualis.

CAPVT

CAPVT XV.

Eccleſiæ emi vel redimi non poteſt.

Idem Vigor Epiſcopo, & Priori de Acra.

QVerelam monachorum de Acra recepimus, quod cum ipſi quoddam manerium cum pertinentijs ſuis, & Eccleſiam de Genen. à monachis de Cardonio ſub annuo cenſu quindecim librarum fuiſſent adepti, & inde chartam ab ipſis monachis habuiſſent: prior eorum capitulo inconſulto præſcriptum manerium, & chartam monachis de Cardonio accepta pecunia reſignauit. Vnde quia præfati monachi de Acra ſe conqueruntur iniuſtè grauatos: mandamus quatenus partibus conuocatis, præſcriptam cauſam concordia, vel iudicio terminetis. Scituri quod ſicut emi non potuit, ita nec redimi Eccleſia memorata. Si verò monachi de Cardonio legitimè citati, ad veſtram præſentiam accedere, & iudicio veſtro ſtare contempſerint: vos ipſos monachos de Acra in poſſeſſionem eorum, de quibus controuerſia vertitur, inducatis: nec permittatis eos exinde abſque ordine iudiciario moleſtari.

In primis notandum circa dictionem (manerium) quod eſt nomē vulgare Gallicorum. vt ait Hoſtienſ. in hoc cap. & idem ſignificat

quod manſus.de quo text.& Gloſſ.in cap.1.d
cenſib. quæ dicit eſſe vulgare Italicorum. Di
citur autem manſus, quantitas terræ ſuffici
ens duobus bobus in anno ad laborandum
Gloſſ. in d. cap. 1. Alberic. in dictionario i
verb. Manſo vno. Bartol.in l.ſi ita eſſet. prop
finem. ff. de auro & argento legato. Sed me
lius ad propoſitum videtur Gloſſ. in cap. Se
cundum. ſuper verb. Manſo. 23. quæſt. 8
Manſus appellatur, vnde percipitur frumen
tum & vinum ad Euchariſtiam conficien
dam, cap. Sancitum eſt, de cenſibus. Vel man
ſus dicitur dos ipſius Eccleſiæ, quæ talis eſt
debet, vt Eccleſia poſſit inde ſuſtentari, d
conſecrat. d. 1. cap. Nemo. Quandoquidem
manſus ſecundum vulgare dicitur, vnde vnu
ruſticus cum ſua familia poſſit ſuſtentari, &
Sic Gloſſ. Videtur ergo quod manerium i
hoc cap. ſignificet fundum Eccleſiæ in do
tem datum, aut alio iure ad Eccleſiam ſpe
ctantem.

Secundò not. Super verb. (Capitulo incon
ſulto) quod ſolus prælatus non poteſt remit
tere, aut reſignare ius Eccleſiæ quæſitum. E
quando prælatus ſine conſilio & conſenſ
conuentus aliquid remittit, aut alienat, mo
nachi poſſunt agere ad reuocationem, v
communiter DD. hîc obſeruant, facit ad ho
etiam cap. Si quis preſbyterorum. cum an
notatis ibidem. de rebus Eccleſiæ non alie
nandis.

Terti

Tertiò notand. hoc loco cum DD. quod inter religioſos etiam locum habeat miſſio in poſſeſſionem, cauſa rei ſeruandæ propter contumaciam.

Quartò, Circa Gloſſ. in verb. Non potuit. Panormitan. Felin. Ioannes ab Anania. & alij quidem mouent, quomodo ius patronatus poſſit vendi, aut transferri, ideò hoc loco ſit

---

QVÆSTIO

An & quomodo ſimonia circa ius patronatus committatur?

PRo inſtructione ante omnia præcognoſcendum, quod ius patronatus ſecundum Ioann. Andream. Panormit. & alios in Rubric. de iure patron. ac Summiſtas in verb. Ius patronatus, definitur quod ſit ius honorificum, oneroſum & vtile, competens alicui in Eccleſia, pro eo, quod ex diœceſani conſenſu, per eum conſtructa, fundata, vel dotata eſt, vel per eum à quo habuit. Quæ definitio latiſſimè explicatur ſecundum ſingulas particulas à Rocho de Curte in tractat. de iure patronatus. ſtatim à principio per aliquot paginas, & breuius à Paulo de Citadinis in tractu de eadem re, qui tractat. habentur in initio Quinti Voluminis Oceani iuris. Vel breuius clariuſque cum Hoſtienſi

definiri poteſt, quod patronatus ſit poteſta
præſentandi inſtituendum ad beneficium Ec
cleſiaſticum.

Iuſpatronatus aliud eſt Eccleſiaſticum, ali
ud ſeculare. Iuſpatronatus Eccleſiaſticum di
citur quod competit Eccleſiæ, vel clerico ra
tione Eccleſiæ. Vnde ſi clerico ratione patri
monij competeret, non eſſet Eccleſiaſticum
ſed ſeculare. Iuſpatronatus laicum ſiue ſecula
re quod ſeculari, aut etiam clerico conueni
ratione patrimonij, vtpote quia aut Eccleſi
ſiam fundauit aut dotauit, aut à parentibu
tale ius cum patrimonio deuenit, aut bona e
mit, quibus annexum iuſpatronatus fuit, v
exempli gratia, aliquis caſtrum emit, in quo
eſt capella, quæ eſt iuriſpatronatus eius, qu
caſtrum poſſidet eiuſque hæres eſt.

Deinde iuſpatronatus etſi directè non ſi
ſpirituale dicendum, cum etiam mero laico
competere poſſit, eſt tamen ſpirituale ſecun-
dum quid, ſeu ſpirituali annexum, quia ordi-
natur ad præſentandum clericos ad benefici
Eccleſiaſtica. Nunc pro reſolutione ſit

Prima Concluſio. Circa ius patronatus, eiuſ-
que vſum poteſt ſimonia committi. S. Thom
2.2. q.100. art. 4. & Commentatores eius ibi-
dem, & hæc eſt communis Theologorum
Summiſtarum, & Iuriſtarum. & canones ſun
clari. cap. Quia clerici. & cap. De iure. de iure
patronatus.

Secunda Concluſio. Iuſpatronatus per ſe pre-
tio ven-

tio vendere, aut emere, eſt ſimonia. S. Thom. in dicto art. 4. ad 3. Commentatores ibidem. Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 7. art. 1. DD. canonum in d. c. Quia clerici. & c. De iure. in quo expreſſum eſt his verbis ab Alexandro III. De iure verò patronatus (& infra) Mandamus quatenus ſi R. illud comparauit, cum inconueniens ſit vendi ius patronatus, quod eſt ſpirituali annexum, contractum illum irritum eſſe decernas.

Tertia Concluſio. Qui caſtrum, aut villam vendit, aut emit maiori pretio propter ius patronatus annexum, ſimoniam committit. Ratio clara eſt. Quia in hoc caſu pretio æſtimatur ſpirituali annexum, quod ſpectat ad manifeſtam ſimoniam.

Quarta Concluſio. Qui villam, aut caſtrum vendit aut emit, cui annexum eſt ius patronatus, illud ipſum ius tranſit cum villa, aut caſtro, niſi ius patronatus ſit ſpecificè exceptum. Summiſtæ in d. verb. Iuſpatronatus. DD. in cap. Ex literis. eod. tit. & in hoc noſtro c. Comprobatur ex d. cap. Ex literis, vbi quaſi tota concluſio ſatis roboratur. & ibid. cap. Cum ſeculum. Circa hanc concluſionem dubium moueri ſolet à DD. An ſi quis vendat vniuerſitatem vt villam, vel caſtrum, in quo ſit ius patronatus poſſit etiam exprimere ius patronatus, ſine ſimonia, & conſequenter, an tum trãsferatur ius patronatus. Verbi gratia, Vendo tibi tale caſtrũ cum omni iuriſdictio-

ne,commodo, ac iure patronatus. Hoc dubi um mouent Panormit. Felin.Ioan.ab Anani in hoc cap. Querelam. & alij. Ioan. Andr. i cap.1. de iure patron. in 6. Rochus de iure pa tron. & Paulus de Citadinis de eadem re. no na part. quæſt.3. tangunt etiam Ludouic. Ro man.in conſilio 368. incip. Præſens conſulta tio.Summiſtæ in verb.Ius patronatus. Ad du bij declarationem obſeruandum, quod DD aliqui faciunt differentiam in modo loquen di, vt; An dicatur, vendo tibi caſtrum, cu iuriſdictione,& iure patronatus. Vel hoc mo do. Vendo tibi caſtrum, iuriſdictionem, & ius parronatus. Panormitan.in hoc cap. num 5.& 6. ſentit ſi poſteriori modo verba conci piantur, non tenere venditionem reſpect iuris patronatus, ratione ſimoniæ,quæ inter uenit. Quia ius patronatus ita principalite videtur venditum, ſicut caſtrum. Cum copu la, &, vt Gloſſ.notat, faciat copulatum veni principaliter,& non acceſſoriè. Quando au tem priori modo concipitur locutio per præ poſitionem (cum) tunc tranſit, nec commit titur ſimonia, quia dictio (cum) denotat ac ceſſionem quandam, ſed per acceſſionem be ne tranſit ius patronatus etiam in vendition Atque in hunc ſenſum Panormitan.interpre tur etiam Ioan. Andr. in d. cap. vnico. de iu patron.in 6. Hanc Panormit.ſententiam am plectuntur Cardin. in hoc capite. Rochus & Paul. de Citadinis. Angel. Sylueſt. Aurea A

mil

miſſa & alij in verb. Simonia, & alij alibi. Pro hac doctrina facit etiam Bartolus in Auctent. ingreſſi, in colum. penult. dum docet, quod ſi quis dedicat ſe religioni cum bonis ſuis, expreſſio bonorum nihil operatur: quia quemadmodum bona tacitè veniebant acceſſoriè, pariter veniunt hoc caſu: cum natura dictionis (cum) ſit coniungere acceſſoriè. l. 1. & 2. ff. de peculio legat. §. Si quis ancillas. Si verò quis ſe & ſua dedicaret, tunc expreſſio fit per alium modum quam tacitè ineſſet ſecundum Gloſſ. ibidem. nam tacitè bona veniebant per quandam conſequentiam, ſed hoc caſu exprimuntur per ſe & principaliter: quia natura dictionis (&) eſt copulare per ſe & principaliter, ex dicta l. Ioannes ab Anania in hoc capite. Baldus in l. finali. numero 48. de edicto Diui Adriani tollendo docent, quod expreſſio iuris patronatus facta per copulam, non nocet, vt dicendo, vendo caſtrum & ius patronatus, quia vna dictio, vt ait Ioannes ab Anania poteſt poni pro alia, prout eſt neceſſe, iuxta Gloſſam notabilem in l. eas cauſas. ff. de conditionib. & demonſtrat. vnde (ait) quando ius patronatus exprimitur per dictionem (&) exponitur pro (cum) vt ſic res potius valeat, quam pereat, & ſic conſequenter ſentit quod quomodocunq; fiat expreſſio iuris patronatus ſiue per dictionem (&) ſiue per dictionem (cum) ſemper

valeat,

valeat & tranſeat ius patronatus cum vniuer
ſitate vendita. Pro hac parte aliud eſt argu
mentum. In ſpiritualibus illa, quæ de iure in
ſunt ſine vitio exprimuntur, cap. Significaſti
de elect. & per alia iura ibid. à Gloſſ. allegata
Cum ergo ius patronatus de iure tranſea
cum vniuerſitate, etiamſi non exprimatur, ni
hil etiam refert ſi exprimatur, & dicit Ioanne
Andreas in d. cap. vnico. quod audiuerit pr
hac parte ſententiam latam in curia, de ven
ditione quam fecerat capitulum Herbipo
ſe Decano & capitulo S. Stephani Moguntiæ
de villa Ingelheim, quam habebat in dioceſ
Moguntina, quam vendendo expreſſit curi
am, agros, vineas, decimas, cenſus, ius patro
natus cum omnibus iuribus, &c. Prima ſen
tentia Panormit. videtur & eſt communio
receptior apud Doctores; ſecunda tamẽ etian
in caſu occurrenti non videretur damnanda
quando alias conſideratis verbis contractus
& materia ſubiecta, non appareret de depra
uata mente contrahentium, vtpote quod ali
quid pretij plus acceptũ, pollicitumúe prop
ter adiunctum atque annexum ius patrona
tus: aut quod principaliter villam, aut ca
ſtrum aliquis emiſſet ad conſequendum iu
patronatus, tunc enim ſimonia committere
tur ex mente Panorm. in c. Quia clerici. de iu
re patron. Angel. Sylueſt. Aur. Armill. alijq́u
ſequuntur in eod. verb.

Quinta Concluſio. Ius patronatus per ſe ſum
ptum

ptum, non poteſt in feudum dari ſine ſimonia. Ludouicus Roman. in conſil. 368. incip. Præſens conſultatio. Angelus, Sylueſt. alijq́ue in verb. Ius patronatus. Innocent. & alij in c. Cum ſeculum. de iure pat. Ratio redditur, quia natura feudi exigit, vt quis fidelitatem & homagium præſtet domino feudi, pro re autem ſpirituali, aut ſpirituali annexa, fidelitatem homagiumq́ue præſtare ſimoniaca labes eſt. infra hoc tit. cap. Ex diligenti. Cum vniuerſitate tamen poteſt dari in feudum, arg. d. cap. Cum ſeculum. & communis ibi Doctorum opinio. Si tamen in infeudatione villæ, aut alterius temporalis rei, cuius patronatus adhæret, intuitu iuris patronatus maius obſequium, temporaleq́ue grauamen imponeretur, ſimonia interueniet.

Sexta Concluſio. In diuiſione bonorum hæredes ſine ſimonia, non poſſunt alicui cohæredi aſſignare ſiue adiudicare pro ſua parte, aut pro recompenſatione inæqualitatis eius, qui minus percipit ius patronatus. Panorm. in cap. Quærimoniam. de iure patronat. Angel. Syluester. Armilla & alij in eod. verb. & alij alibi. Ratio clara eſt. Quia in caſu concluſionis temporale daretur pro conſequendo ſpirituali annexo, & hoc ipſum æſtimaretur pro temporali: quod ad manifeſtā ſimoniam ſpectat.

Septima Concluſio. Patronus etiam laicus nihil temporale poteſt exigere, ratione iuris pręſentandi ad beneficium iuris patronatus ab

eo quem

eo quem præſentat. Concluſio eſt communis, & ratio euidens. Quia, vt ſæpius dictum, ſine vitio ſimoniæ nihil temporalis commodi poteſt percipi, exigique pro conſequendo ſpirituali, aut ei annexo.

CAPVT XVI.

Pro chriſmate ab Eccleſijs pecunia exigi non debet, etiamſi hoc habeat conſuetudo.

Idem.

EA quæ de auaritia (& infra) audiuimus, quod nummos pro chriſmate ab Eccleſijs extorquetis, quos nunc cathedraticum, aliquando paſchalem præſtationem, interdum Epiſcopalem conſuetudinem appellatis. Quia verò ſimoniacum eſſe hoc cognoſcitur: mandamus, quatenus prætextu alicuius conſuetudinis, vel prælationis præſcriptos denarios nullatenus exigatis. Pro certo ſcituri, quod ſi hoc præſumpſeritis, periculum ordinis & dignitatis, poteritis non immerito formidare.

Nota primò, circa Gloſſ. & DD. pro chriſmate pecuniam ab Eccleſijs exigere ſimoniacum eſt. Quod verum eſſe Ioan. Andreas. Panormit. Anthonius. & alij communiter hic volunt, pro chriſmate etiam vt eſt liquor.

Nam

Nam hic non exigebatur pecunia à chriſmate vncto, aut confirmato, ſed ab inferioribus Eccleſijs. facit ad idem c. placuit 2. 1. quæſt. 1. Quod limitant Felin. & Cardinal. rectè. quando liquor eſt per benedictionem conſecrationemque Epiſcopi effectus chriſma: Non enim chriſma dicitur, niſi quando oleum cum balſamo permiſtum, conſecratum eſt, & hoc ſatis indicat nominatio eorum, qui paſchalem præſtationem vocabant. In cœna enim Domini chriſma conficitur, & circa paſcha inferioribus Eccleſijs diſtribuitur. Secundo, mutatio & variatio nominis, non facit licitum id quod ſua natura malum eſt, & bona denominatio non excuſat malum. Vltimo. Conſuetudo non facit bonum, nec excuſat in eo, quod de ſua natura ſimoniacum & peccatum eſt.

CAPVT XVII.

Pro habendis ſpiritualibus homagium facere, ſimoniacum eſt.

Idem.

EX diligenti tua relatione innotuit, quod H. Cant. Archidiaconus te induxit, vt ei homagium faceres, & fidelitatem præſtares: ita quod ipſe tibi beneficium Eccleſiaſticum annis ſingulis exhiberet. Vnde, quoniam

quoniam huiuſmodi obligatio illicita contra tuæ ſalutis, nec non & ſuæ profectum exiſtit, abſolui à nobis inſtantius poſtulaſti: adijciens quod ab eo deinceps nihil omninò de beneficio acciperes conſtituto. Quocirca nos tuam petitionem honeſtam & fauorabilem attendentes: te à præfati Archidiaconi homagio & fidelitate (præſertim cum hæc taliter præſtita, diuinis & humanis legibus contraire noſcantur) abſoluimus, ita quod ab Epiſcopo, vel ſacerdote diſcreto, pœnitentiã inde condignã recipias. Verum ne aliqua propter hoc nota, vel infamia poſſis reſpergi, abſolutionis noſtræ literas tibi duximus indulgendas: quibus contra latrantium morſus tutus & præmunitus exiſtas, & quas in teſtimonium indulgentiæ noſtræ valeas demonſtrare.

Caſus literalis ſecundum Gloſſ. & Abbat. hic eſt. Archidiaconus Cantuarienſis induxit quendam clericum, vt faceret ei fidelitatem ita quod ipſe illi clerico beneficium Eccleſiaſticum annis ſingulis exhiberet, clericus iſte videns quod huiuſmodi obligatio illicita erat, petijt inſtanter à domino Papa abſolui: dicens quod de prædicto beneficio nihil amplius acciperet. Papa videns petitionẽ huiuſmodi honeſtam, fauorabilemque ipſum ab illa fidelitate abſoluit: cum illud contrarium fuerit diuinis legibus & humanis, ita quod à ſacerdote diſcreto pœnitentiam accipiat; & ne nota infamiæ poſſit reſpergi, concedit ſibi literas in teſti-

in teſtimonium ſuæ indulgentiæ infamantes, & latrantium morſus.

Primò notandum, cum hic definiatur, quod pro ſpiritualibus habendis ſit ſimoniacum, homagium facere, quid ſit homagium. De qua re Speculator in tit. de feud. §.2. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Panormit. Cardin. & alij communiter in hoc cap. Anton. Corſetus de poteſtate regia. 4. part. Iacobus Aluarotus in prohœmio feudor. q.7. Gloſſ. in Clem. Paſtoralis. ibi. homoque ligius & vaſallus. de re iudic. Chaſſan. ſuper conſuetud. Burgundiæ. Rubr.3. §.3. in textu ibidem. ſuper verb. & hommage. Angel. Sylueſt. & alij in ſummis. in verb. Homagium. Nomen autem Homagij ſumpſit originem ex conſuetudine generali, & potius ab ea vſurpatum eſt, quam ex iure ſcripto introductum fuerit, vt poſt Speculat. vbi ſupra. & Cardin. in d. Clem. obſeruat Chaſſan. in d. §.3. in verb. & hommage. num.9. Definitur autem homagium communiter à DD. in hoc cap. & Summiſtis, quod ſit, quando quis facit promiſſionem alteri genibus flexis, & manibus intra manus illius poſitis, ita quod efficiatur homo illius, nullius alterius, fidelitate ſalua, & talis appellatur homo ligius in d. Clement. Paſtoralis, & ſic homagium ſtrictè, præſtaturq; ſolum Imperatori, aut Regi ſupremo, alijque non recognoſcenti ſuperiorem, vt etiam inſinuantur in d. Clem. §. Denique. ibi. Rex ipſe noſter, & Eccleſiæ Romanæ ratione regni,

 prædi

prædicti notoriè ſubditus, homoque ligius &
vaſallus. Alio modo latius poteſt accipi homa-
giũ, prout etiam inferiori Domino præſtatur
& dicitur etiam non ligium. In genere autem
ſic definiri poteſt homagium, quod ſit fideli-
tas hominis pro temporalibus facta domino.
Hinc contingit, quod homagium ſæpè etiam
accipiatur pro fidelitate. & e. contra, & pro
vaſſallagio, vt poſt Hoſtienſ. Corſetus, Chaſ-
ſan. & alij quidã annotarunt. Quandoquidem
autem homagiũ comprehendit in ſe pactio-
nes, obſequium temporale, & ſubiectionem
quaſi ſeruilem, ideò ſine ſimoniæ crimine pro
acquiſitione ſpiritualiũ nullo modo fieri po-
teſt, ac debet, vt in hoc c. text. probat. & com-
munis DD. ſententia ibidem & locis cit. con-
fitetur. Eſt etiam inſignis text. ad hoc, in cap.
fin. de reg. iuris. vbi Pontifex ſic inquit: Indig-
num eſt: & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine
alienum, vt pro ſpiritualibus facere quis ho-
magium compellatur. Gloſſ. ibid. ſuper verb.
(Romanæ Eccleſiæ) Ergo & à conſuetudine
aliarum Eccleſiarum debet eſſe alienum: quia
quod Romana Eccleſia probat, vel reprobat,
& aliæ Eccleſiæ hoc idem facere debent: cum
ab ipſa ſuam habeant inſtitutionem & aucto-
ritatem. 11. d. cap. Conſequens. & c. Nolite. Pro
temporalibus autem conceſſis, aut conceden-
dis, vt feudalibus bonis, Prælatus Eccleſiæ po-
teſt etiam Imperatori, Regi, aut etiam Prin-
pi alteri ſeculari, homagium ſiue fidelita-
iurame

iuramentum præſtare, vt communiter DD. ſentiunt, & antiquiſſima conſuetudine in Eccleſia receptum eſt, & iure comprobatum, c. Nimis. de iureiurando. & c. 1. §. Verum. de ſtatu regular. & DD. in eiſdem locis. Si quis obijciat, quod etiam pro ſpiritualibus licitum ſit facere homagium, text. in cap. Grauem. de exceſſib. prælat. dum dicitur: Contra fidem homagij præſtiti ac debitam reuerentiam, &c. Reſpondetur, quod homagium in dicto cap. Grauem, accipitur pro fidelitate, vt Gloſſ. & DD. ibidem annotant: & ſic vnum ponitur pro alio, quod ſæpè fieri antea traditum eſt. Diuerſa autem ſunt, propriè loquendo homagium, & fidelitas iuxta Panorm. Anton. & alios in hoc cap. Nam homagium eſt, quod ſupra primo loco definitum. Fidelitas verò eſt, cum quis alteri promittit fidelitatem ſeruare, & reuerentiam debitam, aliaque, de quibus 22. quæſt. 5. & in c. Ego N. de iureiurand. & latè Anton. à Butrrio in hoc cap. Solent autem prælati Eccleſiarum in initio, quando prouiſionem, aut confirmationem ſuæ dignitatis conſequuntur, iuramentum fidelitatis pręſtare ſuo ſuperiori, à quo inſtituuntur, prouidentur, aut confirmantur. Forma iuramenti, ſecundum quam Epiſcopi Pontifici iurant, habetur in d. cap. Ego N. Si quis dicat. Quæ ratio ſit, quod ſit ſimonia, homagium propriè dictũ pro ſpiritualibus præſtare, & non ſubire iuramentum fidelitatis? Ex dictis diſcrimen

ſumi poteſt, ſed breuibus Panormit. in hoc cap. & poſt eum Angel. Syluеſt. & alij in verb. Homagium. & alibi. Homagium enim præſtatur, vt ſupra inſinuatum extitit, in commodum eius, cui præſtatur, cum efficiatur eius ſeruus, obligatus ad certa ſeruitia: Vnde pro ſpiritualibus non poteſt fieri: quia munus ob obſequia pro ſpiritualibus dare, aut accipere, (vt ſupra traditũ) ſimonia eſt. Fidelitatis autem iuramentum bene poteſt exigi, ſine ſimonia, quia tantum obligat ad eſſe fidelem, & potius dignitati quam perſonæ præſtatur. Et hoc veritatem habet, quando iuramentum præſtatur in tali dignitate, cui talis fidelitas debetur: alias eſſet ſimonia ſecundum vnam lecturam in hoc cap. Eadem ratio eſſet ſi prælatus ſuperior antiquo iuramento, & conſueto, nouas pactiones aut grauamina adderet, quibus iurantem grauaret, aut obligare vellet ad quædam capitula, ad quæ nec iure, nec conſuetudine recepta, approbataque teneretur, tunc ſine dubio ſimoniacũ foret: Quandoquidem vt frequentiſſimè in hac materia repetitum eſt, in ſpiritualibus omnis pactio, conditio, & conuentio ceſſare debet. cap. fin. de pact. & alibi, niſi conditio aliqua natura & iure inſit.

Secundò notandum. Obligatio quæ oritur ex pactionibus ſimoniacis, turpis & illicita eſt, nec de iure, nec de facto ligat. cap. fin. de pactis.

Tertiò,

Tertiò, Simoniacus non poteſt ritè ſalubriterque pœnitere, niſi in primis renunciet ſimoniacè acquiſitum.

Quartò, Simoniam etiam in beneficio infamia comitatur, quæ diſpenſatione pontificia tollitur. Vide Gloſſ. & DD. hic.

CAPVT XVIII.

Ordinatio vel conſecratio non cenſetur ſimoniaca, licet ordinatori aliquid donatum fuerit non ex pacto.

Idem Strigonenſi Archiepiſcopo.

ETſi quæſtiones tuas de feruore religionis ad nos perferri nullatenus ignoremus, non tamen eſt tibi in his vltra, quam oporteat dubitandũ, cum leges humanæ dicãt, quod quidã tenui religione ſacramẽta neceſſaria, & legitima exhibere contẽnunt: tenuem religionem vocantes, quæ in talibus hæſitat, vbi non eſt aliquatenus hæſitandum. In hoc itaque quod P. preſbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus, pro electione tua, vt pallium tibi traderet, ad partes illas acceſſit, & frater tuus eius præſciens neceſſitatem, ei equum vnum te ignorante tranſmiſit, quoniam per mare veniens, nullas, aut paucas ſecum equitaturas adduxit, te nullo modo timere oportet. Cum in accipiẽdis, vel dandis muneribus,

tria ſunt maximè attendenda, perſonæ ſcilicet dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus: qualitas perſonarum, vt à quo & cui, videlicet an à paupere diuiti, vel è conuerſo, ſiue à diuite locupleti datum fuerit: æſtimatio muneris & donationis: tempus ſi magni vel minoris pretij res data exiſtat, & an inſtante neceſſitate, vel alio tempore conferatur. Si ergo prædictorum Cardinalis, & fratris tui perſonam & qualitatem penſamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali equum vnum tranſmitti, quem etiam ioculatori non petenti, vir tantus & tam abundans fortè donaret, verum ſi temporis neceſſitatem perpendimus, non alia intentione conſta factum fuiſſe, quam vt Cardinali ſubueniretur in articulo prænotato. (& infra Quod autem ſcriptum eſt: Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere: de illi donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere, vel peruertere ſolent; quoniam ipſa perſona etiam electi offerat ordinatori vel conſecratori ſuo electuarium, vel de vino, ſiue de alijs huiuſmodi, quæ modici pretij fuerunt, ea quæ voluntatem recipienti inclinare vel mouere non debeant, non tamen Romana Eccleſia interpretari conſueuit, accipientem in his delinquere, vel donantem.

Caſus literalis ſecundum Gloſſatorem & Abba

Abbatem. Quidam electus fuit in Archiepiſcopum Strigonenſ. & confirmatus. Papa per quendam Cardinalem euntem per mare, transmiſit ei pallium: frater illius electi occurrit obuiam Cardinali: & cum Cardinalis paucas equitaturas haberet, obtulit ei equum ſiue palafredum, Epiſcopo electo ignorante, & recipiente poſtmodum pallium ab eodem: poſtea Archiepiſcopus hoc intelligens dubitauit, an eſſet ſibi in aliquo imputandum: conſuluit Papam ſuper hoc, qui reſpondet, quod in his vltra quam oporteat dubitare non debet, cum dicant humanæ leges, quod quidam contemnunt ſacramenta (intellige iuramenta) etiam neceſſaria exhibere, quidam tenui religione dicentes tenuem religionem, quæ dubitat vbi dubitandum non eſt: & ideò frater eius Cardinali equum vnum illo ignorante tranſmiſit, nullo modo ipſum dubitare oportet: Cum paucas equitaturas veniens per mare ſecum haberet: quia in accipiendis muneribus vel dandis, tria ſunt maximè conſideranda, ſcilicet qualitas dantis & accipientis: quantitas muneris, & tempus donationis: qualitas perſonarum, vt à quo, & cui, videlicet an à paupere diuiti, vel è conuerſo; quantitas muneris, magnumne vel paruum ſit donum, tempus an inſtante neceſſitate, vel alio tempore donetur. Si prædicta conſide-

rentur non fuit magnum, ſi frater ille vnum equum Cardinali donauit, quem hiſtrioni, etiam non petenti donaret: & potius hoc fecit neceſſitate inſpecta, quam alia intentione. quod autem dicitur, beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere: de donis illis dictum eſt, quæ ſolent accipientis animum allicere vel peruertere. In alijs quæ accipientis animum non mutarent, Romana Eccleſia interpretari conſueuit, accipientem non delinquere, vel donantem.

Notandum in primis, Conſcientiam ſcrupuloſam non eſſe ſequendam, quando nullo dubio coloratur. Si autem aliqua ratione fulciatur, quæ perſuadere videatur, conſcientiæ ſcrupuloſæ ſtandum, donec declaratione error auferatur.

Secundò, Leges humanæ, de quibus text. l. vlt. C. de fide inſtrum. §. Sin aut. in fine ibi. Cum forſitan quidam ſubtili reuerentia tenti, nec verum ſacramentum præſtare putauerint.

Tertiò, Sacramenti nomine, in vtroq; iure, iuramentũ intelligitur, vt hic conſtat ex textu vtriuſque iuris. Ad vlteriorem huius cap. explicationem ſit

QVÆ-

QVÆSTIO.

An dona ſiue munuſcula inducant ſimoniam?

GLoſſa, quam aliqui DD. hic ſequuntur, conſtituit differentiam inter munus & donum iuxta l. Inter donum. ff. de verbor. ſignific. ita quod donum etiam ſine cauſſa; munus ex cauſa. Vel aliter ſecundum Hoſtienſ. Donum poſſit dici exile, munus verò pretioſum. Sed quicquid ſit de hoc ſæpè conſuetudine loquendi pro eodem accipiuntur, fauet etiam text. in l. Munus propriè. ff. de verbor. ſignific. Gloſſa etiam duobus verſibus, quæ in muneribus dandis, obſeruanda ſunt, declarat.

Muneribus dandis attendas quatuor iſta.
Quis dans: quiſue petens: quæ res: quæ cauſa petendi.

Prima Concluſio. Qui in traditione pallij, conſecratione Epiſcopi, benedictione Abbatis, ſimilibuſque actibus ſpiritualibus, etiam minimum quid temporale ex pacto, promiſſioneque dat, aut exigit, aut accipit, ſimoniam committit. hæc eſt communis, quæ ſatis confirmatur ex cap. Quam pio. 1. q. 2. & cap. Iudices. 1. q. 1. ex D. Hieronymo ſuper cap. 3. Micheæ, vbi clarè docet modicitatem pretij non excuſare ſimoniam. & cap. Ex tuæ. infra hoc tit. vbi vt ſimoniacus condemnatur, qui Ar-

chidiacono ſoluerat ſex ſolidos pro præſentatione ad ordinem ſacerdotij. Concluſio eſt intelligenda, ſiue quis ex pacto & conuentione ante, ſiue poſt huiuſmodi actus ſoluat.

Secunda Concluſio. In foro conſcientiæ, ſiue quis ante, ſiue poſt huiuſmodi actus, ordinatori, aut cõſecratori aliquid donet, aut gratis ex liberalitate, beneuolentiaque offerat, non committitur ſimonia. Gloſſa in d. cap. Quam pio. prope finem. Cardinal. Alexand. Turrecrem. Archidiac. & communis in cap. Sicut Epiſcopum. eadem quæſt. & cauſa. Ratio clara eſt à definitione ſimoniæ, quæ non habet locum in eis quæ gratis ex liberalitate, & beneuolentia, animique gratitudine offeruntur. Multi ad hoc propoſitum ſunt canones 1. quæſt. 2. maximè ibidem in cap. Placuit. ex concilio Bracaren. 11. cap. 5. his verbis: Placuit, vt quoties ab aliquo fidelium ad conſecrandas Eccleſias Epiſcopi inuitantur, non quaſi ex debito munus aliquod à fundatore requirant: ſed ſi ipſe aliquid quidem ex ſuo voto obtulerit, non reſpuatur: Si verò aut paupertas illum, aut neceſſitas retinet, nihil exigatur ab illo. & in princ. illius quæſt. auctoritatibus ſcripturæ comprobatur. Quando autem in his & ſimilibus intentio eſt deprauata, licet quis apud Eccleſiam, quæ non iudicat de occultis, non cenſeatur ſimoniacus, apud Deum tamen, qui ſecundum intentionem hominis iudicat, cap.

Huma-

Humanæ.22.q.5.& 24.q.3. cap.Deus.ſimoniæ reatum incurrit.

Tertia Concluſio. Ad euitandam præſumptionem & ſuſpitionem ſimoniæ, melius rectiuſque offertur id quod gratis,liberaliterq; donatur, poſt completos huiuſmodi actus ſpirituales. Hanc tenent Gloſſ.fin.in d.cap.Quam pio.Cardin.Alexand. Turrecr. & alij in c.Sicut Epiſcopum. 1. q. 2. ideoq; iure exprimitur, vt poſt tales actus accipiatur. in d. c. Quã pio. prope fin. ibi: poſtmodum vos quaſi ſubſidij gratia,aliqua ſuæ Eccleſiæ munera largiri,fratrum ſolatio, Romana permittit Eccleſia. & in d. c. Sicut Epiſcopum. ex D. Gregorio lib. 4. Regeſti. epiſt.44. Is autem, ait, qui ordinatus fuerit,ſi non ex placito, neq; exactus,neq; petitus, poſt acceptas chartas, & pallium aliquid cuilibet ex clero, gratiæ tantummodò cauſa dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione proceſſit,confirmat eandem concluſionem,quod ex eadem auctoritate docent Petr. Anchar.in conſ.271.incip. De titulis criminũ. Felin.infra hoc tit.c. Tua nos. in fin. Ioſephus Maſcard.de probation. concl.164. n.14. vol.1. & alij alibi. iudicem pecuniã recipientem poſt ſententiã,ſi de pacto non probetur,non committere barratariã. His tamẽ fortiſſimè obſtare videtur. c. Eos. 1. q.1. quod ſumptum eſt ex epiſt. Tharaſij Conſtant.Epiſcopi ad Adrianũ

Papam

Papam: vbi prope finem cap. ſic legitur: Nam & viceſimus nonus canon ſanctorum Apoſtolorum, & actus eorundem, & tertius, & quartus liber regnorum, alienum omninò à ſacerdotio pronunciant eum, qui aliquando dederit, vel acceperit pecuniã in aliquo tempore, ſiue ante manus impoſitionem, ſiue in ipſa manus impoſitione, ſiue poſt. Accipere enim eſt, quandocunque accipere. Ad hunc text. reſpondent Cardin. Alexand. Archidiac. Turrecrem. & alij in d.c. Eos. quod ſi ante vel poſt ſponte, vel gratis aliquid datur, aut accipitur, licitum & ſine peccato eſt, modò intentio principaliter non referatur, ad ordinis collationẽ. Vnde in d. verb. condemnatur, vt aliquis neq; ante neq; poſtea aliquid det, aut accipiat pro ordinatione, ſiue vt pretiũ ordinationis, aut quocunq; modo ex conuentione & pacto, vt etiam obſeruat Martin. Nauar. in comment. de datis & promiſſis, pro iuſtit. & grat. notab. 17. num. 28. verſ. Ad tertium reſpondet.

Quarta Concluſio. In dubio ad præſumendum, an donum ſit gratuito collatum, vel munus gratis oblatum, nec ne, tria ſunt maximè conſideranda: qualitas dantis & recipientis, quantitas muneris: & tempus donationis. Hæc concluſio ſatis conſtat ex text. & communi DD. interpretatione. Dictum cum text. in concluſione (maximè) Quia non eſt dubium, quin quandoque etiam aliæ circumſtantiæ poſ-

tiæ poſſint occurrere, quæ faciant ad præſumptionem talem. Nunc concluſio declaranda & oſtendenda. Atque inprimis attentio dirigenda ad qualitatem dantis, accipientiſque. Si enim à paupere, diuiti; aut à ſubdito, ſuperiori, aliquid detur vtrumque ſuſpectum: Si autem à diuite, pauperi, pium: Si à diuite, locupleti, curiale humanumque eſt, niſi ex cauſæ corruptione, mentis intentione, aut exterioribus ſignis aliud iudiciũ ſumatur, per annotata in hoc cap. ab Hoſtienſ. & Ioan. Andrea. Facit ad hunc effectum, quod quamuis donatio regulariter non præſumatur. arg. Pauli Iuriſconſulti in l. Campanus. ff. de operis libertor. & alijs multis congeſtis à Ioſepho Maſcard. volum. 1. de probat. concl. 554. à num. 1. tamen fallit, ſi dans eſt diues, aut nobilis, recipienſque pauper. Gloſſ. in l. vxori. §. fin. in gloſſ. fin. ff. de leg. 3. Bartol. in l. Cum quid. num. 11. ff. de reb. credit. ſi certum pet. Purpurat. ibid. num. 121. Bald. in l. 1. num. 6. C. ad Velleian. & in l. Si paterno. num. 3. Cod. de negot. geſt. Felin. in cap. Si cautio. num. 5. de fide inſtrument. & poſt alios latè Andreas Tiraquel. in tract. de nobilit. art. vlt. num. 47. & 50. Hanc ſibi quodammodo legem nobilitas imponit, vt debere ſe, quod ſponte tribuit, exiſtimet: vt ait Gregor. in cap. 1. de donat. Ex parte munus recipientis conſideranda etiam eius conſuetudo, an ſoleat etiam in huiuſmodi functionibus munera appetere, aut ſe difficilem exhibere,

bere, niſi muneribus excitetur. Atque hoc docet hic Panormitanus, dum vult, quod ſi modicum à clerico ordinatori detur, qui non conſueuit ſine pretio ordinare, iudicetur ſimoniacum. In moralibus autem ſolitis, conſuetis, & ſæpè contingentibus fortis præſumptio ſumitur. Quando enim à ſuperioribus munera petuntur, inferior præſertim, non videtur gratis, ſed exactus dare. Hinc Gloſſ. in hoc cap. Super verb. Non petenti: cum Seneca ait: Non gratis accipitur, quod petenti donatur, & D. Gregorius in d. cap. Sicut Epiſcopum. Eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione proceſſit. Quaſi ſimul ſignificare velit, ſimoniæ labem ſubeſſe, quando oblatio cauſam ſumpſit à petitione ambientis: & ſic Gloſſ. ſuper verb. Ex ambientis. addit: vbi enim cauſa non eſt, vitium non imputatur. Quare ante in eodem capite hoc expreſſius indicatur: quando dicit. Is autem qui ordinatus fuerit, ſi non ex pacto, neque exactus ac petitus offerre aliquod poſt acceptas chartas & pallium voluerit, &c. hoc accipi nullo modo prohibemus, &c. Ergo ſumpto argumento à contrario ſi aliquid exigatur, aut petatur tanquam ſimoniacum prohibetur, & ſic petitio excludit gratitudinis & liberalitatis præſumptionem. Gloſſ. hic ſuper verb. muneribus, exiſtimat, quod etiam conſideranda ſit quantitas ex perſona dantis & recipien-

recipientis. Vnde refert illud ex Seneca: Quidam Cynicus petijt à rege Antigono talentum: reſpondit rex quod plus eſt, quam cynicus petere debeat: & ſic fuit repulſus. petijt denarium cynicus: reſpondit rex quod minus eſſet quam deceret regem dare: & ita turpiſſimam cauillationem inuenit qua neutrum daret: cum poſſet talentum dare tanquam rex: & denarium tanquam cynico. Secundo loco conſideranda eſt quantitas muneris, an paruum vel magnum ſit donum. res enim modica non inducit ſimoniæ præſumptionem: quia præſumitur gratis dari ex beneuolentia & liberalitate. Sic quamuis in dubio nemo præſumatur ſuum iactare, in modicis tamen præſumitur donatio, maximè ſi tradens ſiue offerens ſit diues. Gloſſ. in l. Si filij tui. ſuper verb. probet. C. de donationibus inter virum & vxorem. Caſtrenſ. in l. Cum quid. numero 11. ff. Si certum petatur. Baldus in l. Si paterno. numero 3. verſic. Item & quantitas. Raphael Fulgoſius ibidem. Cod. de negot. geſt. Andreas Barbat. in conſilio 46. incipien. Illud adducam. numero 9. volumine 4. allegans Bald. in dicta l. Si paterno. Anton. Corſetus in tractatu de minimis. prrima part. numero 6. verſiculo Nono de minimis. & alij alibi. Quod autem modicum ſiue paruum ad hunc effectum dicatur, arbitrio boni viri definiendum: nam aliquid dicitur paruum reſpectu

vnius,

vnius, quod intuitu alterius magnum iudicandum foret.arg.huius cap. Bartol.in l.Sed ſi ſuſceperit.§.1. ff.de iud. Specul.in tit.de iudice deleg. verſ.Quid ſi cauſa.& in tit.de iuramento calumn. §.2. Alberic.in repert. verb.Modiçum.in addit. Equus in hoc cap. reſpectu fratris Archiepiſcopi donantis, res modica cenſetur, quæ ſi ab homine mediocris fortunæ homini eiuſdem ſtatus oblata extitiſſet, res magna iudicaretur. In hoc cap. res magna ſatis iudicatur, quæ tanta eſt, vt probabiliter præſumatur mouere vel mouiſſe à recto,ac in aliam partem iudicem, & in hoc caſu non eſt eadem ratio de modicis quæ de magnis, quia ceſſat ratio finalis iuxta annotata à Decio in cap. De appellationibus. de appellat. & Nauarr. in comment. de datis & promiſſ. pro iuſtit.& grat.notab.10. Tertiò videndum in collatione muneris, quo tempore detur, an in neceſſitate, vel alio tempore. Si enim munus detur, quando donans in nullo indiget donatario,tunc minimè eſt ſuſpectum,vt beneHoſtienſis hîc annotat.

Quinta Concluſio. In foro conſcientiæ, vt munerum collatio ſit ſine peccato ſimoniæ requiritur, vt donantis & donatarij intentio ſit recta. Hanc docent Hoſtienſ. Ioan. Andr. & alij quidam in hoc cap. nec eſt dubium in ea. Quia ſi donans det pro exhibendo,vel exhibito ſpirituali, recipiens autem bona fide accipiat tanquam gratis liberaliterque oblatum,

tum, peccatum committitur ex parte donantis, cuius peruerſa eſt intentio. Si autem donans gratuito animo, ac liberali voluntate offerret, recipiens autem tanquam pretium rei ſpiritualis acceptaret corrupta intentione, ſimoniæ labes ex parte donatarij tantum contraheretur. Hæc tamen eſt tantum ſimonia mētalis, (quia præſupponimus id fieri ſine vllo pacto tacito, vel expreſſo) quæ per pœnitentiam aboletur, nec obligat ad reſtitutionem, vt in cap. fin. infra plenius explicabitur: Sed cum omnes nunc auaritiæ ſtudeant, muneraque diligant ad euitandam ſordidam auaritiam, & ad retinendam ſobriam mediocritatem, mente tenendum, non omnia, & non ſemper, nec ab omnibus accipiēda iuxta mentem Gloſſ. in l. Solent. ff. de officio proconſ. Vetus prouerbium eſt, vt meminit ibidem Vlpian. Nam, inquit, valdè inhumanum eſt, à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & per omnia auariſſimum.

CAPVT XIX.

Abbas & maiores de conuentu, ſi pro receptione monachi receperūt pecuniam ex pacto: ab officio & beneficio ſuſpenduntur, & taliter recepta pecunia reſtituitur, & in aliud monaſterium ita receptus transfertur.

Idem.

VEniens ad nos F. preſbyter propoſui quod Abbas & fratres ſancti R. nolu runt eum in monachum recipere, quouſq triginta ſolidos dare conuenerit: conuentic ne autem facta, ſequenti die eum monaſt cum habitum induerunt: & ijdem monacl triginta ſolidos, Abbas verò decem, & famil duodecim pro paſtu (aſſerentes hoc eſſe c conſuetudine monaſterij) poſtularunt. Quc niam ergo factum huiuſmodi pernicioſu videtur: mandamus quatenus ſi ita eſſe inu neris, Abbatem & monachos ad reſtituenda pecuniam præfato F. tam indignè acceptar compellas, & Abbatem & maiores perſon monaſterij pro tantæ prauitatis exceſſu, a officij executione ſuſpendens, præcipias dict F. vt in alio monaſterio in habitu monaſtic domino ſtudeat deſeruire.

Notandum in primis cum text. & DD. pecu niam datam à monacho pro ingreſſu religic nis, eidem monacho reſtituendam.

Secundò, Simoniacè monaſterium ingre ſus transferendus eſt ad aliud monaſterium, in habitu ſuſcepto Deo inſeruiat.

Tertiò, Obſeruant hic DD. Panor. Anto Felin. & communiter alij, quod ſimonia com miſſa in monachatu nõ vitiat actum, id eſt, clarius loquamur, non reddit ingreſſum & profeſſionẽ nullam. Primò, quia in hoc c. no

manda

mandatur vt fiat monachus, ſed vt in alio monaſterio deſeruiat in habitu. Ergo remanſit monachus. Deinde ſimonia non committitur reſpectu monachatus, ſed propter ingreſſum in hoc monaſterium, cuius Abbas & fratres pecuniã acceperunt ex conuentione. Ergo ingreſſus tantum vitiatur reſpectu illius monaſterij, & non monachatus aſſumptio in genere. Eſt.n. monachatus profeſſio, quædam obligatio Deo facta & quæſita, quæ nõ impeditur per factũ recipientis pecuniã. Nam cum talis intendat ſe obligare Deo, prauum factum alterius, non debet impedire hanc obligationem. & ſic Abbas, & Ioan. ab Anania notant hunc caſum vt notabilem, in quo ſimonia actum nõ vitiat. Mouent quidam DD. hic dubiũ, an ſic ſimoniacè receptus, ſit transferendus in aliud arctius monaſterium. Felin. prope fin. c. reſpondet quod communiter hic DD. teneant contra Goffred. quod non. Quia text. ſimpliciter dicit in alio, & dictio (alius) regulariter importat ſimilitudinem. vt per Gloſſ. magnam in c. Sedes. de reſcript. Nec obſtat: Quoniam. infra eod. ibi: in locum arctioris regulæ, &c. quia illud fuit in pœnam, vt ille text. ſtatim exprimit, ſed hic vt perficeret inchoatam profeſſionem, Dominoq; inſeruiret. Vel dic melius ait Felin. quod ibi lex vltra proceſſit declarando de arctiori. De ſimonia circa ingreſſum religionis latiſſimè actum eſt ſupra in cap. Non ſatis.

X 2 CAPVT.

CAPVT XX.

Si ordinandus præſentatori ſuo aliqui dedit ex pacto, ſimoniacum eſt, non ta men deponitur, ſi eſt occultum.

Idem.

EX tuæ fraternitatis literis, & ex confeſ ſione ſacerdotis præſentium latoris ac cepimus, quod cum ad ſacerdotij ordinem non aliter voluiſſet eum eius Archidiaconu præſentare, ſex ſolidos ſoluit eidem, & ſic or dinem ipſum per eum præſentatus accepit Vnde tibi ſic duximus reſpondendum, vt ſ hoc non eſt publicum, ſed ſecretum; eunden ſacerdotem ſecretò conuenias, monens ſin vlla coactione propenſius, & inducens vt or dinem alicuius religionis aſſumat, & perpetu ab officio abſtineat, quod illicitè acquiſiuit Alioquin non erit tutum (cum ſit ſecretu exceſſus) ipſum inuitum ab eodem officio coërcere, cui tamen ſecretam pœnitentiam ſecundum quod tibi viſum fuerit, iniunger non poſtponas.

Caſus literalis ſecundum Gloſſ. & Abba Quidam cum vellet ad ſacerdotij ordinen aſcendere: acceſſit ad Archidiaconum, vt eum præſentaret ad ordinem ſacerdotij, qui nolui niſi in primis ſex ſolidos ſoluiſſet ſibi, & ſi ordinem per eum præſentatus accepit. Epi

ſcopu

ſcopus diocœſis, cui ſacerdos hoc in ſecreto fuerat confeſſus, quæſiuit à Domino Papa, quid de iſto presbytero eſſet agendum. Reſpondet Papa, ſi ſecretum ſit, eundem ſacerdotem moneat inducatque, vt ordinem alicuius religionis aſſumat, & perpetuo ab officio ſacerdotis abſtineat: alioquin non debet ipſum ab officio ſacerdotis coërcere, cum eius exceſſus ſit ſecretus, pœnitentiam tamen ſecretam pro arbitrio eidem iniungendam iubet.

Notandum primò, ſimoniam in ordine committi non ſolum quando Epiſcopo aliquid datur, ſed etiam quando eius miniſtris, aut præſentatori ad ordines.

Secundò, Quantumcunque modicum datum ex pacto pro conſequendo ſpirituali, ſimoniacum efficit, prout latius antea dictum eſt in cap. Etſi quæſtiones. Nam qui hic tantum ex pacto ſex ſolidos ſoluit præſentatori, ſimoniacus eſt. Alia tamen ratio eſt, quando modicum quid datur gratitudinis & beneuolentiæ cauſa, ſine vllo pacto, & peruerſa intentione, vt in d. c. Etſi quæſtiones.

Tertiò, Simonia quando ſecreta eſt in confeſſione, non eſt deducenda ad cognitionem, & pœnam fori exterioris.

CAPVT XXI.

Breue eſt, nec poteſt breuius ſummari.

Idem.

AD noſtram: & infra. Di. V. mandamus quatenus pro miniſterio Eccleſiaſtic exercendo, ſiue pro vicarijs aſſignandis, ſe pro chriſmate nullatenus pecuniam exigati
Ex hoc cap. generalis regula deſumitur, quo pro miniſterijs Eccleſiaſticis exercendis, au ſacramentis adminiſtrandis, aut etiam ſacra mentalibus benedicendis, & diſtribuendis, ni hil pretij poteſt exigi ſine crimine ſimoniæ.

CAPVT XXII.

Cum ſimoniacè ordinato, qui ſimoniacu non eſt, diſpenſari poteſt.

Lucius III.

DE ſimoniacè ordinatis, certum tib non poſſumus dare reſponſum, ni plenius cognoſcamus qualiter fuerint ordi nati: cum quidam licet ſecundum quandar ſpeciem ſimoniæ, vtpote ipſis ignorantibu ſimoniacè ordinentur: poſſunt (qui ſimo niaci non ſunt) in ſuis ordinibus remanere.
Quoniam varijs modis quis poteſt ſimo niac

niacè ad ordines promoueri, quæſtioni ſic vt hic in genere conceptæ, non poteſt certum reddi reſponſum. Aduertendum autem ex 1. quæſt. 1. cap. Statuimus 1. & 2. ac Magiſtro ſententiarum in 4. diſ. 25. triplici modo, quem poſſe ſimoniacè ordinari. Quidam enim ordinantur ſimoniacè à ſimoniacis, vt quando ſimonia eſt ex vtraque parte ordinatoris & ordinati. Ordinatus dedit aliquid temporale pro ordinis receptione, & ordinans eodem animo & conuentione accepit. Aut ſimoniacè à non ſimoniacis, quando ſimonia committitur tantum à parte ordinati, qui pecuniam dat alicui conſiliario, aut miniſtro Epiſcopi eo ignorante, tunc Epiſcopus non eſt ſimoniacus, licet ipſe ordinatus talis ſit, & alij pecuniam recipientes. Vel aliquis minus idoneus examinatori pro admiſſione ad ordines pecuniam offert in abſentia Epiſcopi, eo penitus nihil ſciente, vtpote quod cura exanimis commiſſa ſit alijs: nec Epiſcopus ex officio teneatur adeſſe examini ordinandorum, prout fieri contingit in multis locis Germaniæ, vbi ſuffraganei, atque Epiſcopi titulares ordinare ſolent, imò & Romæ regulariter Epiſcopus ordinans examini non intereſt. Aut non ſimoniacè à ſimoniacis, quando tantum eſt ſimonia ex parte ordinantis, vt quando aliquis nomine aut vice ordinati pro ordinatione dat

aliquid Epiſcopo, omnino ignorante ordina-
to, & in hoc caſu ordinatus non redditur par-
ticeps criminis ſimoniæ. & de hoc caſu Pon-
tifex reſpondet in præſenti cap. quod ſic ordi-
nati, cum ſimoniaci non ſint, poſſint in ordi-
nibus permanere, tamen diſpenſatione Epi-
ſcopi indigent ad exercitium ordinis ſic rece-
pti. Nunc quoniam DD. Panorm. Anton
Butrio, Ioan. ab Anania & alij quidam agunt
in hoc cap. de diſpenſatione cum ſimonia-
cis. ſit

QVÆSTIO.

Quis diſpenſet cum ſimoniacis in ordine, aut beneficio?

DE hac materia tractant canonum DD
in hoc cap. & quidam in cap. poſt trans-
lationem. de renunciat. & in cap. penult. de e-
lect. Cardin. Alexand. & Turrecrem. 1. q. 5. in
princ. Alberic. in repertorio verb. Simonia.
Angel. in eod. verb. 6. §. 3. & alij alibi.

Prima Concluſio. Pontifex poteſt diſpenſare
in omnibus pœnis inductis iure poſitiuo cum
ſimoniaco, tam in ordine quam in beneficio.
Hanc amplectuntur Cardin. Alexand. & Tur-
recrem. loc. cit. & alij alibi. nec poteſt in ea eſſe
dubium. Cum enim Pontifex ſit ſupra omne
ius canonicum & poſitiuum, in eius poteſta-
te eſt talis iuris diſpoſitio. argum. cap. Propo-
ſuit

ſuit, cum ibidem annotatis à DD. de conceſſ. præbend.

Secunda Concluſio. Licet Pontifex de plenitudine poteſtatis poſſit cum ſimoniacis in ordine diſpenſare, non tamen conſueuit paſſim diſpenſationem talem impendere. Hanc etiam Cardin. Alexand. & Turrecrem. cum alijs in d. quæſt. 5. in princ. ponunt. Panormitan. in hoc cap. Rationem adiungunt DD. hanc cum Vlrico, quia in tali ſimonia fit iniuria ſacramento Ordinis, & ideò merito punitur in quo deliquit. Sed melior ratio reddi poteſt, ſimonia enim in ordine commiſſa omnium eſt grauiſſima, vt clarum eſt ex multis in Rub. maximè notab. 11. allegatis, & ex frequenti prohibitione canonum in hoc tit. ideoque ſi paſſim diſpenſatio concederetur, tribueretur occaſio peccandi: facilitas enim veniæ præbet audaciam delinquentibus, & ſic ſimoniaca labes, quæ hæreſi comparatur, vſu frequentaretur, Eccleſiaſtica benedictio in maledictionem conuerteretur, & diſciplinę à patribus traditæ neruus, cum ſacramentorum contaminatione & ſacrilegio diſſolueretur. Concluſio intelligitur maximè de ſimonia interuenienti tam ex parte ordinatoris quam ordinati. Ea enim peſſima eſt, & minori miſericordia digna.

Tertia Concluſio. Quando ſimonia eſt cum ſcientia commiſſa in ordine, ſolus Pontifex diſpenſat. hanc tradunt Panorm. Anton. Felin. Io-

vnius, quod intuitu alterius magnum iudicandum foret.arg.huius cap. Bartol.in l.Sed ſi ſuſceperit.§.1. ff.de iud. Specul.in tit.de iudice deleg. verſ.Quid ſi cauſa.& in tit.de iuramento calumn. §.2. Alberic.in repert. verb.Modicum.in addit. Equus in hoc cap. reſpectu fratris Archiepiſcopi donantis, res modica cenſetur, quæ ſi ab homine mediocris fortunæ homini eiuſdem ſtatus oblata extitiſſet, res magna iudicaretur. In hoc cap. res magna ſatis iudicatur, quæ tanta eſt, vt probabiliter præſumatur mouere vel mouiſſe à recto, ac in aliam partem iudicem, & in hoc caſu non eſt eadem ratio de modicis quæ de magnis, quia ceſſat ratio finalis iuxta annotata à Decio in cap. De appellationibus. de appellat. & Nauarr. in comment. de datis & promiſſ. pro iuſtit.& grat.notab.10. Tertiò videndum in collatione muneris, quo tempore detur, an in neceſſitate, vel alio tempore. Si enim munus detur, quando donans in nullo indiget donatario, tunc minimè eſt ſuſpectum, vt bene Hoſtienſis hîc annotat.

Quinta Concluſio. In foro conſcientiæ, vt munerum collatio ſit ſine peccato ſimoniæ requiritur, vt donantis & donatarij intentio ſit recta. Hanc docent Hoſtienſ. Ioan. Andr. & alij quidam in hoc cap. nec eſt dubium in ea. Quia ſi donans det pro exhibendo, vel exhibito ſpirituali, recipiens autem bona fide accipiat tanquam gratis liberaliterque oblatum,

tum, peccatum committitur ex parte donantis, cuius peruerſa eſt intentio. Si autem donans gratuito animo, ac liberali voluntate offerret, recipiens autem tanquam pretium rei ſpiritualis acceptaret corrupta intentione, ſimoniæ labes ex parte donatarij tantum contraheretur. Hæc tamen eſt tantum ſimonia mētalis, (quia præſupponimus id fieri ſine vllo pacto tacito, vel expreſſo) quæ per pœnitentiam aboletur, nec obligat ad reſtitutionem, vt in cap. fin. infra plenius explicabitur: Sed cum omnes nunc auaritiæ ſtudeant, muneraque diligant ad euitandam ſordidam auaritiam, & ad retinendam ſobriam mediocritatem, mente tenendum, non omnia, & non ſemper, nec ab omnibus accipiēda iuxta mentem Gloſſ. in l. Solent. ff. de officio proconſ. Vetus prouerbium eſt, vt meminit ibidem Vlpian. Nam, inquit, valdè inhumanum eſt, à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & per omnia auariſſimum.

CAPVT XIX.

Abbas & maiores de conuentu, ſi pro receptione monachi receperūt pecuniam ex pacto: ab officio & beneficio ſuſpenduntur, & taliter recepta pecunia reſtituitur, & in aliud monaſterium ita receptus transfertur.

Idem.

VEniens ad nos F. preſbyter propoſuit, quod Abbas & fratres ſancti R. noluerunt eum in monachum recipere, quouſque triginta ſolidos dare conuenerit: conuentione autem facta, ſequenti die eum monaſticum habitum induerunt: & ijdem monachi triginta ſolidos, Abbas verò decem, & familia duodecim pro paſtu (aſſerentes hoc eſſe de conſuetudine monaſterij) poſtularunt. Quoniam ergo factum huiuſmodi perniciosum videtur: mandamus quatenus ſi ita eſſe inueneris, Abbatem & monachos ad reſtituendam pecuniam præfato F. tam indignè acceptam compellas, & Abbatem & maiores perſonas monaſterij pro tantæ prauitatis exceſſu, ab officij executione ſuſpendens, præcipias dicto F. vt in alio monaſterio in habitu monaſtico domino ſtudeat deſeruire.

Notandum inprimis cum text. & DD. pecuniam datam à monacho pro ingreſſu religionis, eidem monacho reſtituendam.

Secundò, Simoniacè monaſterium ingreſſus transferendus eſt ad aliud monaſterium, vt in habitu ſuſcepto Deo inſeruiat.

Tertiò, Obſeruant hic DD. Panor. Anton. Felin. & communiter alij, quod ſimonia commiſſa in monachatu nõ vitiat actum, id eſt, vt clarius loquamur, non reddit ingreſſum & profeſſionẽ nullam. Primò, quia in hoc c. non manda-

mandatur vt fiat monachus, ſed vt in alio monaſterio deſeruiat in habitu. Ergo remanſit monachus. Deinde ſimonia non committitur reſpectu monachatus, ſed propter ingreſſum in hoc monaſterium, cuius Abbas & fratres pecuniã acceperunt ex conuentione. Ergo ingreſſus tantum vitiatur reſpectu illius monaſterij, & non monachatus aſſumptio in genere. Eſt.n. monachatus profeſſio, quædam obligatio Deo facta & quæſita, quæ nõ impeditur per factũ recipientis pecuniã. Nam cum talis intendat ſe obligare Deo, prauum factum alterius, non debet impedire hanc obligationem. & ſic Abbas, & Ioan. ab Anania notant hunc caſum vt notabilem, in quo ſimonia actum nõ vitiat. Mouent quidam DD. hic dubiũ, an ſic ſimoniacè receptus, ſit transferendus in aliud arctius monaſterium. Felin. prope fin. c. reſpondet quod communiter hic DD. teneant contra Goffred. quod non. Quia text. ſimpliciter dicit in alio, & dictio (alius) regulariter importat ſimilitudinem. vt per Gloſſ. magnam in c. Sedes. de reſcript. Nec obſtat: Quoniam. infra eod. ibi: in locum arctioris regulæ, &c. quia illud fuit in pœnam, vt ille text. ſtatim exprimit, ſed hic vt perficeret inchoatam profeſſionem, Dominoq; inſeruiret. Vel dic melius ait Felin. quod ibi lex vlt a proceſſit declarando de arctiori. De ſimonia circa ingreſſum religionis latiſſimè actum eſt ſupra in cap. Non ſatis.

CAPVT XX.

Si ordinandus præſentatori ſuo aliquid dedit ex pacto, ſimoniacum eſt, non tamen deponitur, ſi eſt occultum.

Idem.

EX tuæ fraternitatis literis, & ex confeſſione ſacerdotis præſentium latoris accepimus, quod cum ad ſacerdotij ordinem, non aliter voluiſſet eum eius Archidiaconus præſentare, ſex ſolidos ſoluit eidem, & ſic ordinem ipſum per eum præſentatus accepit. Vnde tibi ſic duximus reſpondendum, vt ſi hoc non eſt publicum, ſed ſecretum; eundem ſacerdotem ſecretò conuenias, monens ſine vlla coactione propenſius, & inducens vt ordinem alicuius religionis aſſumat, & perpetuo ab officio abſtineat, quod illicitè acquiſiuit. Alioquin non erit tutum (cum ſit ſecretus exceſſus) ipſum inuitum ab eodem officio coërcere, cui tamen ſecretam pœnitentiam, ſecundum quod tibi viſum fuerit, iniungere non poſtponas.

Caſus literalis ſecundum Gloſſ. & Abbat. Quidam cum vellet ad ſacerdotij ordinem aſcendere: acceſſit ad Archidiaconum, vt eum præſentaret ad ordinem ſacerdotij, qui noluit niſi in primis ſex ſolidos ſoluiſſet ſibi, & ſic ordinem per eum præſentatus accepit. Epiſcopus

ſcopus diocœſis, cui ſacerdos hoc in ſecreto fuerat confeſſus, quæſiuit à Domino Papa, quid de iſto preſbytero eſſet agendum. Reſpondet Papa, ſi ſecretum ſit, eundem ſacerdotem moneat inducatque, vt ordinem alicuius religionis aſſumat, & perpetuo ab officio ſacerdotis abſtineat: alioquin non debet ipſum ab officio ſacerdotis coërcere, cum eius exceſſus ſit ſecretus, pœnitentiam tamen ſecretam pro arbitrio eidem iniungendam iubet.

Notandum primò, ſimoniam in ordine committi non ſolum quando Epiſcopo aliquid datur, ſed etiam quando eius miniſtris, aut præſentatori ad ordines.

Secundò, Quantumcunque modicum datum ex pacto pro conſequendo ſpirituali, ſimoniacum efficit, prout latius antea dictum eſt in cap. Etſi quæſtiones. Nam qui hic tantum ex pacto ſex ſolidos ſoluit præſentatori, ſimoniacus eſt. Alia tamen ratio eſt, quando modicum quid datur gratitudinis & beneuolentiæ cauſa, ſine vllo pacto, & peruerſa intentione, vt in d. c. Etſi quæſtiones.

Tertiò, Simonia quando ſecreta eſt in confeſſione, non eſt deducenda ad cognitionem, & pœnam fori exterioris.

CAPVT XXI.

Breue eſt, nec poteſt breuius ſummari.

Idem.

AD noſtram: & infra. Di. V. mandamus, quatenus pro miniſterio Eccleſiaſtico exercendo, ſiue pro vicarijs aſſignandis, ſeu pro chriſmate nullatenus pecuniam exigatis. Ex hoc cap. generalis regula deſumitur, quod pro miniſterijs Eccleſiaſticis exercendis, aut ſacramentis adminiſtrandis, aut etiam ſacramentalibus benedicendis, & diſtribuendis, nihil pretij poteſt exigi ſine crimine ſimoniæ.

CAPVT XXII.

Cum ſimoniacè ordinato, qui ſimoniacus non eſt, diſpenſari poteſt.

Lucius III.

DE ſimoniacè ordinatis, certum tibi non poſſumus dare reſponſum, niſi plenius cognoſcamus qualiter fuerint ordinati: cum quidam licet ſecundum quandam ſpeciem ſimoniæ, vtpote ipſis ignorantibus ſimoniacè ordinentur: poſſunt (qui ſimoniaci non ſunt) in ſuis ordinibus remanere.

Quoniam varijs modis quis poteſt ſimoniacè

niacè ad ordines promoueri, quæſtioni ſic vt hic in genere conceptæ, non poteſt certum reddi reſponſum. Aduertendum autem ex 1. quæſt. 1. cap. Statuimus 1. & 2. ac Magiſtro ſententiarum in 4. diſ. 25. triplici modo, quem poſſe ſimoniacè ordinari. Quidam enim ordinantur ſimoniacè à ſimoniacis, vt quando ſimonia eſt ex vtraque parte ordinatoris & ordinati. Ordinatus dedit aliquid temporale pro ordinis receptione, & ordinans eodem animo & conuentione accepit. Aut ſimoniacè à non ſimoniacis, quando ſimonia committitur tantum à parte ordinati, qui pecuniam dat alicui conſiliario, aut miniſtro Epiſcopi eo ignorante, tunc Epiſcopus non eſt ſimoniacus, licet ipſe ordinatus talis ſit, & alij pecuniam recipientes. Vel aliquis minus idoneus examinatori pro admiſſione ad ordines pecuniam offert in abſentia Epiſcopi, eo penitus nihil ſciente, vtpote quod cura exanimis commiſſa ſit alijs: nec Epiſcopus ex officio teneatur adeſſe examini ordinandorum, prout fieri contingit in multis locis Germaniæ, vbi ſuffraganei, atque Epiſcopi titulares ordinare ſolent, imò & Romæ regulariter Epiſcopus ordinans examini non intereſt. Aut non ſimoniacè à ſimoniacis, quando tantum eſt ſimonia ex parte ordinantis, vt quando aliquis nomine aut vice ordinati pro ordinatione dat

ſuit, cum ibidem annotatis à DD. de conceſſ. præbend.

Secunda Concluſio. Licet Pontifex de plenitudine poteſtatis poſſit cum ſimoniacis in ordine diſpenſare, non tamen conſueuit paſſim diſpenſationem talem impendere. Hanc etiam Cardin. Alexand.& Turrecrem.cum alijs in d.quæſt.5.in princ.ponunt. Panormitan.in hoc cap. Rationem adiungunt DD. hanc cum Vlrico, quia in tali ſimonia fit iniuria ſacramento Ordinis, & ideò merito punitur in quo deliquit. Sed melior ratio reddi poteſt, ſimonia enim in ordine commiſſa omnium eſt grauiſſima, vt clarum eſt ex multis in Rub. maximè notab. 11. allegatis, & ex frequenti prohibitione canonum in hoc tit. ideóque ſi paſſim diſpenſatio concederetur, tribueretur occaſio peccandi: facilitas enim veniæ præbet audaciam delinquentibus, & ſic ſimoniaca labes, quæ hæreſi comparatur, vſu frequentaretur, Eccleſiaſtica benedictio in maledictionem conuerteretur,& diſciplinę à patribus traditæ neruus, cum ſacramentorum contaminatione & ſacrilegio diſſolueretur. Concluſio intelligitur maximè de ſimonia interuenienti tam ex parte ordinatoris quam ordinati. Ea enim peſſima eſt, & minori miſericordia digna.

Tertia Concluſio. Quando ſimonia eſt cum ſcientia commiſſa in ordine, ſolus Pontifex diſpenſat. hanc tradunt Panorm. Anton. Felin. Io-

ipſe cum criminis ſit particeps in odiũ peccati tanti non diſpenſabit, ſed vel ſucceſſor eius, aut ſuperior. Hodie tamen per Concil. Trid. ſeſſ.24.c.6.de reformatione. poteſt Epiſcopus etiam criminis particeps diſpenſare cum ſibi ſubditis, in ſuſpenſione ſimoniæ, dummodò ſit occulta, vt auctor Candelabri aurei in appendice illius libri, c.1.n.20.obſeruat. Huic etiam fauet Nauar.lib.5.conſil.de ſimonia.conſ. 61.n.12. Per hanc Concilij determinationem, fortaſsè quis exiſtimabit confirmari ſententiam illorum DD. quorum diſtinctionem Panorm. Felin.& alij reijciunt, dum volunt Epiſcopum ſolum diſpenſare dum occultũ eſt, & nõ quando manifeſtũ. Nihilominus reſpondetur Concil. non facere directè ad intentum allegatum ab auctore Candelabri aurei. Quia vt ex noſtra concluſione elicitur, & manifeſtè ex hoc c.confirmatur, in caſu huius cõcluſionis, nõ verè committitur ſimonia, nec etiã vllum peccatũ, ſi ordinatus nihil ſciat de pecunia data ꝓ ordinis collatione, nec etiã poſteaquã reſciuerit, conſentiat in factũ, vt communis DD, ſententia ꝓ certo habet. Vnde iſta diſtinctio nõ ſuſtinetur, etiamſi caſus noſter ſit notorius: cũ ex parte ſic ordinati, nec ſimonia nec aliud crimẽ fuerit commiſſum. Id tamen verũ eſt, ꝙ ad propoſitum iſtius D. argumentum ſatis concludit, dũ aliud nõ ſentire videtur, quam ꝙ quãdo talis ſimonia occulta fuit, & conſequenter ſecuta ſuſpenſio, poſſit etiam

diſpen-

diſpenſare Epiſcopus per dictam conceſſionem Concilij Tridentini, & ſic à fortiori argumentum concluderet, ſi enim Epiſcopus poteſt diſpenſare in ſuſpenſionibus quæ oriuntur ex delicto occulto, exceptis eis quæ oriuntur ex homicidio voluntario ac alijs deductis ad forum contentioſum, multo magis poteſt diſpenſare cum eo, quo ignorante ſimonia occultè commiſſa eſt; cum non peccauerit, nec criminis ſit particeps, modo poſtquam cognouerit, ratum non habuerit conſentiendo.

Quinta Concluſio. Quando ſimonia non eſt commiſſa cum Epiſcopo, ſed cum eius miniſtro, aut collaterali, Epiſcopo ignorante, tunc etiam Epiſcopus poteſt diſpenſare. Hanc ponunt Cardin. Alexand. & Turrecrem. quæ tamen intelligenda, quando etiam ignorantia eſt ex parte ordinati.

Sexta Concluſio. Cum eo qui ſcienter ordines ſimoniacè recepit, nec tamen in eis adminiſtrauit, poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt vtantur ordinibus ritè ſuſceptis, non tamen in ordine ſimoniacè collato, aut vt ad alios aſcendat, diſpenſare poterit. Card. Alexand. & Turrecr. Nunc videndum de diſpenſatione ſimoniæ circa beneficia Eccleſiaſtica.

Septima Concluſio. Cum eo qui ſcienter beneficium ſimoniacè recepit, ſolum ſummus Pontifex diſpenſat. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. vlt. ad 7. Cardin. Alexand. & Turrecrem. vbi ſupra,

ſupra, alijque ab eis allegati, & hæc nunc communis, & in praxi curiæ recepta opinio, quicquid quidam ex antiquioribus in contrarium ſentire videantur adhibendo diſtinctionem, facit pro concluſione cap. De regularibus ſupra: eod. tit.

Octaua Concluſio. Si ſimonia commiſſa eſt ignorante, nec etiam ratum habente, eo, qui dignitatem Eccleſiaſticam recepit, Epiſcopus non poteſt cum eo diſpenſare, vt eam iterum legitimè conſequatur poſſideatque, ſed ſolum ſummus Pontifex. Innocent. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Panormit. & alij ibidem. Nauarr. lib. 5. conſil. in tit. de ſimonia. conſil. 35. num. 4. hanc concluſionem probat cap. penult. de elect. & cap. 1. 1. q. 5.

Nona Concluſio. Qui ſimplex beneficium acquiſiuit per ſimoniam ignoranter commiſſam, ſi illud liberè renunciet in manibus ſuperioris poſt ſcientiam, poteſt illud idem iterum licitè recipere per diſpenſationem Epiſcopi. Hanc tenent Gloſſ. in d. cap. penult. de elect. DD. ibidem. Innocent. Panormit. & alij communiter in hoc cap. Angel. in verb. Simonia 6. §. 3. Sylueſt. in verb. Suſpenſio. q. 7. d. 4. Atq; hanc concluſionē expreſsè text. in d. c. penult. probat: dū ſic loquitur: Quamuis circa eū qui ignoranter recipit ſimplex beneficium per ſimoniacam prauitatem, poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio tolleretur. Dubitare aliquis poſſit. An canonicatus etiam cenſea-

cenſeatur ad hunc effectũ, vt Epiſcopus diſpenſet, beneficiũ ſimplex. Reſpondetur quod canonicatus eſt beneficium ſimplex ſecundũ communem DD. ſententiam, ex cap. Statutum. de reſcrip. in 6. vbi dignitas & canonicatus pro diuerſis ſumuntur. Vnde Philipp. Francus ibidem & Felinus in cap. Paſtoralis in princip. de offic. delegat. colligunt canonicatum neque dignitatem, neque perſonatum eſſe. Facit quod etiam canonicatus non comprehenditur ſub beneficijs duplicibus contentis in cap. De multa. de præbend. & in extrauag. Execrabilis. ſecundum omnes. vt teſtatur Nauarr. lib. 5. conſil. in titu. de ſimonia. conſil. 51. num. 6. Facit ad idem cap. Ex inſinuatione. infra. vbi agitur de canonicatu per ſimoniam acquiſito, & ſatis declaratur poſt ſpontaneam renunciationem per diſpenſationem inferioris Pontificis, poſſe illum ſecundo renuncianti acquiri. In hoc autem caſu, etſi renunciatio fiat in manibus Epiſcopi, iſque diſpenſet, non tamen poteſt renuncianti iterum conferre, niſi pro eo tempore collatio & prouiſio ad ipſum ſpectet: ſed ordinarius collator conferet, prout rectiſſimè Nauarr. in d. conſil. num. 3. docet. Dubium eſſe poteſt. Quid ſi parentes praua cupiditate ducti, filio adhuc paruulo exiſtente, eidem beneficium mediante pecunia ſimoniacè acquiſiuerunt, tandem parentes poſtquam filius adoleuerit, reique capax fuerit, ei aperiunt

riunt iniquam beneficij acquiſitionem, an filius teneatur credere parentibus, atque beneficium reſignare? Archidiaconus, Cardinalis Alexandrinus, & Turrecrem. mouent in cap. Quicunque 1. quæſtione 5. ſed parum reſolutè reſpondent, ideò diſtinctius dicendum primò. Si filius ex parentum fideli narratione alijſque circumſtantijs habet conſcientiam læſam, non poteſt tenere beneficium, ſed tenetur renunciare. Alioqui ſi faciat contra conſcientiam ædificat ad gehennam. argum. cap. 14. ad Roman. in fin. cap. fin. de præſcriptionib. & cap. literas. de reſtitut. ſpoliat. poſtquam autem liberè reſignauerit, poteſt ad idem iterum diſpenſatione impetrata promoueri, iuxta prædicta, & dictum cap. Quicunque. Cum enim talis ſimonia filio adhuc paruulo & inſcio, vt præſupponitur commiſſa ſit, iuſta diſpenſandi cauſa ſubeſt. Secundò, quando parentes filio denunciant emptionem, aut acquiſitionem ſimoniacam beneficij, non eſt veriſimile quod falſum dicant. argum. cap. Afferte. & cap. literas. de præſumpt. ideoque talis ſi parentibus fidem non haberet, in hac conſcientia nimis durus foret, prout in ſimili caſu Hoſtienſis & alij quidam notant in capite Officij. de pœnitent. & remiſſ. Hoc dictum etiam prædicti auctores ſequuntur. Tertiò, ſi filij conſcientia non læditur ex dictis parentum, non tenetur eis credere.
hoc

hoc fuit dictum quorundam Doctorum, vt mentionem faciunt Archid. & alij arg. ſumpto ex l. filium. ff. de ijs qui ſui, vel alieni iuris ſunt. Pro hoc etiam facit opinio multorum Theologorum, canoniſtarum & legiſtarum, dum ſentiunt filium minimè tenere, fidem adhibere matri aſſerenti eum natum ex adulterio. Sic S. Antonin. 2. part. tit. 2. cap. 7. §. 4. Gabr. in 4. d. 15. quæſt. 2. art. 2. Angel. Syluest. & alij in ſummis. verb. adulterium. Alphonſus, Caſtrenſ. lib. 2. de poteſtate legis pœnalis. cap. 11. & alij alibi. Canoniſtæ, Panorm. in cap. Per tuas. de probat. Anton. Ioan. Imolen. & alij ibidem. Panorm. & Anton. in d. cap. Officij. Legiſtæ, Cynus, Angel. Salycet. Alber. & alij in l. Si vicinis. C. de nuptijs. Bart. & Alberic. in d. l. Si filium. De qua re plurima allegauimus & congeſſimus in comment. de iniur. & damno dato. cap. fin. q. 18. à concluſ. 9. Quartò, ſi parentes filio ita narratione perſuaderent, euidentibuſq; argumentis demonſtrarent beneficij acquiſitionem ſimoniacã eſſe, vt intus in animo quaſi conuinceretur credere, atq; etiam quilibet vir prudens, non poſſit nõ aſſentiri, teneretur fidem adhibere. Pro hoc facit quod Dominicus à Soto lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 7. art. 2. Petr. de Aragon. in 2. 2. S. Thom. q. 62. art. 6. Ioſeph. Angles in 2. part. 4. in florib. de reſtitut. & alij quidam recentiores tradunt filium in tali caſu tenere credere matri aſſerenti eum eſſe natum ex adulterio.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quis diſpenſet in ſimonia circa ingreſſum religionis, & alios actus ſpirituales.

PRima Concluſio. Cum eo, qui realem completamque ſimoniam commiſit dando, aut recipiendo ſcienter pecuniam pro ingreſſu religionis, ſolus ſummus Pontifex diſpenſat. Panormit. in hoc cap. Hoſtienſ. in ſumma. verb. Simonia. §. penul. & alij alibi. & ſatis confirmatur ex cap. De regularibus & c. fin. infra.

Secunda Concluſio. Cum religioſis quibus ignorantibus in receptione eorum commiſſa eſt ſimonia, in fauorem religionis Epiſcopus diſpenſare poteſt. Cardin. Alexand. & Turrecrem. in principio. quæſt. 5. cauſa 1. Hoſtienſ. vbi ſupra. Panormit. & alij in dicto cap. De regularibus, quod ſatis hanc concluſionem fundat.

Tertia Concluſio. In minoribus ſpeciebus ſimoniæ, quæ videlicet committuntur in obſequijs mortuorum, benedictionibus nubentium, ſacrorum vaſorum ac veſtimentorum, in venditione chriſmatis, panis benedicti, ſepulturæ, in conſecratione Eccleſiæ ac cœmiterij, & ſimilibus actibus, Epiſcopus poteſt diſpenſare. Cardin. Alexand. & Turrecrem. vbi ſupra. qui allegant & Raymundum in

ſumma tit. de magiſtris. Hoſtienſ. in d. §. penult. Angel. in verb. Simonia 6. §. 5. Syluest. in verb. Suſpenſio. quæſt. 7. & dicit Hoſtienſis quod magiſtri ſic dicunt, quod Epiſcopus poſt peractam pœnitentiam poſſit diſpenſare. Quia in his non prohibetur arg. cap. Nuper. de ſententia excomm. & ſic poteſt.

CAPVT XXIII.

Si contradicens electo, pro pecunia de voluntate electi tradita à contradictione ceſſat, electus poſtea confirmatus, eſt ſimoniacus, & beneficio renunciare tenetur.

Idem.

MAthæus Cardinalis, ſecreta nobis inſinuatione monſtrauit, quod cum fuiſſes ad Eccleſiæ tuæ regimen de voluntate maioris partis fratrum electus, paucis tibi contradicentibus: quidam amicus tuus de conſcientia tua & voluntate turbata ei, qui magiſter diſcordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exoluit, & ſic contradictio conquieuit: nunc autem dubitas, quod non ſis à labe ſimoniæ prorſus immunis, donec in adminiſtratione volueris remanere. Quia igitur conſilium requiſiſti, quid tibi ſit fa-

ſit faciendum : reſpondemus, quod multum tibi conſulis, ſi adminiſtrationem celeriter ac ſponte dimittas, illius verbi memor exiſtens : Nihil prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur : animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.

Caſus ſecundum Gloſſ. & Abbat. literalis talis eſt. Quidam electus fuit ad regimen cuiuſdam Eccleſiæ, de voluntate maioris partis paucis contradicentibus, quidam amicus illius de voluntate electi turbata, quandam pecuniam ſoluit illi, qui diſcordiam faciebat : & ſic contradictio quieuit, poſtea dubitans an ſimoniam commiſiſſet per Cardinalem, factum ſecretè Papæ intimauit, petens ſuper hoc ſalutare conſiliũ. Papa reſpondit ei, quod multum conſuleret ſibi, ſi adminiſtrationem ſtatim & ſponte dimitteret: memor exiſtens illius verbi. Nihil prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur : animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.

Nota circa textum in primis, quod hic dubitans ſecretè in confeſſione, vel extra eandem ſub commiſſione ſecreti Cardinali caſum propoſuit, & ſic Cardinalis etiam Pontifici tanquam occultum pro conſilio propoſuit, & ſic reſponſio data per modum conſilij, & non expreſſam prohibitionem. Secundò. Simonia committitur etiamſi ſi quis pecuniam offerat pro voce non neceſſaria in electione, aut ad amouendã contradictionem oppoſitioneq́;.

Etenim hic erat electus à maiori parte, ideò electio valebat,non obſtante aliorum contradictione. cap. Cum in cunctis. De his quæ fiunt à maiori parte cap. & cap. Eccleſia veſtra. el. 2. de elect.& tamen quia pècuniã amicus electi obtulerat auctori contradictionis, eo tamen conſentiente electio ſimoniaca eſt. Tertiò,Mens turbata non excuſat in peccatis. Exemplum, qualiter dicatur voluntate turbata feciſſe,ponunt hic Anton. à Butrio, & poſt eum Ioan.ab Anania in hunc modum: Forte amico conſulenti reſpondit:maledicatur ipſe, da ſibi pecuniam quæ ſecum ſit in perditionem, vel ſimilia: vel forte voluntate turbata reſpondit amico,quid à me quæris conſilium: fac quod tibi videtur. Poſtremò licet Pontifex reſponſionem, vtpote de ſecretè propoſito caſu,det per modum conſilij, tamen in ordine ad conſequendam animæ ſalutem neceſſaria eſt renunciatio eius, quod iniuſtè & ſimoniacè obtentũ, vt colligitur ex Gloſſ. hic ſupra verb. Conſulis.vbi Felin.obſeruat quod verba quæ important aliquando perſuaſionem, ſi imponantur in materia conſcientiæ, importabunt præceptum, & eſt alia Gloſſ. in cap. Ad aures. in fine. de ætat. & qual. & multa ad hoc allegat Felin.

CAPVT

CAPVT XXIV.

Pro abſoluendo excommunicatum, pretium aliquod exigi non debet.

Idem.

AD aures noſtras perueniſſe noueris, quod cum C. de Seneuilla propter pecuniam, quam debebat, vinculo fuiſſet excommunicationis aſtrictus, creditoribus ſatisfecit, ſed excommunicatoribus decem libras pro abſolutione quærentibus, non valuit abſolutionis beneficium obtinere. Quoniam igitur indignum eſt, & Eccleſiaſticæ rationi contrarium, vt abſolutionis beneficium redimatur: Di. V. mandamus, quatenus ſi præfatus C. debitum ſoluit, ipſum gratis faciatis abſolui, ſi excommunicatores id non fecerint, requiſiti.

Notandum primò, debitorem poſſe excommunicari ad inſtantiam creditoris pro non ſatisfactione debiti. Panormit. Anton. Felin. & alij hic per text. Facit ad idem cap. Odoardus de ſolut. cum annotatis ibidem à DD. Sed pro debitis paſſim & regulariter, id non eſt faciendum. ſed cum moderamine ex dicto cap. Odoardus. & DD. ibidem. & ex Concil. Triden. ſeſſ. 25. de reformat. capite 3.

QVÆSTIO.

An pro abſolutione ab excommunicatione poßit pecunia ſolui, aut accipi?

PRima Concluſio. Pro beneficio abſolutionis ab excommunicatione pecuniam dare, aut accipere, ſimoniacum eſt. S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 3. Richard. in 4. d. 25. art. 3. q. 1. Angel. in verb. Simonia, 2. §. 34. Syluest. eód. verb. q. 7. Turrecrem. in c. Nullus. 1. q. 1. Hoſtienſ. in ſumma. tit. de exceſſib. prælat. §. 1. verſ. Alij quia ſine certa quantitate. Panorm. Cardin. Felin. & communiter DD. in hoc cap. per text. expreſſum. Ratio etiam clara eſt. Beneficium abſolutionis eſt quid ſpirituale, & procedit etiam à poteſtate ſpirituali. Ergo ſimoniacum eſt illud pro pecunia impendere.

Secunda Concluſio. Quando aliquid in abſolutione ab excommunicatione ſoluitur pro pœna aut mulcta impoſita propter contumaciam, non eſt ſimonia. S. Thomas. Angel. Syluest. Hoſtienſ. & DD. in hoc cap. Hinc DD. communiter ſecuti Hoſtienſ. in hoc cap. dicunt conſuetudinem, aut ſtatutum eſſe iuſtum, quo excommunicatus antequam abſoluatur, pro quolibet menſe, quo manſit in excommunicatione, ſoluat certam quantitatem puta

puta decem libras, aut tres, aut quinque, aut plures. Sicut eſt in Francia, & in multis alijs regionibus. Aliqui tamen referente codẽ Hoſtienſ. dicunt, quod petens in primis gratis abſolui debet, & demum compelli ad ſatisfaciendum pro pœna ſecundum conſuetudinem aut ſtatutum, vt infra cap. Ad Apoſtolicam. & ſic Hoſtienſ. in ſumma. d. §. 1. verſ. Quid ſi petitur ratione conſuetudinis, &c. putat quod ante abſolutionem pœna non poſſit exigi, cum nec pro illa fuerit excommunicatus.

Tertia Concluſio. Si creditor propter contumaciam debitoris aliquas fecit expenſas, iudex ſine crimine ſimoniæ, ad inſtantiam partis poterit abſolutionis beneficium ſubtrahere, donec illas ſoluerit. Gloſſ. Anton. Hoſtienſ. Ioannes Andreas. & Cardinalis in hoc capite. per cap. Quoniam. §. in alijs. Quia expenſæ non dantur intuitu abſolutionis.

Quarta Concluſio. Si alicui iniuſtè denegaretur abſolutio ab excommunicatore, & ex dilatione abſolutionis ei immineret graue periculum aut damnum, vtpote ſequenti die debet celebrari electio, quæ eum actiuè & paſſiuè concerneret: aut immineret grauis iudicialis actio, vbi, ſi non eſſet qualificatus ad ſtandum in iudicio, præſcribetur contra eum, aut aliud magnum, & irreparabile damnum ſequetur, pro vexatione redimenda vt abſolutio obtineatur, poteſt pecu-

niam offerre excommunicatori. Ioan. Andr. & poſt eum Panormit. Antonius hic. Cardinalis Alexandr. in cap. Nullus. el.vlt. 1.q. 1. In eandem ſententiam ire videntur Ioan. ab Anania. & Felin. in hoc c. diſtinguentes vtrum intereſſe quod ſequitur ex dilatione abſolutionis ſit æſtimabile, vel non: ita quod liceat redimere vexationem, quando intereſſe eſt æſtimabile, alias minimè. Gloſſ. hic indiſtinctè ſentit, quod licet vexationem redimere. Innocent. autem indiſtinctè tenet hic quod non liceat, ſed pro abſolutione ſit recurrendum ad ſuperiorem. iuxta d. cap. Nullus Epiſcopus. Innocentium Cardin. & Goffred. hic & Archidiac. in d. cap. Nullus. alijque ſequuntur.

CAPVT XXV.

Monachi per ſimoniam recepti, ſi ſunt ſimoniaci, ad arctiora monaſteria transferuntur: alias poſt renunciationem in eiſdem, vel in alijs monaſterijs eiuſdem ordinis poterunt collocari.

Clemens tertius.

DE regularibus canonicis ſeu monachis nos conſulere voluiſtis, qui per ſimoniam ingreſſum, ipſis ſcientibus habuerunt. Vnde cum ſuper hoc auctoritates multæ reperiantur expreſſæ, non aliud quam ſtatutum eſt, re-

eſt,reſpondemus: vt locum quem taliter adepti ſunt,omninò dimittant, & ſolitudines ſeu alia monaſteria diſtrictiora adeant, in quibus tam execrabilem exceſſum ſine intermiſſione deplorent. Si autem ignorantibus illis pecunia data fuerit, cogas eos ad renunciandum loco eidem, & poſtmodum in ipſum reducere,ſi ibi abſque ſcandalo potuerint remanere, vel in alio qui ſit de ordine ipſo, ad ſeruiendum Deo poteris collocare.

Nota inprimis, maximum eſſe diſcrimen inter eos, quibus ſcientibus ſimonia commiſſa eſt in ingreſſu monaſterij, & alios quibus ignorantibus pecunia data eſt: Cum prioribus, vt ſupra dictum eſt, arg. huius cap. Solus Pontifex diſpenſat: Cum poſterioribus Epiſcopus gratiam facere poteſt. In vtriſque autem renunciatio ſpontanea eius quod ſimoniacè acquiſitum eſt, omnem diſpenſationem præcedere neceſſe eſt. Non enim dimittitur peccatum,niſi antea reſtituatur ablatum,aut dimittatur ſiue reſtituatur iniuſtè poſſeſſum.

CAPVT XXVI.

Si quis canonicatui renuncians, ad quem per ſimoniam ignoranter aſſumptus fuerat, poſtea de nouo aſſumatur ad illum: non poteſt ex prima receptione ſibi aliquid vendicare.

Idem.

EX inſinuatione tua nobis innotuit, quod pater tuus interueniente pecunia, olim tibi præbendæ beneficium acquiſiuit.

Cumq; ad annos diſcretionis perueniens, accepiſſes Dominicæ crucis ſignum: dictam præbendam in manu præpoſiti & fratrum liberè reſignaſti. Sed ijdem tibi compatientes de nouo te in ſuum canonicum elegerunt: ita videlicet quod per electionem iſtam poſtremum locum in choro & in alijs obtineres: & infra) Reſpond. vt indulgentia quam fratres tui miſericorditer tibi feciſſe noſcuntur contentus exiſtens; ratione primæ receptionis nihil audeas in ipſa Eccleſia vendicare.

Nota iterum caſum, in quo ignorans ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, iterum ad beneficium prius liberè reſignatum aſſumitur ex gratia & miſericordia.

CAPVT XXVII.

Electio ſimoniaca eſt caſſanda, ſi propter hoc electoribus promiſſa fuit pecunia, quamuis electus ignoret: niſi hoc factum fuerit in fraudem electi, hoc dicit primo. Cum electo reprobato per vitium ſimoniæ, non diſpenſat Epiſcopus. hoc dicit ſecundo.

Celeſti-

Celeſtinus III.

NObis fuit ex parte tua intimatum, quod cum quatuor eſſent à capitulo conſtituti, qui debebant quendam eligere in plebanum, amici eius de cuius electione ſpes habebatur: vni vel omnibus eligentium promiſerunt ſe pecuniam ſoluturos: eo tamen ignorante, qui huiuſmodi promiſſione interueniēte poſtmodū eſt electus:& infra.) Quia igitur ſuper hoc conſulere nos voluiſti, conſult. tuæ breuiter reſpondemus, quod niſi conſtaret illos, qui promiſſum tale fecerunt, per fraudem in diſpendium illius qui eligendus erat id malitiosè feciſſe: quamuis ipſe tempore promiſſionis conſcius non fuerit: eius tamen electio tanquam ſimoniaca prauitate præſumpta, eſt penitus reprobanda: & infra.) Ad vltimum quod in fine conſultationis tuæ inuenimus: hoc duximus reſpondendum, quod aliquis in Eccleſiæ cuiuslibet Prælatum electus, & vt dictum eſt, per prauitatem ſimoniacam reprobatus, ab Epiſcopo ſuo diſpenſationem aliquam de iure obtinere non poteſt. De huius capitis materia ſatis conſtare poteſt ex ſuperioribus, ideò non eſt opus repetitione.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Qui prælato dat pecuniam, ne ipſum in iure ſuo de facto moleſtet, illam repetit, ſi prælatus promiſſa non ſeruat, hoc dicit inhærendo literæ.

DIlectus filius R. Præpoſitus nobis expoſuit, quod cum Eboracenſ. Archidiacono eum multis grauaminibus afficere non ceſſaret: promiſit ei certam quantitatem pecuniæ ſe daturum: vt ab ipſius deſiſteret læſione. Verum dictus Archid. poſt receptionem pecuniæ ſuper dignitatibus & beneficijs ſuis ab eius moleſtia non quieuit. Ideoque Di. V. mandamus, quatenus ſi res ita ſe habet, Archid. reſtituere quod accepit (ſi eum contra promiſſionem ſuam veniſſe conſtiterit) compellatis.

Caſus ſecundum Gloſſ. & Abbatem: Archidiaconus Eboracenſ. R. præpoſitum multis grauaminibus & iniurijs affligebat. Vt Archidiac. ab iniurijs deſiſteret, præpoſitus promiſit ei certam pecuniæ quantitatem ſe daturum, & perſoluit, ſed poſt receptionem pecuniæ Archid. ſuper dignitatibus & beneficijs ab eius moleſtia non quieuit. Vnde præpoſitus Domino Papæ fuit conqueſtus. Mandat Papa quibuſdam, quatenus ſi eſt ita, compellant Archidiaconum reſtituere quod accepit, ſi ipſum

ſi ipſum contra promiſſionem ſuam veniſſe conſtiterit.

Notant DD. cum Gloſſ. quod licitum eſt alicui redimere ſuam vexationem. Deinde fidem non ſeruanti fides non eſt ſeruanda.

QVÆSTIO.

An ſit licitum in ſpiritualibus vel eis annexis, vexationem redimere?

CONueniunt communiter DD. in temporalibus tã pro iure quærendo quam pro quæſito, licitum eſſe pecunia vexationem redimere; quia temporalia non ſunt materia ſimoniæ, ſed cadunt in contractus non gratuitos. Nunc pro intelligentia quæſtionis aduertendum quod in redimenda vexatione intentio redimentis poteſt ferri aut in emptionem rei ſpiritualis, tanquam medium directum ad redimendam vexationem, & amouendam iniuriam quæ obſtat, quo minus ſpirituale debitum obtineatur: & hæc intentio non eſt recta cum inuoluat ſimoniam. Aut intentio fertur in dationem pecuniæ, non vt pretium rei ſpiritualis, ſed vt motiuum quoddam ad remouendum impedimentum.

Prima Concluſio. Quando intentio ſana rectaque eſt, ac fertur in dationem pecuniæ, non vt pretium rei ſpiritualis, ſed vt motiuum

ad amo-

ad amotionem iniuriæ ſiue impedimenti non committitur ſimonia. Concluſio neceſſariò ab omnibus admittenda eſt. Omnes enim DD. vt in ſequentibus latius patebit, concedunt licitum eſſe redimere vexationem. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad quintum, & eius commentatores ibid. Alexand. Alenſ. 2. part. q.187.memb.3.art.1.§.2.S.Antonin. 2.part.tit. 1. cap. 4. §. 2. prope finem. Paludan. in 4. d. 25. quæſt. 5. art. 3. Adrian. quodlib. 9. Angel. in verb. Simonia 2. §. 10. Sylueſt. eod. verb. quæſt. 3. reg. 4. & alij communiter ibi. Turrecrem. & Cardin. Alexand. cum alijs in cap. Quæſitum. 1. quæſt. 3. Panorm. Cardin. Hoſtienſ. & communis in hoc cap. Sed non eſt licitum intendere dationem ſiue collationem pecuniæ vt pretium rei ſpiritualis, cum id apertè ſpectet ad ſimoniæ prauitatem, argum. ſumpto à definitione. Ergo.

Secunda Concluſio. Ad iuſtam redemptionem vexationis requiritur, vt is à quo vexatio redimitur iniuſtè eam inferat. S. Thom. Alen. D. Antonin. & alij communiter. Ratio etiam manifeſta eſt. Si enim alius iure & iuſtè inferret, non tam daretur pro amouenda iniuria, quam pro iure ſpirituali quærendo. Hinc DD. volunt quod non eſt licitum ei redimere vexationem, qui dubium habet ius. per text. in hoc cap. & cap. Nullus Epiſcopus. 1. quæſt. 1. Panormitanus in cap. Cum pridem. de pactis. Felin. in hoc cap. Angel. in dicto §. 10. Re-

10. Rebuff. in praxi benefic. in 3. part. in titulo de Simonia in reſignatione. & alij alibi.

Tertia Concluſio. Ex parte redimentis requiritur vt habeat ius quæſitum. Hanc tradunt etiam communiter DD. loc. cit. Vnde pro iure quærendo non licere vexationem redimere ſentiunt. Quia tunc pecunia daretur pro conſequendo, acquirendoque ſpirituali: quod non eſt licitum per cap. Ad aures. & cap. Mathæus. ſupra eod. & cap. Significaſti. de elect. Verum hanc concluſionem Nauarr. in manuali confeſſariorum. cap. 23. num. 102. verſic. octauo quod neque datio pecuniæ, & poſt eum Gregorius de Valentia in 2. 2. S. Thomæ. diſput. 6. quæſt. 16. puncto 3. quæſt. 3. concluſ. 2. reſtringunt, tantum ad forum exterius, quod ibi præſumatur ſimoniam committere, qui ante ius acquiſitum vexationem pecunia redimit, etiamſi pecuniam reuera daret, non vt pretium, ſed tantum vt motiuum. Quicquid ſit de ſubtilitate doctrinæ horum DD. quæ certè ſpeculatiua eſt, nec caret ſua probabilitate, tamen non videtur ad mentem veterum Theologorū, quamuis hi Doctores S. Thomam in hanc ſententiam in d. art. 2. ad quintum trahant. Etenim Alexand. Alen. S. Thom. Paludan. S. Antonin. Angel. & alij ſuam doctrinam in primis ſemper foro conſciētiæ accommodant, & tamen apertè ſentiunt non eſſe licitum redimere vexatio-

vexationem ante ius quæſitum, ſed pro iure quæſito tuendo & retinendo. Sed circa hanc concluſionem dubium mouetur: An liceat redimere iniuſtam vexationem ante ius completum & perfectum acquiſitum? Exempli gratia. Petrus obtinuit collationem curati beneficij ab Abbate S. Magnerici, venit ad Archidiaconum pro inſtitutione, qui non vult inueſtire, niſi aliquid pecuniæ offeratur pro ſua cupiditate explenda, non quidem quod pecuniam exigat tanquam pretium rei ſpiritualis expreſsè: ſed ambagibus, & moleſtijs ſuſpenſum tenet, donec pro deſiderio ſatiſfiat. Vel aliud eſſe poteſt exemplum. Obtinuit aliquis Eccleſiam & inueſtitus eſt, tamen quia in loco beneficij nemo ad poſſeſſionem peruenire poteſt, niſi per placetum ſecularis magiſtratus, habet aliquem in ſenatu ſibi ex aliqua priuata paſſione aduerſantem, impedientemque ne placetum conſequatur: itaque ob curſum temporis, dum non eſt in poſſeſſione actuali aliquod damnum incurret: An liceat redimere vexationem pro poſſeſſione quærenda. Quidam videntur ſentire, quod nunquam liceat redimere, niſi poſt acquiſitionem pleni iuris per actualem poſſeſſionẽ, ita quod etiam ſimonia ſit pro poſſeſſione facti acquirenda redimere vexationem. Innocent. ſupra in cap. Ad aures. Gloſſ. in cap. Decimas 16. q. 7. & ita dicit Felin. hic per Doctores concludentes, quod nunquam eſt licitum redimere vexatio-

vexationẽ,niſi vexatio omninò ſit de facto,& redimens habeat ius plenum,adeò quod ſi deficeret poſſeſſio,adhuc nō liceret quaſi non ſit integrum ius ſuum , & ſic plurimi Doctores ſunt in hac ſententia. Ratio pro hac ſententia eſt, quia poſſeſſio beneficij eſt quid ſpirituale, vnde non cadit in laicum. cap.Cauſam. de præſcript. aut eſt ſpirituali annexum. Panorm. tamen Ioan. ab Anania & Felinus in hoc capite. Angel. in verb. Simonia 2. §.11. Cardinal.Alexandr. 1.quæſtione 1. in ſumma. Rebuff. vbi ſupra. n. 24. cenſent, quod quando propter potentiam aduerſarij, & propriam impotentiam , quis non poſſit conſequi facilè poſſeſſionem, nec etiam ſuperioris auxilio adiuuari,& notabile præiudicium immineret , tunc poſſit redimi licitè vexatio, pro adipiſcenda poſſeſſione iuxta ea quæ ſupra in capite Ad aures. concluſione 4. congeſſimus. Hinc ad probandam redemptionem vexationis duo probanda ſunt, aduerſarij potentia, & dantis ſiue redimentis innocentia. Baldus & Salycet. in l. Serui. C. ad leg. Iul. de adult. Ioan. ab Anania in hoc cap. & Ioan. le Cirier de primogenitura lib. 3. quæſt.8. num. 4. Ego nunc ad quæſtionem reſpondeo quod in foro conſcientiæ,quando recta eſt intentio redimentis , non eſt ſimonia etiam redimere vexationem ante ius completum acquiſitum per poſſeſſionem, & ſic poſſe eum redimere vexationem ſibi iniuſtè obſtantem , qui iam

acquiſiuit ius in præbenda, aut dignitate per prouiſionem, ſiue collationem, aut electionem, & vlterius impeditur, ne ad poſſeſſionem beneficij, & fructuum perceptionem deueniře poſſit, modò aliud facilè remedium nō occurrat tollendi impedimētum. Qui enim per prouiſionem, aut electionem canonicam obtinet beneficium aut dignitatem, iam certum ius acquiſiuit, vt apud omnes in confeſſo eſt, & qui tali impedimentum præſtat, ne ſuo iure quæſito pro ſua intentione ac commoditate fruatur, ipſi iniuriam facit. Atq; pro hac ſententia eſt Ioannes Maior in 4. d. 25. vt eum allegat Petrus de Aragon in 2. 2. S. Thomæ. q. 100. art. 2. & Maior D. Thom. in d. art. 2. ad 5. in hanc ſententiam exponit, & ſatis litera D. Thomæ concordat, dum non aliud requirere videtur, quam acquiſitionem iuris in dignitate, aut præbenda per electionem, aut prouiſionem. Sic enim ait. S. Doctor. Ad quintum dicendum, quod antequam alicui acquiratur ius in Epiſcopatu, vel quacunque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel prouiſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet aduerſantium obſtacula pecunia redimere, ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam. Sed poſtquam ius alicui acquiſitum eſt, licet per pecuniam iniuſta impedimenta remouere. hæc ibi. Ergo ex mente S. Thomæ qui ius habet per electionem, aut collationem, iam poteſt ſuam vexa-

vexationem redimere, & latius hoc oſtendo: Qui enim confirmat, nihil noui iuris dat; ſed ius datum ab electore, aut collatore confirmat, & corroborat argum. text. in cap. 1. de confirmat. vtilis, vel inutil. Gloſſ. ibidem. in verb. confirmationem. & in cap. Cum dilecta. §. Nuper autem. ibid. & cap. Quia diuerſitatem. de conceſſ. præbend. Gloſſ. ibid. in verb. Forma communi. Inueſtitura etiam operatur confirmationem iuris illius, quod per collationem translatum fuerat, vt rectè obſeruat Didacus Couarr. lib. 3. variar. reſolut. cap. 16. num. 10. verſicu. Corporalis inductio. Pro hac noſtra reſponſione eſt etiam expreſsè Gregor. de Valentia loc. cit. dum dicit, quod poſt ius acquiſitum per electionem, poteſt in foro conſcientiæ redimi abſque ſimonia vexatio obſtans confirmationi, aut poſſeſſioni, vt communiter, ait, conceditur. Et Nauarr. prius id etiã ſatis ſignificauit in manuali confeſſarior. c. 23. num. 102. verſ. Octauo quod neque datio pecuniæ.

Quarta Concluſio. Etſi qui recta intentione, & rationabili cauſa motus, vexationem ſuam redimit, non peccet, tamen is qui ſic pro iniuſta vexatione recipit, aut peccat turpiter iniuſteque recipiendo: aut ſimoniam committit, ſi tanquam pretium rei ſpiritualis, ſiue rei ſpirituali annexæ, accipiat, & extorqueat. Hanc tenent communiter DD. vt teſtatur Cardin. Alexand. 1. quæſt. 1. in ſumma. Adrian. quodl. 9.

Gregor. de Valentia vbi ſupra. concluſ.3. Hoſtienſ. & alij in hoc cap. Angel. in d. §. 11. Sylueſt. eod. verb. quæſt.3. reg. 4. Rebuff. vbi ſupra. num.23. & alij alibi.

CAPVT XXIX.

Pro benedictionibus nubentium, & exequijs mortuorum nihil exigi debet.

Innocentius III. Abbati de iugo Dei, & Priori de Sila.

SVam nobis parochiani de villa Franca querimoniam deſtinarunt, quod capellanus eorum pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium, minus licitè pecuniam ab eis exigit & extorquet. & (infra) Diſ. V. mandamus, quatenus dictum capellanum, vt à tanta præſumptione deſiſtat, & etiam pro exceſſu ſatisfaciat competenter, moneatis: ſibi (ſi obedire noluerit) pœnam canonicam infligentes.

Caſus ſecundum Gloſſ. & Abbat. Capellanus de villa Franca pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium exigebat pecuniam à parochianis ſuis iniuſtè, & extorquebat: parochiani illi conqueſti ſunt Papæ. Vnde mandat quibuſdam quatenus capellanum illum moneant, vt à tanta præſumptione deſiſtat, & pro exceſſu competenter ſatiſfaciat.

faciat. Si autem obedire noluerit, ipſum puniant pœna canonica.

Notat Gloſſ. quod pro benedictionibus nubentium non licet aliquid accipere, quia ſunt ſacramenta. Intelligendum quod ſint non propriè, ſed larga ſignificatione ſacramenta, prout hic DD. & in rubr. de ſacramentis non iterand.

QVÆSTIO I.

An clericus Eccleſiam viſitans, vt quotidianas diſtributiones lucrifaciat, mentalem ſimoniam committat?

QVæſtio mouetur à S. Thoma quodlibeto 8. art. 12. Gabr. ſuper canon. miſſæ lect. 28. Turrecrem. Domin. Archidiac. & alijs in cap. Clericus 1. d. 91. Panormit. Anton. & alijs in hoc cap. Hoſtienſ. in cap. Olim. de verbor. ſignific. Nauarr. in enchiridio de oratione & horis canon. cap. 6. à num. 12. & ſeq. & in cap. fin. de pœnitent. diſt. 5. num. 56. Didac. Couarr. lib. 1. variar. reſolut. cap. 20. num. 5. Angel. in verb. Simonia. 3. §. 12. & ab alijs alibi.

Reuocanda deinde hoc loco in memoriam ſunt, quæ ſupra in cap. Cum eſſent. q. 4. diximus de diſtinctione cauſæ principalis, & minus principalis ſiue excitatiuæ aut impulſiuæ.

Prima Concluſio. Canonicus qui principaliter vadit ad Eccleſiam, aut diuinum obſequium impendit propter diſtributiones quotidianas, aut temporale lucrum, ſimoniã committit, & mortaliter peccat. S. Thomas in d. art. 12. & omnes alij. & hoc eſt quod Turrecrem. & alij decretiſtæ in d. cap. Clericus volunt, quando dicunt, qui ad horas canonicas, exequias mortuorum, & ſimilia potius (id eſt principalius) pro denario, vel pro ventre implendo, quam pro Deo accedunt, ſimoniam committant. Non tamen talis hæc ſimonia eſt, vt ſubiaceat pœnis ſtatutis à canonibus, quamuis reum damnationis æternæ reddat, niſi pœnitentia ſalutari expietur: Cum tantum ſit mentalis, & non ſpectet ad forum exterius: Vnde communiter à DD. Gloſſ. in cap. vnico. de cler. non reſident. in 6. approbatur, quæ ſcripſit, quod canonicus qui principaliter vadit ad horas canonicas pro denario, ſimoniam mentalẽ committat. Ratio pro concluſione eſt. Qui principaliter vadit ad horas canonicas, aut diuinum officium propter lucrum quotidianarum diſtributionum, virtualiter & implicitè obſequium diuinum, quod ſub pretij temporalis æſtimationem nõ cadit, pretio æſtimat: Quod ad ſimoniæ ſpeciẽ pertinet. Sed quoniam doctrina S. Tho. in d. art. 12. maximè facit ad declarationem huius & ſequentis concluſionis eam libet hic inſerere. Ad euidentiam, inquit, huius quæſtionis notandum

tandum eſt, quod aliquis actus dicitur eſſe ſpiritualis dupliciter. Vno modo ex parte principij, quando ſcilicet actus competit alicui perſonę propter aliquid ſpirituale, quod in ipſo eſt, ſicut Epiſcopo conſecrare baſilicas, & Diacono legere Euangeliũ, & in talibus actibus committitur ſimonia, ſi aliquis intendat ſuum actum vendere. Alio modo eſt aliquis actus ſpiritualis non ex parte principij, ſed tantum ex parte finis, ſicut docere liberales artes, quarum veritas ſpiritualis eſt, ſed huiuſmodi doctrina non competit alicui propter aliquod ſpirituale officium, cum etiam gentibus liceat huiuſmodi artes docere, & in his actibus committitur ſimonia, ſi vendatur finis qui ſpiritualis eſt, ſcilicet ipſa veritas, non autem ſi aliquis ſua opera locet. Celebrare ergo diuinum officium in Eccleſia, eſt actus ſpiritualis primo modo. Competit enim alicui ex hoc, quod eſt clericus, & ideò ſimoniam committit, qui huiuſmodi actum vendere intendit. In qualibet enim venditione pretium accipitur quaſi finis, & ideò in prædicto caſu diſtinguendum eſt. Si enim huiuſmodi diſtributiones recipit quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad huiuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundario non quaſi in finem, ſed ſicut in id quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem,

conſtat, quod non vendit actum ſpiritualem, & ita ſimoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio diſtributionum non erit cauſa quare ad Eccleſiam vadat: ſed propriè huiuſmodi determinatio, quare nunc vadat & non alia vice. Sic S. Thomas. Quæ plenius ex dicendis in ſeq. concluſione patebunt.

Secunda Concluſio. Qui minus principaliter, aut ſecundario vadit ad horas canonicas, vel diuinum officium explet propter lucrũ quotidianarum diſtributionum, non peccat, nec ſimoniam committit. Hæc eſt etiã communis DD. loc. cit. Quia in hoc caſu lucrũ quotidianarũ diſtributionũ, nõ eſt finis principalis, ſed minus principalis, & cauſa impulſiua. Poteſt autem actus principaliter fieri propter Deum, eiuſque honorem, & ſecundariò ob lucrum aliquod temporale, quatenus id neceſſarium ad ſuſtentationem eius, qui Deo obſequium impendit. Atque ad diſcernendum, an intentio in huiuſmodi actibus ſit recta, obſeruandum non eſſe finem vltimum & principalem lucrum diſtributionum, quando canonicus alias non eſſet iturus ad Eccleſiam, niſi diſtributiones perciperet, vel ſacerdos non celebraret, ſi præſentia ſiue pitantia non daretur pro tali tempore celebrantibus, cum ſpes lucri poſſit eſſe cauſa impulſiua, ſiue excitatiua, quod pro tali tempore potius moueatur ad eundum, aut celebrandum, quam alias, & interim

terim finis vltimus principaliſque intentus ſit diuinum obſequium. Hinc ex mente Ioannis Maioris in 4.d.25. q.2. Gabr. in d.lect. 28. ſub lit.E. Nauarr.in d.cap.fin.num.56. Couarr.vbi ſupra. num.2. & aliorum alibi. Non valet hoc argumentum, aut talis conſecutio. Ille vadit ad chorum propter diſtributionem pecuniæ, alias non iturus: aut talis celebrat, alias non celebraturus, niſi pitantia diſtribueretur. Igitur eſt ſimoniacus. Sed oportet addere prout Gabriel proſequitur, facit hoc principaliter propter pecunias. Hoc autem minimè facit, qui refert actum ſuum, actu vel virtute in Deum, & eius honorē, & pecunias in ſuſtentationem ſuam, vt melius diuinis officijs, pijſque operibus vacare valeat. Exemplum ad illuſtrandum diſcrimen inter cauſam principalem, ac impulſiuam ſiue excitantem adhibent. Nauarr. & Couarr. ex l. 1. §. Sexum. iuncta Gloſ.ſuper verb.Origo.ff.de poſtulando. Mulieres prohibentur pro alijs poſtulare, cuius prohibitionis cauſa finalis, ne contra pudicitiam ſexui congruentem, vt Vlpian.in l.loquitur, alienis cauſis ſe immiſceant: nec virilibus officijs fungantur mulieres. Cauſa autem impulſiua l.fuit improbitas Calphurniæ feminę, quæ inuerecundem poſtulans inquietabat, vt lex ſatis declarat. Si enim impudentia Calphurniæ cauſa finalis, principaliſq; extitiſſet, ea per mortem ſublata, lex ceſſaſſet, aut etiam in proba honeſtaque femina, locum non haberet.

 beret.

beret. Quod tamen non eſt, quia tantum fuit impulſiua, qua etiam ceſſante, lex non deſinit ſuum effectum habere. Sed illud obſeruatione dignum eſt pro iuriſperito, quod obſeruat Andreas Alciat.lib.2.parerg.iuris. cap.38.in d. l. pro Calphurnia. legendum eſſe. Caia Afrania. Meminit enim Valerius Maximus lib.8.c. 3. Caiæ Afraniæ mulieris impudentia abundantis, quæ inuſitatis foro latratibus aſſiduè tribunalia exercebat. Aliud quotidianum & familiare exemplum ponit Nauarr. in hunc modum. Oportebat me adire plateam ob certum negotium, non tamen decreueram hodie mane id facere, ſuperuenit deinde negotiolũ aliquod propter quod plateã adire, mihi hodie mane conueniret: & eo principaliter quidem propter negotium illud prius, minus autem principaliter propter hoc negotiolum, propter quod ſolum non iuiſſem: Id tamẽ alteri adiunctum efficit, vt prius quam alias eſſem aditurus, adeam. Sic Nauarr. Cui exemplo congruit optimè declaratio S. Thomæ in fine, vbi ſupra ait his verbis: Sic enim acceptio diſtributionum non erit cauſa quare ad Eccleſiam vadat: ſed propriè huiuſmodi determinatio quare nunc vadat, & non alia vice.

Tertia Concluſio, Simonia quæ committitur ab eo, qui vadit ad horas canonicas, aut diuinum officium principaliter ob lucrum diſtributionũ, mentalis eſt, nec obligat ad reſtitutionem perceptarum, ſed pœnitentia abole-

tur.

tur. Hæc eſt communis DD. Ratio, quia ſimonia mentalis nō obligat ad reſtitutionem, ſed pœnitentia tollitur per cap.fin.infra.Hinc Gloſſ. in c.vnico. de cler. non reſident. quando vult non eſſe veram ſimoniā, ſi quis principaliter ad horas canonicas vadit ob quotidianas diſtributiones, intelligenda, non eſſe veram ſimoniam realem, & perfectam, quæ ſubiaceat pœnis Eccleſiaſticis latis contra ſimoniacos. Ex dictis concluſionibus ſatis conſtare poteſt, quomodo rectificanda ſit intentio ab eo, qui viſitat diuina officia, ex quibus lucra temporalia expectantur. Attendat tamē quilibet diligenter, vt bene Gabriel admonet, ne mentiatur ſibi iniquitas, ſubtiles enim ſunt hominis affectus, & ſic ſæpè fingitur quod non eſt in rei veritate, Deus autem qui etiam interiora noſtra videt, omnia diſcernit pro ſyncera intentione, & non pro deprauato mentis affectu.

QVÆSTIO II.

An pro exequijs, anniuerſarijs, aut celebrationibus miſſarum licitum ſit ſine crimine ſimoniæ pecuniam, aut aliquid temporali pretio dignum recipere?

DE hac materia tractāt Gerſ. in tract. de ſolicitudine Eccleſiaſticorū ad fratres Cœle-

Cæleſtinos. Scot. in quodlibeto 20. Gabr. ſuper canone miſſæ. lect.28. Innocent. in cap. 3. Ne prælati vices ſuas. latè Ioan. Imolen. in c. Significatum. de præbend. Panormit. Anton. Hoſtienſ. Ioan. Andr. & alij ibidem.

Prima Concluſio. Si quis intenderet pecunia, aut aliquo temporali, vt pretio, anniuerſaria, aut miſſarum celebrationes comparare, ſimoniam committeret. Eſt omnium concluſio, & ratio clara eſt. Quia ſimoniacum eſt emere vel vendere rem ſpiritualem. At miſſas celebrare actus eſt ſpiritualis, conſequens poteſtatem facultatemque ſupernaturaliter collatam, & ordinatus ad effectum ſpiritualem.

Secunda Concluſio. Quando ſacerdos ſe obligat ad celebrandum in certo loco, & tempore, pro tali obligatione poteſt pecuniam recipere, & exigere, imo & paciſci, hæc concluſio communiter nunc à DD. recepta eſt. Talis enim obligatio res temporalis eſt, & oneroſa. Ergo, pro ea aliquid temporale ex pacto recipere, non eſt ſimonia. facit etiam cap. Significatum. de præbend. cum ibi notatis à DD.

Tertia Concluſio. Qui dant eleemoſinas alicui Eccleſiæ, aut loco pio adiecta conditione, vt anniuerſaria, aut certa opera pia certis temporibus, & locis ſtatutis annuatim fiant, nec dantes, nec recipientes, committunt ſimoniã, modo intentio recta ſit. Scot. in quodlibet. 20. Gabr. ſuper can. miſſæ lect. 28. Gerſ. in d. tract. part. 19. & alij alibi. Concluſio conſtat ex d. cap. Sig-

cap. Significatum. & DD. ibidem. & Concilio Trident. ſeſſ. 25. cap. 4. de reformat. nec non etiam ex recepta totius Eccleſiæ conſuetudine, cui contradicere temerarium eſt. Intentio autem rectè fundanda eſt in largitione, acceptioneque talis eleemoſinæ, vt non detur, accipiaturq; tanquam pretium rerum ſpiritualium, quæ temporalem æſtimationem ſuperant, ſed pro ſuſtentatione, & cauſa excitatiua ad opera pia. Qui enim ſeminant ſpiritualia, metere ad ſuam neceſſitatem poſſunt temporalia.

Quarta Concluſio. Recipientes ſic eleemoſinas, eorumque ſucceſſores obligantur adimplere onera & opera pia, quæ adijciuntur talibus eleemoſynarum erogationibus. Hanc tenent Scot. Gabriel. & alij loc. cit. Richard. in 4. d. 25. art. 3. quæſt. 2. Paludan. ibid. q. vlt. art. 2. concl. 2. & alij communiter, conſtat ex d. cap. Significatum. & Concil. Trident. Dubitare aliquis poſſit, an recipienti ſic temporalia cum obligatione, liceat recedere ab onere impoſito, & obligatione. Idem dubium locum habere poteſt in ſucceſſore: exempli gratia. Quidam Prior monaſterij accepit eleemoſinam cum onere anniuerſarij, aliorumque piorum operum, poſt quinquaginta annos ſucceſſor cum conuentu non vult complere, ſed recedere ab oligatione. Gerſon. in d. tract. partic. 25. & ſeq. & poſt eum Gabr. tres ponunt caſus, in quibus huiuſmodi obligatio pro parte, aut

toto

toto ceſſat. Primus eſt neceſſitatis, quandò aliquis redditur impotens, aut infirmus: aut Eccleſiæ pereunt, vel hæreditates & reditus, quibus miniſtri talis Eccleſię, vel beneficij ſuſtentandi eſſent, perduntur aut ab hoſtibus occupantur. Quando aliqua fundatio ita erecta eſt, vt beneficium poſſidens quotidie celebret, aut tot miſſas in ſeptimana, ſi reditus communiter pro ſuſtentatione talis perſonæ ſufficiant, intelligitur ſecundum ius, vt celebret quanto frequentius poteſt, ſalua honeſtate ac debita deuotione: nec non ſtante corporis firma valetudine, quæ ad celebrandum ſine periculo neceſſaria eſt, vt colligitur ex DD. in d. cap. Significatum. Si autem onus adiunctum foret celebrandi per ſe, vel alium, & reditus ſufficerent, tunc alia ratio foret. Secundus eſt caſus, vrgentis vtilitatis, quæ ex temporis ſucceſſu poſſit quandoque prouenire, vbi oporteret, quod alia ratio pactum reformaret prout canoniſtæ loquuntur. Exempli gratia, quidam fundauit ſingulis diebus miſſam pro defunctis, fit conuentus populi ad audiendam miſſam in die paſchæ, aut pentecoſtes, nec eſt alius ſacerdos qui celebret, ratio dictat, & temporis celebritas perſuadet, vt non ſit legenda vel cantanda miſſa pro defunctis, ſed de ſolemni feſto. Tertius caſus eſt, quando ex poteſtate ſuperioris habentis ordinariam, aut delegatam facultatem, iuſta, rationabilique de cauſa diſpenſatione tollitur obligatio

ligatio pro parte, aut toto. Huc ſpectat Concil. Trident. loco cit. dum vult, quod quando eleemoſynæ adeò tenues ſunt, quod non facile inueniatur, qui ſe muneri ſubijcere velit, Epiſcopi in ſynodo diœceſana, nec non Abbates ac Generales ordinum in ſuis capitulis generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia ſtatuere circa hæc prout viderint magis expedire ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum vtilitatem: ita tamen vt eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios vſus reliquerunt.

CAPVT XXX.

Si per accuſationem conſtat monachum ſimoniacè fuiſſe receptum: receptus & recipiens deponuntur. Si verò per inquiſitionem receptus, in arctius monaſterium detruditur: recipienti verò & maioribus pœna condigna imponitur: & interim ab executione ordinum ſacrorum ſuſpenduntur.

Idem Cantuarienſi Archiepiſcopo.

Dilectus filius A. nuncius tuus pro parte tua propoſuit: quod cum Cantuarien. diocœ-

diocœſim viſitans, in monaſterijs & religioſis locis pullulaſſe repereris ſimoniacam prauitatem: ita quod in eis multi pretio ſunt recepti, qui potius gratis recipi debuiſſent: imo etiam ad religionis obſeruantiam inuitari.

Dubitas igitur an (quia multitudo reperitur in cauſa) ſeueritati ſit aliquid detrahendum? Nos inquiſ. t. t. r. quod ſi aduerſus eos qui labe fuerint huiuſmodi maculati, accuſatio coram te fuerit canonicè inſtituta: poſtquam crimen ordine fuerit iudiciario patefactum: tam in dantes quam in recipientes canonicę ſeueritatis exerceas vltionem. Quod ſi de hoc tibi per ſolam inquiſitionẽ conſtiterit eos, qui per ſimoniacam prauitatẽ in locis talibus ſũt recepti: ab illis amotos ad agendã pœnitentiã ad monaſteria dirigas arctiora. Abbatibus autem & Abbatiſſis, Prioribus, Prælatis quibuslibet, & Officialibus eorundem, iniungas pœnitentiam competentem, & donec illam peregerint: eos à ſacrorum ordinum executione ſuſpendas. Iniungens Epiſcopis tuis vt hanc formam per ſuas diocœſes ſtudeant obſeruare. Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum.

Caſus ſecundum Gloſſ. & Panormit. talis eſt. Archiepiſcopus Cantuarienſis, dum ipſe ſuam diocœſim viſitaret, in monaſterijs & alijs locis religioſis inuenit pullulaſſe ſimoniacam prauitatem: ita quod in eis multi pretio eſſent recepti, qui gratis recipi debuerunt

Se

Sed quia multitudo erat in cauſa, quæſiuit à Papa, an ſeueritati ſit aliquid detrahendum? Et ipſe reſpondit, quod ſi prædicti coram ipſo fuerunt accuſati, poſtquam crimen ordine iudiciario fuerit comprobatum: tam dantes quam recipientes canonica pœna puniat. Si autem per ſolam inquiſitionem de hoc ſibi conſtiterit, illos qui per ſimoniam in talibus locis recepti ſunt, inde remoueat, & ad monaſteria arctiora ad pœnitentiam peragendam dirigat, & Abbatibus, Prioribus, Prælatis quibuslibet, & Officialibus eorundem, iniungat pœnitentiam competentem, & donec illam peregerint ab executione ſacrorum ordinum ſuſpendat eoſdem. Iniungens Epiſcopis ſuis, vt hanc formam per ſuas diocœſes faciant obſeruari. Tamen ſi gratis ſine aliqua taxatione fuerit eis aliquid oblatum, illud gratanter recipi poterit.

Notandum inprimis, quod crimen grauius punitur deductum in notitiam per accuſationem, quam per inquiſitionem: quia in hoc c. de quibus per accuſationem conſtat ſimoniam commiſiſſe, tam recepti quam recipientes deponuntur. Quando autem per inquiſitionem cognoſcuntur recepti ad monaſteria per ſimoniam, amouentur ab eiſdem monaſterijs, & in arctioribus collocantur ad agendam pœnitentiam. Si autem arctiora non ſint, mutabuntur ad æqualia, vel poſt renunciationem ſuorum locorũ diſpenſatiuè in ſuis monaſte-

rijs de nouo recipientur, & vltimi in omnibus erunt, iuxta Innocent. Panormit. & alios DD. Hodie tamen vt Gloſſ. hic ſuper verb. Amotos, ſignificare videtur, in hoc ſtandum diſpoſitioni cap. Quoniam. infra eod.

Secundò, Propter multitudinem peccantium aliquando detrahendum aliquid ſeueritati. Quod quomodo & quando veritatem contineat videndi Cardin. Alexand. Turrecrem. & alij cum Gloſſ. in cap. Commeſſationes. d. 44. DD. cum Gloſſ. in cap. Latores. de clerico excommun. vel depoſ. Bartol. in l. Aut facta. §. Nonnunquam. ff. de pœnis. Nicolaus Boërius in tract. de ſeditioſis. in ſeptimo & vltimo præſuppoſito. Ioan. ab Anania & Felin hic. D. Thomas breuiter & optimè 2.2. q. 108 art. 1. ad 5. Alphonſ. à Caſtro lib. 2. de iuſta hæretic. punit. cap. 14. prope finem, & poſt hos nos in l. Multi. q. 1. Cod. de maleficis & mathemat. de hac re ſcripſimus. Sed quia hæc propriè hanc materiam non tangunt, lectorem remittimus.

Tertiò, Multis hic Panorm. Cardin. Felin. & alij proſequuntur. An vniuerſitas, ciuitas, aut collegium poſſit delinquere, & puniri, & qualiter puniatur: ſed quia parum ad pręſens propoſitum faciunt, omittimus remittendo ad prædictos auctores. Tractant etiam idem argumentum Bartol. in d. l. Aut facta. Boër. in præſuppoſito d. 7. Anton. Gomez. variar. reſolut. tomo 3. de delictis, cap. 1. à num. 52. Iu.

Claru

Clarus lib. 5. ſentent. §. fin. q. 16. Didac. Couar. lib. 2. variar. reſolut. cap. 8. num. 9. quærens quare in vniuerſitatem non poſſit ſententia excommunicationis ferri iuxta cap. Romana. de ſentent. excomm. in 6. Damhoud. in practica crimin. cap. 63. & alij alibi.

Quartò, In receptione ad religionem ſi quid gratis offeratur ſine taxatione, pactoque, modo intentio tam in dante quam in recipiente recta ſit, poterit recipi ſine ſimonia.

CAPVT XXXI.

Abbas contra teſtes qui depoſuerunt contra eum de ſimonia in iudicio inquiſitionis excipere poteſt, quod ſunt inimici & conſpiratores: alias verò exceptiones criminum opponere non poteſt.

Idem Priori ſancti Victoris, magiſtris I. Bononien. & L. Modicen. canonicis.

LIcet Heli ſummus ſacerdos in ſe bonus exiſteret: quia tamē filiorū exceſſus efficaciter nō corripuit, & in ſe pariter, & in ipſis animaduerſionis diuinæ vindictā excepit: dū filijs eius in bello peremptis, ipſe de ſella corruēs fractis ceruicib. expirauit. Ad corrigēdos

igitur ſubditorum exceſſus, tanto diligentius debet prælatus exurgere, quanto damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas. Contra quos (vt de notorijs exceſſibus taceatur) & ſi tribus modis procedi poſſit, per accuſationem videlicet, denunciationem & inquiſitionem ipſorum: Vt tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela: ſicut accuſationem, legitima præcedere debet inſcriptio, ſi & denuntiationem charitatiua correctio, & inquiſitionem clamoſa debet inſinuatio præuenire. Deſcendam (inquit Dominus) & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, ope re compleuerint. Tunc enim clamor perue nit ad Prælatum, cum per publicam famam aut inſinuationem frequentem, ſubditorum referuntur exceſſus: & tunc debet deſcende re & videre, id eſt, mittere & inquirere vtrum clamorem qui venit, veritas comitetur. Nam iuxta canonicas ſanctiones ſi quid de quo cumque clerico ad aures Prælati peruenerit quod eum iuſtè poſſit offendere, non facil credere debet, nec ad vindictam cum res e incognita: ſed coram Eccleſiæ ſenioribus, di ligenter eſt veritas perſcrutanda, vt ſi rei po poſcerit qualitas, canonica diſtrictio culpa feriat delinquentis; non tanquam ſit idem ac cuſator, & iudex, ſed quaſi fama deferente, v denunciante clamore, ſui officij debitum ex quatur: eo ſemper adhibito moderamine, iuxta iudicij formam, ſententiæ quoque fo

ma d

ma dictetur. Cum igitur de Abbate Pompoſiano ea nobis frequenter inſinuata fuiſſent, quæ ab honeſtate regulari nimium diſſonabant, monachis ad præſentiam noſtram accedentibus, quidam ex ipſis nobis ipſum Abbatem de ſimonia, periurio, dilapidatione, ac inſufficientia detulerunt. Contra quoſdā cum idem Abbas exciperet, quod denunciationem huiuſmodi fraterna correctio, ſecundum regulam Euangelicam non præceſſerat, & ijdem conſtanter aſſererent, quod correctionem huiuſmodi præmiſiſſent. Licet ad probandum hæc duorum monachorum iuramenta fuiſſent exhibita: quia tamen ſuper hoc ipſi nondū contendere deſiſtebant. Nos vt prædiximus frequentibus clamoribus excitati, ex officio noſtro voluimus inquirere de præmiſſis; omnes monachos, qui vel cum ipſo, vel contra ipſum acceſſerant iuramenti vinculo aſtringentes, vt de propoſitis plenam quam ſcirent exponerent veritatem, quorum depoſitiones in ſcripturis redactæ cum publicatæ fuiſſent, ſuper illis cæperunt multipliciter diſputare. Quia verò tum ex aſſertione monachorum, tum ex ipſius Abbatis confeſſione cognouimus, quod idem non modicam ſummam pecuniæ relictam à prædeceſſore ſuo expenderat, & in alia ſumma maiori monaſterium obligarat: Nos eum quaſi de dilapidatione ſuſpectum, ab adminiſtratione Abbatiæ duximus ſuſpendendum; & quia ſimo-

nia multis modis cõtra ipſum Abbatẽ videbatur eſſe ꝓbata: ipſe cõtra teſtes multas exceptiones oppoſuit, ſuper ꝗbus fuit multipliciter diſputatũ: alijs aſſerentibus in crimine ſimoniæ, ſicut in criminibus læſæ maieſtatis omnes indifferenter, tam infames quam criminoſos, non ſolum ad accuſandum, ſed etiam ad teſtificandum admittendos, cum ad inſtar publici criminis & læſæ maieſtatis procedat accuſatio ſimoniæ, alijs è contrario reſpondentibus, quod licet hæc duo crimina quantum ad accuſationem quaſi paria iudicentur, differunt tamen in multis, cum alia pœna pro vno, & alia pro altero inferatur, & inter perſonas accuſatorum & teſtium ſit vtique diſtinguendum. cum non per accuſatores, ſed per teſtes crimina comprobentur. Ne verò innocentiæ puritas confuſa ſuccumberet, vel ſimoniæ prauitas effugeret impunita. Nos æquitate penſata, illas dumtaxat exceptiones oppoſitas probandas admiſimus quæ probatæ, non de zelo iuſtitiæ, ſed de malignitatis fomite procedere viderentur.

Caſus ſecundum Gloſſ. Oſtendit Papa, quod prælati tanto diligentius ſubditorum exceſſus corrigere debent: quanto eorum offenſas damnabilius deſerunt incorrectas. Quod oſtendit exemplo Heli, qui licet in ſe bonus exiſteret: quia tamen filiorum exceſſus non corripuit, & in ſe, & in ipſis vindictam accepit: Prælatus enim contra ſubditos tri-

tos tribus modis (exceptis notorijs) procedere poteſt, per accuſationem, denunciationem, & inquiſitionem ipſorum, ita videlicet quod accuſationem præcedat inſcriptio, denunciationem admonitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio, & hoc probatur auctoritate Domini, dicentis : Deſcendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint : Cum clamor peruenit ad prælatum, deſcendere debet & inquirere, & videre an veritas ſic ſe habeat, & hoc idem oſtendit per canonem antiquum : Si quid de quocunque clerico ad aures prælati peruenerit, quod iuſtè offendere poſſit, non ſtatim credat, ſed prius cum canonicis ſuis veritatem inquirat, vt ſi culpam inuenerit, ipſam puniat, non tanquam ipſe ſit accuſator, & iudex, ſed fama deferente ſuum officium exequatur, ita videlicet, vt iuxta iudicij formam ſententia formetur : his præmiſſis deſcendit ad caſum qui talis eſt, & ſequitur ibi in textu : (Cum igitur de Abbate Pompoſiano) Abbas Pompoſianus erat infamatus apud dominum Papam de ſimonia, dilapidatione, periurio, & inſufficientia : Quidam monachi Pompoſiani, ſuper his denunciauerunt ipſum Abbatem domino Papæ : contra quos Abbas excepit, quod denunciationem huiuſmodi fraterna correctio non præceſſit, ſecundum regulam Euangelij : ſed monachi aſſerebant, ſe

 illum

illum præmonuiſſe, & ad hoc probandum induxerunt duos monachos: ſed quia ſuper hoc contendere non deſiſtebant, Papa ex officio ſuo voluit inquirere de præmiſſis. Vnde ſuper prædictis criminibus recepit iuramenta monachorum, tam qui contra ipſum, quam qui pro ipſo venerant: quorum depoſitionibus publicatis, cœperunt diſputare ſuper illis: ſed quia per dicta illorum, & confeſſionem Abbatis conſtitit Papæ, quod Abbas quandam ſummam pecuniæ ab anteceſſore ſuo dimiſſam expenderat, & in alia maiori, monaſterium obligauerat: propter hoc Papa ipſum tanquam de dilapidatione ſuſpectum, ſuſpendit ab adminiſtratione: ſed quia ſimonia multis modis videbatur probata, Abbas contra teſtes multas exceptiones oppoſuit, videlicet conſpirationes, & inimicitias capitales, furtum & adulterium, vt eos à teſtimonio remoueret: ſuper quibus ſatis fuit diſputatum: quidam dicebant quod omnes indifferenter erant admittendi, cum accuſatio ſimoniæ ad inſtar criminis læſæ maieſtatis procedat: Alij verò contrarium dicebant: quia licet crimina iſta quantum ad accuſationem paria iudicentur, differunt tamen in multis: præterea diſtinguendum eſt inter accuſatores & teſtes. Papa verò æquitate penſata, ne innocens ſuccumberet: vel prauitas ſimoniæ effugeret impunita: illas exceptiones tantum admiſit, quæ ſi probentur, teſtes ipſi non zelo iuſti-

lo iuſtitiæ, ſed ex odio procedere viderentur.

Notandum primò. Hiſtoriam Heli & filiorum ſuorum deſcribi libr. 1. Regum. cap. 4. Quare etiam filij Heli Ophni & Phinees morte puniti, & pater quoque fractis ceruicibus de ſella in terram mortuus ceciderit, meminerunt D. Chryſoſt. homil. 17. ſuper Matth. prope finem. & homil. 9. in 1. ad Timoth. D. Hieronym. in epiſt. ad Epheſ. cuius verba referuntur à Gratiano d. 37. cap. Legant. & quid ſignificet mors Heli, filiorumque eius tradit D. Auguſtin. lib. 17. de Ciuitate Dei. cap. 5.

Secundò, Prælatis ex officio incumbit ſubditorum corrigere exceſſus, etſi neglexerint, ſanguis eorum de manibus prælatorum requiretur, & duriſſima exigetur ratio in die iudicij. argum. cap. Irrefragabili. de officio ordinar. & cap. Qualiter & quando. de accuſat.

Tertiò, De tribus modis procedendi contra crimino ſos, & forma ſeruanda plenè agitur à DD. cum textu ſupra in titu. de accuſat. inquiſitionibus & denunciationib. proinde alienum eſt à propoſito hoc loco illam materiam, quæ longè lateque diffunditur, diſcutere.

Quartò, Abbas, vel Prælatus propter crimina, dilapidationem aut regendi inſufficientiam, à ſubditis poteſt deferri ad ſuperiorem, modò recta intentione, & debito ordine id fiat.

Quintò, Abbas de dilapidatione probabiliter ſuſpectus, ab adminiſtratione Abbatiæ ſuſpendendus eſt, donec oportuno remedio ei prouideatur.

Sextò, Simonia eſt de grauiſſimis criminibus, quandoquidem inſtar publici criminis, & læſæ maieſtatis ſimoniæ accuſatio procedit. Differunt tamen in multis crimen læſæ maieſtatis & ſimonia.

Septimò, Quales teſtes admittantur in ſimoniæ probatione, & qui reprobandi plenius tractabitur in cap. ſeq. quod præſenti ratione coniunctionis materiæ annectitur, eiuſque quædam declaratio eſt. Præterea à DD. quædam in hoc capite tanguntur minimè congrua tractatui ſimoniæ, vnde conſulto ea tranſimus.

CAPVT XXXII.

Hoc capitulum eſt gloſſa præcedentis: nam tendit ad declarationem illius, an & quando teſtes criminoſi admittantur in crimine ſimoniæ: & in effectu idem dicit, quod præcedens.

Idem.

PEr tuas nobis literas intimaſti, te dubitare ſuper quadam epiſtola decretali, quam

quam nos aſſeris edidiſſe, de teſtibus admittendis contra ſimoniacam prauitatem. Noueris igitur, quod nos illam epiſtolam, quæ ſic incipit, Quamuis ad abolendum, nequaquam edidimus: ſed aliam, quæ ſic incipit: Licet Heli. nos edidiſſe fatemur: ad cuius intelligentiam credimus diſtinguendum, vtrum is, contra quem agitur de ſimoniaca prauitate, denuncietur ſimpliciter, aut criminaliter accuſetur: & vtrum agatur ſecundum iuris rigorem, an ſecundum temperantiam æquitatis. Item vtrum ipſe ſit regularis qui iam renuntiauerit mundo, an ſæcularis, qui adhuc in mundo exiſtit: & an inferioris gradus, an excellentioris ſit dignitatis. Adhæc vtrum ante fuiſſet claræ opinionis & bonæ famæ, an grauiter infamatus, & valdè ſuſpectus, & vtrum de facili poſſit puniri, an ſine ſcandalo nequeat condemnari. Præterea vtrum teſtes ſint honeſti, an criminoſi: & an ſint emendati de crimine, an adhuc in crimine perſeuerent. Rurſus ſi crimina ſint eadem, vel minora, an paria vel maiora: vtrumne teſtes ex zelo iuſtitiæ, an ex malignitatis fomite depoſuiſſe credantur. Denique vtrum ad prauitatem ſimoniacam detegendam ſola dicta teſtium inducantur, an alia etiam adminicula ſuffragentur. Hæc omnia ſunt ad intelligentiam illius epiſtolæ diſtinguenda. Ille quuidem Pompoſianus Abbas, qui iam pridem renuntiauit mundo, erat de

ſimonia,

ſimonia, periurio, dilapidatione, ac inſufficientia grauiter infamatus. Cumque per monachos, qui iurauerunt perhibere teſtimonium veritati, ſimonia multis modis videretur eſſe probata, ipſe contra teſtes multas exceptiones oppoſuit, conſpirationes videlicet, inimicitias capitales, furtum & adulterium, vt eos à teſtimonio remoueret. Nos verò (ne innocentiæ puritas confuſa ſuccūberet; vel ſimoniæ grauitas effugeret impunita) illas dūtaxat exceptiones ꝓbandas admiſimus, quibus fortè probatis, teſtes non zelo iuſtitię, sed malignitatis fomite ꝓceſſiſſe conſtaret, vt cōſpirationes & inimicitias capitales, cæteras aūt exceptiones, vt furti, & adulterij propter immanitatem hęreſis ſimoniacæ (ad cuius comparationem cętera crimina quaſi pro nihilo reputantur) duximus repellendas: quoniam & ſi de probata fide teſtium debilitarent in aliquo, non tamen euacuarunt ex toto, alijs adminiculis ſuffragantibus, præſertim cum teſtes de crimine fuerint emendati. Tales igitur contra talem, taliter duximus admittendos, non ſecundum rigorem iuris, ſed ſecundum temperantiam æquitatis; cum ageretur non criminaliter, vt deponeretur ab ordine: ſed ciuiliter, vt ab adminiſtratione amoueretur, tanquam immeritus, & damnoſus. Et vtique tales prælati, ex leuioribus cauſis poſſunt ab adminiſtrationibus amoueri, ſicut quorundam religioſorum approbata conſuetudo depoſcit. Vnde

prædi-

prædictus Abbas non exſpectata ſententia, quaſi malè conſcius ſibi ceſſit.

Caſus. In pręcedenti decretali dicitur, quod Abbas Pompoſianus plures exceptiones oppoſuit contra teſtes inductos contra ipſum ſuper crimine ſimoniæ, & Papa quaſdam admiſit, quaſdam verò non: Vnde videbatur, quod teſtes criminoſi admitterentur in crimine ſimoniæ: Quæſitum fuit à Papa, qualiter decretalis illa eſſet intelligenda? Reſpondet Papa dicens, quod illam decretalem, Licet Heli, edidit: ad cuius intelligentiam ſic diſtinguit. Primò circa modum agendi: Vtrum agatur in crimine ſimoniæ criminaliter, aut ciuiliter: etſi ciuiliter agatur: vtrũ de rigore, aut æquitate. Secundò diſtinguit circa perſonam, contra quam proceditur, vtrum ſit regularis, an ſecularis: & ſi ſit regularis, vtrum ſit inferioris gradus, aut excellentioris dignitatis, & an ille idem ſit bonæ opinionis, vel malæ famæ, & vtrum etiam poſſit puniri de facili, an ſine ſcandalo non poſſit condemnari. Tertiò diſtinguit circa perſonas teſtium, vtrum ſint honeſti, vel criminoſi: vel emendati de crimine, an adhuc perſeuerent in ipſo, & an ipſi teſtificentur ex charitate, vel odio. Quartò, quæ crimina obijciantur teſtibus: vtrum eadem, vel minora: an paria, vel maiora. Quintò, an ſint alia adminicula, quæ adiuuent teſtes. Recollige illos quinque modos quantum ad alteram partem. Si ergo agatur ciuili-

ciuiliter de crimine ſimoniæ ſecundum æquitatem, & perſona contra quam agatur, ſit regularis, & inferioris gradus, & malæ famæ: & de facili poſſit puniri, & adſint alia adminicula, vt contingit in Abbate Pompoſiano, qui eſt perſona regularis, & grauiter infamatus: & qui de facili potuit remoueri: contra talem perſonam ſecundum Laur. teſtes qui emendati ſunt de crimine, vel ſecundum alios qui adhuc in crimine perſeuerant cum alijs adminiculis, vtpote furti, adulterij, quæ ſunt minora crimina: & qui ex charitate deponunt, & habent alia adminicula, admittuntur in crimine ſimoniæ propter criminis enormitatem: & teſtes tales admiſſi fuerunt contra illum Abbatem Pompoſianum, non obſtantibus exceptionibus furti & adulterij: alias verò exceptiones, id eſt, conſpirationes & inimicitias capitales, Papa probandas admiſit: quia eis probatis patet, quod ex odio teſtificantur, & ſic debet intelligi decretalis præmiſſa, Licet Heli, quantum ad teſtium receptionem contra ſimoniacam prauitatem: quia ille Abbas grauiter infamatus denunciabatur ſimpliciter ſecundum æquitatem, vt remoueretur ſolummodo ab Abbatiæ adminiſtratione, & de facili poterat remoueri: Vnde ipſe non expectata ſententia ceſſit. Ergo intellige à contrario, ſi perſona contra quam taliter agitur de ſimonia, non ſit talis: tales te-

les teſtes nullo modo admittuntur. ſic Gloſſ.

Notandum primò, declarationem iuris obſcuri ſpectare ad conditorem eiuſdem, Antonius, Felinus, & alij quidam hic in principio. Panormitanus in cap. Cum olim. notab. 2. de arbitr. Bartolus in l. Omnes populi. ff. de iuſtitia & iure. Baldus in l. Leges. Cod. de legibus. & in l. 1. columna finali. ff. de conſtitut. princip. Angelus, & Ioann. Imol. in l. Ex facto. in principio. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtitut. Iaſon ibid. numero 4. & pro hoc dicto ſunt text. hic. & cap. Inter alia. de ſentent. excommun. & cap. 1. de poſtulat. prælat. cap. Ex his. 11. quæſt. 1. & in l. fin. Cod. de legibus. & in dicta l. Ex facto. in text. ibi. Beneficia quidem principalia ipſi principes.

Not. 2. Aliam eſſe rationem quando agitur contra ſimoniacum criminaliter: aliam quando ciuiliter. Pro quorum terminorum notitia obſeruanda illa regula poſita à Roberto Maranta in ſpeculo aureo parte 4. diſtinct. 1. num. 32. vbicunque ex delicto agitur vt quis puniatur, non pœna ordinaria & naturali introducta, pro illo delicto, ſed vt priuetur aliquo officio, adminiſtratione, vel dignitate, illa cauſa dicitur ciuilis, non autem criminalis, licet agatur ex delicto, ex quo non agitur ad vindictam publicam, vt quis puniatur pœna condigna, per text. in hoc cap. Panormitanus & Felinus hic. Iidem in capite

Super.

Super his. de accuſat. Ioann. ab Anania ibid.
Philip. Corneus in conſil. 19. colum. 2. in fine
volum. 3. Vnde criminaliter agitur, quoties
ratione criminis ſiue delicti actio intentatur,
vt quis puniatur pœnis iuris ſiue in corpore,
ſiue in pecunia applicanda Fiſco. Similis cen-
ſura videtur ſi agatur principaliter, vt quis in
pœnam priuetur, cum tum delictum pœna
coërceatur. iuxta Franciſc. Aretin. in d. cap.
Super his. colum. 3. & Marant. vbi ſupra. num.
34. Quoties autem nec præcedente accuſatio-
ne, nec exceptione, ſed per viam inquiſitionis
ad priuationem beneficij agitur, cauſa eſt ci-
uilis: quandoquidem non agitur ad princi-
palem pœnam delicti, vt ſentiunt Franciſc.
Aretin. loco cit. Panorm. in cap. fin. colum. vlt.
de purgat. canon. Ioan. Andr. in c. Frequens.
de reſtit. ſpoliat. in 6. Barto. in l. 1. §. Sciendum.
ff. de ſuſpect. tutor. & poſt hos Marant. vbi
ſupra. num. 35. Rectè enim in hoc cap. notab.
1. ait Abbas, quod quando principaliter ſolum
agitur ad remotionem beneficij, tunc non a-
gitur ad puniendum delictum, ſed ad bonum
publicum, vt immeritus & damnoſus non
præſit Eccleſiæ.

Tertiò, Ex text. diligenter obſeruanda ea,
quæ attendenda circa teſtimonia teſtium cri-
minoſorum.

Quartò, Conſpiratores & inimici non ad-
mittuntur etiam in criminibus exceptis, et-
iam grauiſſimis, vt crimine hæreſcos, & læſæ
maieſta-

maieſtatis humanæ. Vbi & hoc cum Panormit. atque alijs quibuſdam mente tenendum, non omnem ſimoniam eſſe hæreſin, ſed eam, quæ credit Spiritum ſanctum pretio poſſe acquiri, & in eo ſenſu intelligendus text. in hoc cap. quando dicit cætera crimina ad comparationem huius pro nihilo reputari. Alia ratio videtur in ſimonia, quæ committitur vt plurimum hiſce noſtris temporibus. Dantes enim nunc pecuniam offerunt vt inducant ſuperiorem ad ordinandum, vel ad conferendum beneficium potius, quam vt exiſtiment ſpiritualia verè pretio emi, aut vendi poſſe, atque hinc etiam iudicium ſumi poteſt, inter crimina ſimoniæ dari latitudinem, atque etiam alia quædam crimina maiora eſſe, quadam ſimoniæ ſpecie, vt patet ex facilitate diſpenſandi iuxta notata in cap. De ſimoniacè. ſupra, vt etiam Abbas hic annotat.

Quintò, Circa Gloſſ. in verb. inimicitias capitales, non omnem inimicitiam eſſe impedimento, vt quis repellatur à ferendo teſtimonio. Quæ autem inimicitia ſit capitalis, aut ſatis grauis ad hunc effectum iudicis diſcreti arbitrio relinquitur, vt tradunt Innocent. & Felin. in cap. Cum oporteat. de accuſat. Marian. Socin. in c. Repellantur. eod. tit. Bartol. in l. 3. §. fin. ff. de teſtib. Bald. in Aucten. Si teſtis productus dicatur. C. de teſtib. colum. 2. & ex recentioribus Anton. Gomez. lib. 3. variar. reſolut. cap. 12. num. 14. Iulius Clarus lib. 5. ſentent.

§.fin. pract. crimin. q.24. num.5. Menoch. de arbitrarijs iudic. qq. caſ.110. lib.2. & ita tenen omnes DD. & in hoc reſident teſte Felino in d. cap. Repellantur. Cenſetur autem à DD inimicitia capitalis, quando mors eſt intentata, inter teſtem, & eum contra quem producitur, aut via ad mortem præparata, vt latè oſtendit Franc. Pegna in 3. part. directorij Inquiſit. q. 67. comment. 116. aut inimicitia eſt orta ob conſanguineos occiſos. Idem eſt iudicium de ea inimicitia, quæ originem ſumpſi ex ſolis minis de occidendo. Panormitan. in d cap. Repellantur. num. 4. Cardin. & Ioan. ab Anania in d. cap. Cum oporteat. Alexand. in conſil. 14. incip. Ponderatis narratis. lib. 3 Marſil. in l.1. §. Præterea. ff. de quæſtionib. Accurt. in l. Licet. in verb. Capitales. ff. de recept arbitr. & alij alibi. Quod maximè obtinet, quando is qui minatus eſt potens eſt, atque ſolitus minas ſuas exequi, vt declarant Marſil. & Ioan. ab Anania. Similiter inimicitia capitalis cenſetur, quæ orta ex hoc quod quis alterum accuſauit de cauſa capitali, vt de homicidio, proditione, graui rapina, aut furto & ſimilibus criminibus, ex quibus pœna mortis imponitur, aut abſciſſio membri, aut publicatio omnium, ſiue maior pars bonorum, aut exilium. Accurſ. in d. l. Licet. verb. Capitales. Panormitan. in dicto cap. Repellantur. & in cap. Accedens. de teſtib. Bartolus in dicta l. ff. de teſtib. Marſil. vbi ſupra. DD. in l. Libe

C. de

C.de inoffic.teſtam.Pegna loc.cit.& poſt alios Ioſeph. Maſcard.volum.2.de probat. concluſ. 898. num. 16. Inimicitia etiam capitalis præſumitur, quando quis mouit alicui litem de omnibus bonis, aut eorum maiori parte. Panormitan. Ioan. ab Anania loc. cit. Felin. in cap. Quoties. colum. 2. de teſtib. Bartolus in l. 3. §.fin. ff.de adimend. leg. Menoch. Pegna & Maſcard. vbi ſupra poſt alios. Poſtremo vt alia omittamus, quæ latius colligit Maſcard. in dicta concluſ. 898. inimicitia capitalis cenſenda eſt, quæ ex graui verborum iniurioſorum prolatione,& illatione naſcitur Bald.in c. Veniens.de iureiurand. Marſ.in d.§.Præterea. poſt num.54.& in conſ.3.incip.Sæpe ac ſæpius decreui.num.12.Iaſ.in l.Procuratoribus. C.de procurat. Pegna & Maſcard. loc. cit. qui duo poſteriores multis hanc materiã perſequuntur. Quod autem dictum eſt inimicum repelli à teſtimonio, intelligendum eſt durante inimicitia. Quandoquidem ſi inimicitia obliuione, antiquitate, reconciliatione amicitiæ, beneuolentiæq; ſignis & effectibus, aut alio modo ſublata, ſepultaq; ſit, nõ poteſt amplius opponi hęc exceptio de inimicitia, vt DD. declarant, & ſatis Gloſſ. hic ſentit ab alijs recepta.

Sextò Not. cum eadem Gloſſ. ſuper verb. Debilitaret. Crimina in teſtibus qui admittuntur, etiam in exceptis criminibus, etſi ex toto à teſtimonio non repellant, quando alijs adminiculis iuuantur, debilitant

tamen teſtimonium, ita vt non tantum probet criminoſus, quantum vir integræ famæ. arg. huius cap. Duo enim criminoſi, etſi in exceptis criminibus ferant teſtimonium, nunquam tamen per ſe plenam faciunt probationem.

*Septimò Not.*cum Gloſſa ſuper verb. Leuioribus. & DD. ibidem, quod regulares prælati facilius & ex leuioribus cauſis amouentur ab adminiſtrationibus & officijs, per text. huius cap. & cap. Qualiter & quando 2. in fin. de accuſationib. Gloſſ. huius dicti duas reddit rationes. In primis quia non ita pingue ius habent regulares, ſicut ſeculares. arg. c. Cum ad monaſterium. de ſtatu monachor. Deinde, quia non eſt tantum ſcandalum pro remotione regularis, ſicut ſecularis: & ſic quorundam religioſorum approbata conſuetudo habet.

QVAESTIO VNICA circa hæc cap.

Quomodo & quibus modis ſimonia probetur?

PRima *Concluſio.* Simoniæ crimen eiſdem modis probatur, quibus quodlibet aliud factum, aut crimen probari poteſt. Hanc concluſionem generatim poſitam amplectitur Ioſephus Maſcard. de probationib. vol. 3. concluſ. 1305. num. 1. poſt Gulielm. Redoan. in tract.

tract.de ſimonia.part.4.cap.6. In hac concluſione non poteſt eſſe dubium. Cum enim hoc crimen ſit è numero exceptorum & grauiſſimorum, certè eiſdem modis comprobatur, quibus alia conuinci ſolent. Continentur autem modi quibus aliquod factum probatur his verſibus.

Aſpectus, ſculptum, teſtis, notoria, ſcriptum.
Iurans, confeſſus, præſumptio, fama probabunt.

Secunda Concluſio. In hoc crimine ſimoniæ probatio per coniecturas, ſiue ſigna, & præſumptiones fieri poteſt. Gloſſ.fin. in cap. Inſinuatum. hoc tit. Abb. ibidem. num. 3. Ioan. ab Anania in cap. Nobis. notab.3. hoc tit. Panormit. & Innocent. in cap. Sicut ſimoniaca. ibid. Philip. Corneus in conſil. 341. incip. Quod dicta dos non debeat reſtitui, non longius à fine. verſic. Sic etiam in probando crimen ſimoniæ. volum.1.arg. cap. Per tuas. Roland. à Valle conſil.31.incip. In cauſa. num.16. vol.3. Crauet. in conſil. 122. Maſcard. & Redoan.loc.cit. Iul.Clarus lib.5. ſent. §.Simonia. & alij alibi. Ratio huius concluſionis redditur à DD. hæc. Simonia eſt ex eorum delictorum numero, quæ occultè committi ſolent, & idcirca difficultas probandi oritur in hoc crimine. Sed in his quæ occultè committuntur, & à communiter accidentibus difficilis ſunt probationis, coniecturæ, indicia, & præſumptiones pro plena probatione recipiuntur, vt receptiſſimum eſt apud iuris interpretes, faciunt

ad hoc cap. Veniens 2. in fin. de teſtib. cap. Michael. de filijs preſbyteror. l. conſenſu. §. Super C. de repud. l. Si vicinis. C. de nupt. l. Licet imperator. ff. de legat. 1. Sic tradunt Bartol. in l. Si quis ex argentarijs. §. fin. ff. de edend. Iaſ. ibid. Idem Bart. in d. l. Licet in princip. Bald. in l. Quicunque. col. penult. C. de ſeruis fugitiuis. & in l. Si quis in hoc genus. C. de epiſc. & cler. & in d. l. Si quis ex argentarijs. §. penult. Marſil. in pract. criminali. §. Principium. num. 12. Panormitanus in cap. fin. not. 2. de teſtib. cogend. Hoſtien. in cap. vlt. Quod metus cauſ. Anton. à Butrio in cap. Veniens 1. de teſtibus. Alexand. in conſil. 64. incip. Viſo themate & dubijs. volum. 1. & in conſil. 146. incip. Viſo themate. vol. 6. Angel. in conſil. 218. incip. Viſa narratione facti. colum. 5. Federic. de Senis conſil. 119. incip. Nulli dubium. ſtatim in princip. & per multa iura Paulus Caſtrenſ. in conſ. 143. incip. Viſis proceſſu & atteſtationibus. n. 5. part. 2. Maſcard. vol. 3 de probat. concl. 1124. num. 8. & ibidem concl. 1147. num. 1. & alij alibi. Quod autem ſimonia ſit de eis quæ ſecretò, clanculumque fiant, & difficilis ſunt probationis docent Corneus in d. conſ. 341. Crauet. in d. conſ. 122. Redoan. in d. c. 6. Ludouic. Gomez. in reg. cancellariæ de triennali poſſeſ. q. 18. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. qq. caſ. 116. num. 11. Maſcard. de probat. vol. 3. concl. 1304. num. 11. 12. & 13. & alij alibi, & id experientia, quæ rerum magiſtra dicitur, compertiſſimum eſt. So-

eſt. Solent enim ſimoniaci quam ſecretiſſimè ſua negotia tractare, & contractus celebrare, niſi ſint in locis vbi præbendæ, & canonicatus impunè, ſine vlla verecundia, tanquam equi, aut aliæ beſtiæ ſunt venales, prout aliquãdo apud quoſdam narratur fieri. Alias à communiter accidentibus exercitium ſimonię ſolet eſſe occultum. Hinc DD. inferunt, quod licet regulariter in alijs criminibus requirãtur probationes luce meridiana clariores ſecundum l. vlt. C. de probat. Ioan. ab Anania in c. Cum contumacia. de hæret. in 6. Iul. Clar. & Maſcard. loc. cit. in crimine tamẽ ſimoniæ ſufficit probatio quę fit per ſigna, & coniecturas, vt eſt text. in c. Sicut. de ſimonia. vt Clar. ait.

Tertia Concluſio. Ad hoc vt ſufficiens ſit probatio ad condemnandum aliquem de crimine ſimoniæ ex ſignis & præſumptionibus, ſigna, ſiue coniecturæ & præſumptiones debent eſſe euidentes, & reum de crimine conuincentes. Gloſſ. fin. ſupra in cap. Inſinuatum. eod. tit. quando ſentit quod exiſtente contra aliquem præſumptione probabili orta ex infamia, indicenda ei ſit purgatio canonica, in qua ſi defecerit, præſumptio probabilis tranſit in violentam, eo quod nõ habeat teſtes ſuæ bonitatis. Ex violenta autem præſumptione, ex mente Gloſſ. poteſt quis condemnari de ſimoniæ crimine. Gloſſ. ibi interpretantur atq; amplectuntur Hoſtien. Panor. Anton. Felin. Ioan. ab Anan. & alij communiter. Iul. Clarus

 & Ma-

& Maſcard.locis cit. Andr. Alciat. in conſil.2. incip. Tria principaliter. lib.1.tomo 1. Et nota quod ſecundum Gloſſ. & DD. præſumptio duplex eſt, probabilis, & violenta. prima non ſufficit ad condemnandum, ſed violenta, quæ reum de crimine conuincit. Panormitan. Felin.& alij in cap. Afferte.de præſumpt. Bald.in addit ad Speculat.in tit.de probat. §.3. verſicu. Quinto per præſumptionem. Ancharan. & Philipp.Franc.in cap.Cum contumacia in explicationem Gloſſę.in verb.Vehementem.de hæret. in 6. Addendum & hoc quod quando aliquis ſignis & præſumptionibus ſimoniæ reus probatur, tunc ſigna & præſumptiones debent plenè probari. Ioan.ab Anania.in cap. Sicut ſimoniaca. hoc tit.num.1. per Innocent. in cap.Literas. de præſumpt.facit etiam Felin. ibid.Maſcard.loc.cit. num.33.

Quarta Concluſio. In crimine ſimoniæ admittuntur teſtes criminoſi cum alijs adminiculis, & conſiderationibus, de quibus in hoc cap. Per tuas. hæc concluſio probatur ex text. cap. & communi DD.ſententia.

Quinta Concluſio. Teſtes alias inhabiles admittuntur etiam ad probandum crimen ſimoniæ. Probatur Concluſio. Teſtes alias inhabiles admittuntur in criminibus exceptis, propter immanitatem criminum. l.famoſi. ff. ad leg.Iul.Maieſt.& hoc cap. Alexand.in conſil.11. incip. Circa primum dubium. n.15. vol. 1. Marſil.in conſil.101. incip. Illumina quæſo. num.

num.16. Speculat. in tit.de accuſat. §.1.in fine. Panormit. in cap. fin. de teſtib. Gloſſ. in l.3. §. Iul. ff. ad leg. Iul. Maieſt. & communiter alibi DD. Sed crimen ſimoniæ eſt de exceptis, vt Rubr.oſtenſum eſt, & DD. communiter tradunt. Ergo. Illud tamen prætereundum non eſt circa hanc concluſionem, quod licet teſtes inhabiles tam in crimine ſimoniæ per cap. Licet Heli, & cap.Per tuas. eod.tit. quam in alijs delictis exceptis admittuntur in ſubſidium,in occultis, & quando aliter veritas haberi non poteſt, tamen in totum & omninò repelluntur & reijciuntur, quando plures defectus, & exceptiones patiuntur.Socin.in conſil.118.incip.Viſa,&c.volum.1. Andr.Barbat.conſil.54. incip.Illud afferam in medium. num. 16. in fine. volum.1. & his allegatis Marſil. in conſil. 102.incip.Pauci ſunt dies.num.12. & in ſingulari 385. Roland. à Valle in conſ. 24. incip. In cauſa præſentis proceſſus.num.61.volum.1. & latius in conſil. 3. incip. In cauſa inquiſitionis. num.51.& in conſil.57.incip. Quia omni iure. num. 41. Anton. Gabriel. in communibus opionibus. in titu.de teſtib.concluſ.7. num.10. Menoch. de arbitrar. iudic. qq. lib. 2. caſu 99. num. 7. Ioſeph. Maſcard. de probat.volum.3. concluſ. 1359. num. fin. & alij plures quos ad longum allegat Roland. Rationem reddunt Socin. & poſt eum Marſil. Sicut plurima adminicula ampliant probationem arg. eorum, quæ habentur in l. Admonendi. ff. de iureiu-

rand. Ita plures defectus annihilant, & deſtruunt, quia contrariorum eſt eadem diſciplina, & quod operatur propoſitum in propoſito, operatur oppoſitum in oppoſito. l. Si vt proponis. C. de nupt. Hinc in crimine ſimoniæ ſi mulier, quæ de iure canonico eſt inhabilis ad ferendum teſtimonium, adduceretur, ſi alium defectum pateretur, vtpote eſſet infamis ex aliquo crimine, poſſit in totum repelli à teſtimonio, cum non vnam ſed duas habeat contra ſe exceptiones. Similis ratio foret, ſi domeſticus, & idem infamis ex aliquo crimine in teſtem produceretur contra notatum ſuſpicione ſimoniæ. Nunquam tamen teſtes inhabiles, per ſe plenam faciunt probationẽ ad condemnandum aliquem in pœnam ordinariam, ſed alia probatione, alijſq; adminiculis indigent ad conuincendum aliquem de crimine ſimoniæ. arg. cap. Licet Heli. & c. Per tuas. hoc tit. Alia tamen ratio eſſet, ſi ſimonia etiam hæreſin inuolueret, quia tunc ob crimen hæreſeos in fidei fauorem, ſi plures quam duo inhabiles & minus idonei contra aliquem producerentur, ſufficerent ad plenam probationem, & condemnationem ordinariam, iuxta c. In fidei fauorem, de hæret. in 6. Tunc tamen conſideratio dirigenda ad ea, quæ in illo c. ponuntur ibi: Si ex veriſimilibus coniecturis, & numero teſtium aut perſonarum, &c. Atque plures quam duos ſufficere ad plenam probationem & condemnationem in pœnam ordinariam

nariam inhabiles teſtes in fauorem fidei poſt alios tradidere Franciſcus Pegna in commentario in director. inquiſitorum part.3. ſchol. 171.col.2. & 3.& Maſcard.de probat. volum. 2. concluſ.857. num. 39.

Sexta Concluſio. Socius criminis in peccato ſimoniæ admittitur contra ſociũ qui ſimoniam commiſit. Hanc docent Innoc.in c.Veniens.de teſtib.Crottus in tract. de teſtib.4.part. n.94.Specul.in tit.de teſte.§.1. verſ.Item quod eſt ſocius.Campegius in tract.de teſtib.reg.86 fallentia 1. Boërius in deciſ. 119. n.2. Menoch. de arbitrar. iudic. qq. lib.2. caſu 474. num. 31. Gulielm.Redoanus de ſimonia, part.4. cap.5. num.28. Maſcard.de probat. vol.3. concl.1311. num.25.& alij alibi faciunt pro concluſione c. Si quis Papa. 89. d. cap.1 de teſtib. in 6. & arg. cap.Veniens 1.de teſtib. Concluſio non habet locum, quando ſocius huiuſmodi eſſet ſocius criminis & muneris, tunc non admitteretur in teſtem per text. in d. cap. Veniens. & DD. ibidem. Redoan. & Maſcardus vbi ſupra. Hinc illi verſus relati à Gloſſa in d. cap. Veniens.

Per teſtem ſocium ſceleris ſimonia probatur,
Muneris & ſceleris ſocius teſtis reprobatur.

Gloſſ. in c. 1. de teſtib. in 6. ponit ad illuſtrandum hoc exemplum. Volebam obtinere ab Epiſcopo Pictauienſi aliquod ſpirituale. Ego ſciens quod ipſe diligebat temporalia, habui aliquem de ſuis familiaribus, & conueni cum

cum tertio vt promitteret Epiſcopo equũ, v
poſſem habere ſpirituale, iſte mediator nihi
accepit, ſed gratis fecit, & ſic dicitur ſocius cri-
minis tantum: Quando autem conuenio
cum mediatore & aliquid temporale do, tunc
talis dicitur ſocius criminis & muneris ſimul.

Septima Concluſio. Inimicus capitalis non
admittitur in teſtẽ in crimine ſimoniæ. Hanc
docent communiter DD. cum text. in hoc
cap. Per tuas. Præterea in atrociſſimis crimi-
nibus exceptis, vt in crimine læſæ maieſtatis,
hæreſeos, &c. inimicus à teſtimonio dicendo
reijcitur. Bartolus in l. In quæſtionibus. ff. ad
leg. Iuliam maieſt. Bald. in l. In his. §. 1. in fine
ff. ſoluto matrim. Romanus in l. Si verò. §. Si
viro. ff. eod. Marſil. in conſil. 20. num. 27. Cra-
uet. in conſil. 9. num. 60. & poſt alios ex Iunio-
ribus Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. fin. practi-
cæ crimin. quæſt. 24. num. 5. Menoch. de arb.
iudic. qq. lib. 1. quæſt. 28. Maſcard. de probat.
vol. 2. concluſ. 899. num. 2. Ergo & in crimine
ſimoniȩ quod his æquiparatur. Si quis quȩrat,
quare in crimine ſimoniæ, & alijs exceptis ſiue
caſibus priuilegiatis alij teſtes inhabiles ad-
mittantur, & inimicus in totum repellatur.
Vt huic dubitationi ſatisfiat, reducendum in
memoriam, quod quædam teſtium exceptio-
nes ſiue inhabilitates ſint iuris naturæ, vt
quod furioſus, aut inimicus non admittantur
ad ferendum teſtimonium. In inimico natu-
raliter, ira, odiumque impediunt animum v
non poſ-

non poſſit cernere verum. Aliæ teſtium exceptiones à conditore legis in lege, ex quadam congruentia ſunt inductæ, vt quod infamis, ſeruus, familiaris, ſocius criminis, &c. non poſſint teſtimonium ferre. His præſuppoſitis reſpondetur propter atrocitatem criminum, & probandi difficultatem in defectum aliarum probationum legem & conditorem eius diſpenſare, vt exceptiones à lege ſtatutæ non impediant. At in eis quæ ſunt legis naturalis non admittitur diſpenſatio, cum non ſit poteſtas diſpenſandi. Ex quo fundamento rectè tradidere Petrus Ancharan. in cap. Paſtoralis. de re iudicata. Philippus Francus in cap. In fidei fauorem. de hæret. in 6. & Andreas Barbat. in tract. de teſtib. num. 42. Pontificem non poſſe diſpenſare vt inimicus teſtimonium ferat. Id quod etiam tetigit Pariſius in conſil. 2. num. 64. lib. 4. dum ex Bartoli auctoritate ſentit iure gentium inimici teſtimonium reijci, ideoque principem facere non poſſe, vt inimici teſtimonium recipiatur: Cui conſentit & Menoch. in d. q. 28. num. 4.

Octaua Concluſio. Periurus reijcitur etiam à ferendo teſtimonio in crimine ſimoniæ, quamuis emendatus ſit à crimine. Sic Gloſſ. in hoc cap. Per tuas. in verb. Adulterij. Panormit. & Ioan. ab Anan. ibidem & alij: atque hanc Gloſſam communiter approbatam poſt Hieronym. Gigantem in tractatu de crimine læſæ maieſtatis ſentiunt Iul. Clarus lib. 5. ſent.

§. Periu-

§. Periurium. num. 7. verſ. Repellitur etiam periurus. & Maſcard. de probat. volum. 3. concluſ. 1168. num. 1. Ratio concluſionis. Quia qui ſemel periurus, ad iuramentum amplius non admittitur: quandoquidem timendum eſt, quod qui ſemel in periurium incidit, iterum ſit deieraturus. 6. quæſt. 1. c. Quicunque 26. quæſt. 5. cap. Paruuli. cap. Literas. de præſumpt. & cap. Teſtimonium. de teſtib. cum annotatis ibidem. Gloſſ. in hoc ſequuntu Panormitan. ibidem. Felin. in cap. Teſtimonium. num. 19. verſ. Tertia concluſio. Crauet in conſil. 6. colum. 4. Philipp. Corneus in conſil. 21. colum. fin. volum. 3. Roland. à Valle conſil. 17. num. 12. & conſil. 73. à num. 10. volum. 1. & in conſil. 98. à num. 13. & ſeq. vbi plures alios allegat, ſicut etiam Maſcard. loco cit. à num. 16. & circa hæc notanda ſingulari animaduerſio Panormit. in hoc cap. Per tuas circa Gloſſ. in verb. Adulterij, quod ſub generali diſpoſitione, qua habilitantur teſte criminoſi, & caueatur vt omnes admittantur non videtur habilitatus periurus, niſi de e ſpecialiter caueatur. Quam obſeruationem Panormit. approbant referendo Crauet. in dicto conſil. 6. num. 16. Roland. in dictis conſil. & Maſcard. in d. concluſ. num. 20.

CAPV

CAPVT XXXIII.

Non imputatur electo confirmato, ſi eo prohibente pro ipſius confirmatione pecunia data fuit.

Idem Abbati Iemblacenſi.

SIcut tuis literis intimaſti: cum in Iemblacenſi Ecleſia fueris monachus: fuiſti tandem promotus ad regimen Eccleſiæ Florenſis, verum Abbate Iemblacenſi, poſt ſublato de medio: ipſa quæ prius te filium habuerat, in patrem per electionem canonicam te vocauit: & quod paſtore carebat Leodienſis Eccleſia cathedralis: ad Colonienſem Eccleſiam quæ tua eſt Metropolis proficiſcens; in Iemblacenſi Eccleſia interim miniſtraſti. Cæterum poſtquam in Leodienſi Eccleſia fuit Epiſcopus inſtitutus: is à te requiſitus electionem de te factam noluit confirmare. Verum cum hæc fieri pro extorquenda pecunia comperiſſes: ſub interminatione anathematis vetuiſti: ne pro facto huiuſmodi aliqua pecunia offerretur. Sed quidam de fratribus te inconſulto & ignorante, contra excommunicationis à te factæ ſententiam venientes: promiſerunt pecuniam: & etiam exſoluerunt, & ſic ab Epiſcopo inuitatus inſtitutionem ab eo accepiſti liberè quemadmodum

modum poſtulabas. Quamuis autem ſecun-dum ſacrorum canonum inſtituta: etiam par-uuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti: eas dimittere teneantur: quod tamen longè diuerſum eſt non prę-bere conſenſum: & expreſſim aliquid prohi-bere: taliter duximus reſpondendum: quam-quam ex eo quod contra prohibitionem & voluntatem tuam, à qua poſtmodum receſ-ſiſti: aliquis te penitus ignorante promiſit pe-cuniam: & exoluit: (præſertim cum is nulla ſit tibi conſanguinitate coniunctus) nihil de-bet tibi ad pœnam vel culpam (ſicut credi-mus) imputari: niſi poſtea conſenſeris pecu-niam ſoluendo promiſſam: aut reddendo ſo-lutam: alioquin contingeret quod alicuius factum inſidias inimico parantis ei damno-ſum exiſteret, cui penitus diſpliceret: & ſic a-liquis de fraude ſua commodum reportaret. Illos autem qui dederunt pecuniam, vel et-iam receperunt: in tantum conſtat eſſe culpa-biles, quod ſi exceſſus eorum eſſet Eccleſiæ manifeſtus: (quæ non iudicat de occultis) pœna eſſent canonica feriendi.

Caſus ſecundum Gloſſ. Vacante Eccleſia Iemblacen. quendam monachum ſuum, vi-rum prouidum & diſcretum elegerunt in Ab-batem, & quia Leodicenſ. Eccleſia cathedra-lis paſtore carebat, ad Colonienſem Eccle-ſiam Metropolitanam ipſius acceſſit, & de li-centia ipſius interim miniſtrauit, & in mona-ſterio

ſterio Iemblacen. Poſtmodum in Leodienſi Eccleſia fuit inſtitutus Epiſcopus, qui requiſitus ab ipſo electo, electionem ipſius noluit confirmare, ſed cõperto quod hoc fiebat pro extorquenda pecunia, protulit excommunicationem, ne pro facto huiuſmodi aliqua pecunia perſoluatur, & qui contra faceret eſſet excommunicatus. Sed quidam de fratribus eius eo ignorante promiſerunt pecuniam & ſoluerunt, & ſic ab Epiſcopo inuitatus confirmationem & inſtitutionem accepit. Poſtea peruenit hoc ad notitiam Abbatis ipſius, dubitauit an poſſit licitè in officio Abbatis miniſtrare: Quæſiuit à Papa quid facere debeberet. Reſpondet Papa: licet ſecundum canones etiam paruuli qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti eas dimittere teneantur: tamen quia aliud eſt, & longè diuerſum non præbere conſenſum: & aliud eſt expreſsè prohibere: Nihil debet ſibi ad pœnam & culpam imputari ex eo, quod contra prohibitionem, & voluntatem ſuam, à qua poſtea non receſſit, alius pecuniam ſoluit eo ignorante, præſertim cum ille non ſit ei aliqua conſanguinitate coniunctus: niſi poſtea conſenſerit ſoluendo pecuniam promiſſam, aut reddendo ſolutam. Alioquin contingeret quod factum alicuius parantis inſidias inimico ſuo ei damnoſum exiſteret, cui omnino diſpliceret, & ſic aliquis de dolo ſuo commodum reportaret. Illi verò qui pecuniam dede-

runt,aut eam receperunt, in tantum culp
les ſunt,quod ſi eorũ exceſſus manifeſtus
Eccleſiæ pœna eſſent canonica feriendi.

Notandum primò. Si pecunia ſoluatur
confirmatione electi, eo ignorante, p
bente, & contradicente, non committit
monia ab eo qui ſic confirmatur, nec e
putatur ad pœnam, aut culpam, niſi
quam ad ſuam cognitionem peruenerit,
ſentiat aut ſoluendo pecuniam promi
aut reddendo ſolutam. Hinc ſi amicus
niam ad extorquendam confirmatione
inueſtituram ſoluiſſet, ignorante & c
dicente electo, ſi electus certior deinde
de ſolutione pecuniæ amico ſolutam re
ret, per proprium conſenſum culpam
nam incurreret.

Secundò Not. Aliquando quod ab
non nocebat,tractu temporis accedent
ſenſu imputatur& ſic ratihabitio in ma
retrotrahitur, & mandato comparatur
reg. iuris in 6. Ratihabitionem retrot
mandato comparari.

Tertiò, Dubitant hic DD. an quanc
firmatio electi fuit pecunia procurata
rante tamen &contradicente electo ta
firmatio ſit nulla & inualida. Anton. à
& quidam alij putant non valere co
tionem ſimoniacè procuratam,etiam
dicente electo. & ſic reſpondent qu
ſupra in cap. Nobis. & hic intelligantu

tale factum non præiudicat ſic electo, quantum ad pœnam, & quoad facilitatem diſpenſandi. Ioan. Andr. Panormitan. Ioann. ab Anania, Cardinalis & alij iudicant talem confirmationem validam eſſe auctoritate huius capitis, & ſic ſecundum Florian. hic allegatum ab Anania, ſingularis caſus eſt, in quo confirmatio facta per ſimoniam valet. Facit etiam ad idem litera. in verb. Ad pœnam. Annullatio actus dicitur & eſt pœna, quando actus annullatur ratione prohibitionis, & odio agentis text. cum Gloſſ. in capite 2. de conſtitut. & cap. Diſpendia. in fine. de reſcript. in 6. & eſt etiam textus in extrauag. 2. de Simonia. §. Per electiones verò. Ergo ſi confirmatio talis eſſet nulla, imputaretur electo ad pœnam. cuius tamen contrarium text. exprimit, & certè hæc ſententia menti huius capitis videtur conſentanea.

Quartò. Eccleſia non iudicat de occultis. Ad hoc etiam Gloſſ. magiſtralis ſecundum Felinum hic. in Clement. 1. in verſic. Eo ipſo. de hæret.

CAPVT XXXIV.

Si clericus cum pacto confert Eccleſiæ ſua bona, vt in ipſa recipiatur in canoni-

*nonicum: & illa ſibi retineat pro præ-
benda, ſimonia committitur: Secus,
hoc fiat ſine pacto.*

Idem Decano Beluacen.

TVa nos duxit diſcretio conſulendo (& infra) Deuotioni tuæ taliter reſpond. quod ſi quis clericus cum conditione vel pacto largiatur: aut offerat bona ſua: vt illa poſtmodum pro præbenda retineat, & in canonicum admittatur: huiuſmodi oblatio vel receptio fieri non poterit ſine vitio ſimoniæ: Cum in talibus omnis pactio, aut conuentio ceſſare debeat iuxta canonicas ſanctiones. Si verò purè ac ſine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter vt in canonicũ admittatur, & bona ſua retinere ſibi liceat pro præbenda, & clerici eiuſdem Eccleſiæ purè conſentiant: huiuſmodi receptio fieri potuit abſque ſcrupulo ſimoniacæ prauitatis. Licet autem taliter duximus reſpondendum: quia nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo iudicare, ſi tamen is qui talem donationem facit ea intentione ducatur, vt per temporalia bona quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci, & clerici qui eum in fratrem admittunt non eſſent eum (niſi commoda temporalia perciperent) admiſſuri: ſine dubio tam ille, quam iſti, apud diſtrictum iudicem (qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum) culpabiles iudicantur.

Ca[...]

Caſus ſecundum Gloſſ. Quidam clericus aliqua de bonis ſuis obtulit alicui Eccleſiæ, petens vt in canonicum admittatur, & eadem bona ſibi retinere liceat pro præbenda in vita ſua: Quæritur vtrum bona illa recipi, & idem clericus in canonicum aſſumi abſque vitio ſimoniæ valeat. Reſp. Papa, quod ſi clericus conditione, vel pacto offerat bona ſua, vt ea retineat pro præbenda, & in canonicum admittatur, huiuſmodi oblatio non poteſt fieri abſque ſimonia; quia in talibus omnis pactio ceſſare debet: Si verò purè & ſine pacto & conditione bona ſua offerat, rogans humiliter vt in canonicum admittatur, & bona ſibi retinere pro præbenda liceat, & clerici etiam purè conſentiant: talis receptio abſque ſimonia poterit fieri. In fine addit Pontifex, quamuis taliter duximus reſpondendum: ſi tamen ille qui facit talem donationem ea intentione ducatur, vt per temporalia ſpiritualia valeat adipiſci: & clerici cum aliter non reciperent: Sine dubio tam iſte, quam illi, apud Deum quem nullum latet ſecretum, culpabiles iudicantur.

Notab.primum. Canonica & ſæpe repetita in hac materia regula eſt, quod in ſpiritualibus omnis pactio aut conuentio ceſſare debeat 1. quæſt. 2. cap. Quam pio. cap. fin. de pactis. & hic.

Secundum. Poteſt aliquis quando alias dignus eſt cum humilitate rogare, vt in canoni-

cum admittatur, vbi & hoc aduertendum cum Panormit. num. 3. ius canoniæ eſſe quid ſpirituale, quod non cadit in laicum cap. 2. de inſtitut.

Tertium. Intentio quantum ad crimen ſimoniæ, quādo exterius nulla pactio, aut conuentio accedit, examinanda eſt, quando aliquis aliquid offert, aut accipit temporalē, ante vel poſt perceptionem rei ſpiritualis, quia ſola intentio, de qua tamen Eccleſia, cum occulta ſit, non iudicat, inducit ſimoniam mentalem, quæ pœnitentia deletur, nec ad reſtitutionem obligat iuxta cap. fin. infra eod. Dubium eſſe poteſt. An ſimonia mentalis non cadat ſub probationem, ita vt ab Eccleſia in foro exteriori puniri non poſſit? Ratio quare ſimonia mentalis ab Eccleſia non puniatur, ea eſſe videtur ex mente Archidiac. in ſumma. 1. quæſt. 1. in verb. Studioſa. & Dominici ibidem in verſ. In 1. Gloſſ. quia eius probatio haberi non poteſt, & ita elicitur conſequenter, quod nec etiam iudicium de eadem habeatur. Nunc reſpondetur: mentalem ſimoniam per ſigna, coniecturas & præſumptiones probari, vt poſt Gulielmum Redoanum in tract. de ſimonia. part. 4. cap. 1. tradit Ioſephus Maſcard. de probationib. vol. 3. concluſ. 1304. à num. 22. Nec mirum, cum animus directè probari non poſſit, ſed ſoli Deo, qui eſt ſcrutator cordium, & cognitor ſecretorum notus ſit, ex text. hoc cap. Gloſſ. in cap. De occiden-

cidendis.23. quæſt.5.& ead. Gloſſ. in Clem. vnic.de reliq.& venerat.ſanct.& Clem. Exiui de paradiſo.de verbor. ſignific. ideò meritò confugiendum ad coniecturas & præſumptiones. Quæ enim animo conſiſtunt, probantur & cognoſcuntur præſumptione verbi, vel facti: Talis namq; animus pręſumitur, qualia verba aut facta ſunt. l. Is qui. §. Diuus. ff. de tutor. & curat. l. Labeo. ff. de ſuppell. leg. l. 1. §. Diuus. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. Bart. & alij ibid. & ex qualitate facientis animus eius metiendus eſt. l. 1. ff. de petit. hæred. & per extrinſeca probantur intrinſeca. l. fin. ad finem. ff. de diuort. §. Seruus. Inſtit. de rerum diuiſ. & alibi. Pro his etiam faciunt Cardin. in cap. Ex tuæ. ſupra eod. dum ait quod intentio conſideratur per coniecturas. cap. Etſi quæſtiones. ſupra. & Panormitan. Felinus ac Ioan. ab Anania in d. cap. Ex tuæ. volunt quod ad inueſtigandum animum, & prauam mentem in ſimonia. quando dubium, an praua mens præceſſerit inſpiciendæ circumſtantiæ & coniecturæ de quibus in d. cap. Etſi quæſtiones.

QVÆSTIO.

An ſi quis iudicem corrumpat pecunia, & ſic emat iuſtitiam, committat ſimoniam?

 Hanc

HAnc quęſtionem breuibus extra Gloſſam hic mouent Hoſtienſ. Panormit. Cardin. Felinus, & communiter alij. Gloſſ. in cap. Vendentes 1. quæſt. 3. Cardin. Alexandr. & Turrecrem. ibid. & in cap. Qui rectè. & cap. Non licet. 11. quæſt. 3. Panormit. in c. Cum ab omni. de vita & honeſt. cleric. Angel. in verb. Iudex. §. 19. Sylueſt. in verb. Simonia. 1. q. 10. dicto 3.

Pro reſolutione quæſtionis prænotandum in primis, quod peccatum grauiſſimum à iudice committitur, quando iuſtitiam pro pecunia diſtrahit, vtpote ſi pecuniam accipiat à priuato aut parte, vt faciat non facienda, vel omittat ea, quæ ſunt facienda ex mente Accurſ. in l. 1. ff. ad leg. Iul. repetund. hoc crimen à DD. iuris barataria nominatur. Felin. in hoc cap. Bald. in conſil. 21. incip. Proceſſus factus contra ciuitatem. colum. fin. Petr. Ancharan. in conſil. 271. incip. De titulis criminum, col. penult. Circa medium. Marſil. in conſil. 61. incip. Poſt reditum. num. 33. Angel. de Peruſio. de Syndicatu. num. 3. & 4. Iuſtin. Amedeus de Syndicatu. §. Item eo quod dictus, &c. num. 163. & ſeq. Iul. Clar. lib. 5. ſentent. §. fin. practicæ crim. Maſcard. de probat. volum. 1. concluſ. 164. 165. 166. & alij alibi. Dicitur autem ſecundum Amedeum loco cit. num. 165. barataria, à barato, baratas, quia iudex recipiendo aliquid dicitur baratare & permutare iuſtitiam, cum eo quod recipit, ſicut recipiens aliquid pro

pro dando beneficium, dicitur vendere beneficium. Semper aũt Iudex dicitur committere baratariã, quando pecunia, aut aliter corrumpitur iuxta Bald. in d. conſil. & Amedeum vbi ſupra. num. 164. Tres autem caſus poſt Boſſ. in tract. crimin. titu. de officialibus corruptis. num. 1. ponit & diſtinguit Maſcard. in d. concluſ. 164. num. 7. in quibus iuxta ſententiam communi conſenſu receptã barataria committitur: quando videlicet magiſtratui datur pecunia, vt ferat ſententiam iuſtam, & quando vt feratur iniuſta, & quãdo ſi detur vt ſimpliciter. Neque iudicium iuſtum, neque iniuſtum vlli vendere licet. cap. Non licet. 11. q. 3. & cap. Quomodo puniendus iudex committens baratariam, videndum apud Amedeum & Clarum. De pœnis etiam corrupti iudicis ex gentilium factis atque exemplis pulchra & digna lectu congerunt, & commemorant Alexand. ab Alexand. genialium dier. lib. 3. cap. 5. Balduin. in commentarijs ad leges 12. tabular. lege 52. & Menochius de arbitrarijs iudicum qq. lib. 2. caſ. 342. qui late hanc materiam proſequitur ſecundo loco præmittendum, aut loquimur de iudice ſeculari, aut de Eccleſiaſtico, idque in cauſis ſpiritualibus.

Prima Concluſio. Iudex grauiſſimè peccat, & tenetur ad reſtitutionem, quando vt iuſtam ſententiam proferat, pretium ſiue pecuniam accipit. Hæc eſt communis ſententia DD. quam tenent S. Thomas 2. 2. quæſt. 71. art. 4. ad

3. iuncto ibid. conſenſu commentatorum. Adrian. in 4. de reſtitut. §. Reſtat inquirere. & in quæſt. An extorta per conceſſionem, &c. Syl-ueſt. in verb. Reſtitutio 2. §. 1. adiunctis etiã eis quæ habet in verb. Iudex. §. penult. Ioan. à Medina in C. de reb. reſtituendis. quæſt. 19. & q. 25. Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. cap. 2. à n. 93. Sotus lib. 4. de iuſt. & iure. quæſt. 7. art. 1. ad 2. Ioſeph. Angles in florib. Theolog. qq. in 4. 2. part. de reſtitut. in quæſt. Quis à reſtitutione ſit liber. 15. difficult. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 25. num. 12. & ſæpiſſimè in comment. de datis & promiſſis, pro iuſtitia. Doctiſſimus eiuſdem diſcipulus Didac. Couarr. in reg. Peccatum. de reg. iuris. part. 2. §. 3. Cardin. Alexand. Turrecrem. Archidiac. Dominic. & alij decretiſtæ in cap. Qui rectè. 11. quæſt. 3. & latius Card. Alexand. & Turrecrem. in cap. Vendentes. 1. quæſt. 3. Panormit. in cap. Cum ab omni. de vita & honeſt. clericor. Cardin. Hoſtienſ. Anton. & communiter alij cum text. ibidem. Nunc concluſio probatur. 1. quæſt. 1. cap. Iubemus. cap. Concuſſionis. cap. lege Iulia repetundarum. & ſeq. & 11. q. 3. c. Qui rectè. ex B. Gregorio. Qui rectè iudicat, & premium remunerationis expectat: fraudem in Deum perpetrat; quia iuſtitiam quam gratis impartiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit, &c. & ibid. ex Auguſtino in epiſt. 54. ad Macedonium. cap. Non licet iudici vendere iuſtum iudicium, etſi liceat aduocato vende-

vendere iuſtum patrocinium,& iuriſconſulto rectum conſilium.& 14.q.5. cap.Non ſanè. ex ead. Auguſtini epiſt. His accedit quod canones & leges volunt ſententias non debere eſſe venales.d.cap.iubemus. & d.cap.Cum ab omni.prope finem. & l.Venales. C.Quando prouocare non eſt neceſſe. Eadem ratione grauiter peccant, & peccatum concuſſionis admittunt, qui publica auctoritate pollent, aut in officijs ſunt poſiti extorquent aliquid per metum, aut aliam artem à ſubditis pro eo, quod gratis deberet impendi, per text. Gloſſ. & annotata à DD.in l.1.& 2. ff.de concuſſion. quæſt.1. cap. Militare. in fine. & Gloſſ. ibidem in cap. Paratus. ſuper verb. Concuſſeritis. Speculator in tit.de recuſat. §. Effectus. verſ.Sed quis prouidebit.Cardin.Alexandrin. & Turrecrem. in d.cap. Concuſſionis. Angel. Summa Piſanella,Sylueſter, Aurea Armilla & alij in ſummis.verb.Concuſſio. Hinc iudices, officiales, alijque qui publicis officijs funguntur, atque à republica conſtituta habent ſtipendia, ſi quid ratione ſui officij extorquent, aut emungant titulo laboris, aut vacantiæ aut alio modo colorato,concuſſionis crimen omnium iudicio committunt. arg.d.cap.Paratus. & cap. Militare. arguuntur enim ſententia Ioan. Neminem concuſſeritis,ſed eſtote contenti ſtipendijs veſtris.ex mente Auguſt.tract. 19.in Ioan,relati in d.c. Militare. Tenẽtur etiã huiuſmodi ad reſtitutionẽ omnium ſic extortorum,

torum. His adijciendum quod ſententia lata per pecuniam & baratariam eſt ipſo iure nulla.d.l.Venales.& DD.ibid. Gloſſ.in cap.Quatuor modis.11. quæſt.3. Felin.in hoc noſtro c. Panormit. in d. cap. Cum ab omni. num.7. Cardin. Alexand. in d.cap. Vendentes.& alij alibi. Fallit hoc tamen in ſententia arbitri, quæ etſi mediante pecunia lata ſit,non eſt ipſo iure nulla. Felin. in hoc cap. Imolen. in cap.1. colum. 10. de conſtitut. Maſcard. de probat. volum.1. concluſ.166. num.7. per text. in l. 3. C.de arbit. Suſtinetur etiam ſententia & non eſt nulla,quando eſſet lata à tribus iudicibus, & vnus eorum tantum eſſet corruptus, Felin. hic.Ioannes Andr. in addit. ad Specul. de ſentent.probat. §.Iuxta.in princ.in addit.quæ incipit. Quid ſi ex duobus. Maſcard. in d. concl. num.9. Angel.in d.l.Venales. Menoch. in caſu 343. num. 8. Nunc autem quoniam corrumpens & corruptus ſunt duo correlatiua, declarandum an etiam peccet ipſe corrumpens. Sit ergo

Secunda Concluſio. Corrumpens iudicem etiam graue crimen committit. In hac concluſione non eſt dubium, & eam communiter DD.in hoc cap. præſupponunt. Panormitan. in d.cap.Cum ab omni. Angel.in verb.Iudex. §.19.Couarr.loc.cit. Nauarr.in commentario de datis & promiſſis pro iuſtitia & gratia. notab.9.& alij alibi. Probatur in primis. Corrumpens iudicem conſentit,& cooperatur in-
iuſtitiæ

iuſtitiæ iudicis. Sed ex Apoſtolica doctrina non ſolum ſunt digni morte qui faciunt mala, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Deinde corrumpens iudicem præſertim in criminalibus, & ciuilibus, vt iniuſtam proferat ſibi ſententiam, damnum infert proximo, vel in perſona, vel in rebus exterioribus, quorum vtrumque eſt contra præcepta Decalogi. Si autem corrumpit iudicem dando pecuniam, vt iuſtam proferat ſententiam pro ſe, licet non peccet contra aliquod præceptum Decalogi, neque contra principia iuris naturæ, neque contra conſequentia neceſſariò ex principijs, eſt tamen contra ius naturale & humanum præſumptiuè, l.2.ff. de condict. ob turpẽ cauſam, vt Nauart. & Couarr. tradunt. His accedit quod ſic corrumpens pecunia ad profecrendam iuſtam ſententiam, eſt cauſa peccati in iudice. Ergo ei cooperatur ad peccandum. Poſtremò leges puniunt corruptores iudicum, d.l.2. Gloſſ. & DD. ibid. l.1. C. de pœna iudicis qui malè iudic. Corrumpens iudicem, vt pro ſe iniuſtè pronuntiet, perdit datum & litem, pariterque dans vt iuſtè pro ſe pronunciet. Gloſſ. in d.l.2. ſuper verb. In bona. quam communiter approbatam dicit Roman. ibid. & poſt eum Iulius Clar. Couarr. & Menoch. qui latius de pœnis corrumpẽtis iudicem diſcurrit. Si quis tamen det iudici pecuniam, vt celeriter & abſq; mora cauſam expediat, iuſtitiamque adminiſtret, non perdit datum, ſed

poteſt

poteſt illud repetere, vt poſt Didacum Clar. & Menochius ſentiunt, nec perdit litem: cum in hoc caſu nō habeat locum d. l.2. ex opinione Didaci, quia non videtur iudicem voluiſſe corrumpere. Grauius tamen ſemper peccat, qui iudicem corrumpit ad ferendum iudicium falſum, quemadmodum etiam iudex grauius crimen committit, quando accepta pecunia falſam iniuſtamq; ſententiam profert, iuxta Gloſſ. & DD. in d. cap. Non ſanè. 14. q. 5. Poſtremò quando iudex aliter non vult iuſtam proferre ſententiam, licitum eſt pecuniam offerre pro conſeruatione ſui iuris, ex mente Panormitani in d. cap. Cum ab omni. num. 8. Ioan. Imolenſ. ibid. Angel. in verbo Iudicare. §. 19. Aureæ Armillæ in verbo Iudex. num. 11. & 13. Nauarri loco citato. numero 13. & aliorum alibi. In hoc caſu redimitur vexatio, quam patitur. Licitum autem eſt redimere vexationem argum. cap. Dilectus 1. ſupra.

Tertia Concluſio. Iudex ſecularis in cauſis ſecularibus pro pecunijs iudicans, non committit ſimoniam, nec etiam pecuniam dans. Hanc tenent communiter DD. allegati in principio quęſt. & communis in hoc cap. cum Gloſſ. in cap. Vendentes. 1. quæſt. 3. Ratio eſt clara. Quia nihil ſpirituale aut ſpirituali annexum emitur, aut venditur, in caſu huius concluſionis. Spirituale autē, & ſpirituali annexum, ſunt obiectum ſimoniæ. Hugo tamen in d.

in d.cap. Qui rectè.& Turrecremata referunt quoſdā dicere, quod in omni ſententia venali committatur ſimonia, ſed hęc opinio merito reijcitur ab omnibus ob rationem pro concluſione adductam.

Quarta Concluſio. Iudex Eccleſiaſticus ſi pro iure reddendo in merè temporalibus pecuniā accipiat, licet alias peccet, vt ex ſuperioribus conſtat, non tamen ſimoniæ crimine polluitur. Hæc videtur contra quoſdam DD. vt patet ex Cardin. Alexandrino & Turrecremata in d. cap. Vendentes, qui volunt quod iudex Eccleſiaſticus mediante pecunia proferens ſententiam in temporalibus, ſimoniam incurrat, rationem reddunt, quia ratione Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ad hoc tenetur: Sed hæc ratio fragilis eſt, & confutatur, & confirmatur concluſio eadem ratione, qua proxima. Vbi enim non eſt obiectum ſimoniæ, non poteſt eſſe ſimonia. Ratio autem alterius ſententiæ non plus probat, quam quod iudex Eccleſiaſticus gratis teneatur ſententiam ferre, quando ſtipendium ſufficiens ſtatutum habet, & ſic quod peccet, quemadmodum etiam ſecularis iudex habens ſalarium à republ. conſtitutum, qui gratis tunc tenetur ſuam iuriſdictionem impendere in dicendo iure. Concluſionem tradunt Gloſſ. in c. Vendentes. Turrecr. in d.cap. Qui rectè. in fin. Panor. in c. Cum ab omni. n. 7. Ioan. Imolen. ibidē in fin. Hoſt. Card. & alij communiter hic.

Quinta

Quinta Concluſio. Iudex Eccleſiaſticus quando in cauſis ſpiritualibus & ſpiritualibus annexis, pro pretio aut pecunia ſententiam profert, ſimoniam committit, vel quaſi vt Hoſtienſis loquitur. Hæc eſt communis omnium Decretiſtarum, Canoniſtarum, & Summiſtarum in loc. alleg. nunc & ſupra. poſt Gloſſ. in d. cap. Vendentes, quam etiam Nauarr. ſequitur vbi ſupra. Hinc ſi iudex in cauſis beneficiorum, iuris decimarum, & ſimilium pro ſententia ſiue iuſta, ſiue iniuſta pretium accipiat, ſimoniæ crimen committit. Vnum tamen hic obſeruandum occurrit, quod Gloſſa in cap. Vendentes. ſuper verbo Iuſtitiam. in fine. & Hugo in dicto cap. Qui rectè. quem ibidem num. 9. allegat Turrecr. nec tamen improbat, excipiunt ab his ſpiritualibus, in quibus ſibi locum vendicat ſimonia, matrimonium quaſi iudex Eccleſiaſticus pro dicendo iure in cauſa matrimonij pretium recipiens non committat ſimoniam ſicut in alijs ſpiritualibus. Sed horum DD. ſententia fundatur in alio errore, quod matrimonium non ſit ſacramentum continens in ſe gratiam, ſed tantum humanus ſit contractus, quod ſalua fide catholica dici non poteſt, vt alibi in hoc commentario expreſſius oſtendimus.

CAPVT

CAPVT XXXV.

Non debet quis ordinem recipere ab eo quem credit ſimoniacum: ſed miniſtrare poteſt in illis quos prius ab iſto recepit.

Idem Priori Cantuarienſi.

PEr tuas literas intimaſti: quod cum B. in quadam domo Carthuſienſis ordinis ſuſcepiſſet habitum monachalem, à diocœſano Epiſcopo fuit in ſubdiaconum ordinatus: ſed poſtmodum didicit ex relatione quorundam, quod Epiſcopus multotiēs commiſerat vitium ſimoniæ: propter quod idem monachus in ſuſcepto formidat ordine miniſtrare: nolens ab eodem Epiſcopo ad ſuperiores ordines promoueri. (& infra.) Nos igitur reſpondemus, vt idem in ordine ſic ſuſcepto ſecurè miniſtret: ſed contra conſcientiam ad ſuperiores ordines non aſcendat: ne fortè ædificet ad gehennam, licet ex eo quod conſcientiā nimis habuerit ſcrupuloſam, in difficultatem huiuſmodi ſit collapſus, quam vtiq; non euadet niſi deponat errorem.

Caſus ſecundum Gloſſ.& Abbatem. Quidam B. nomine monachus ordinis Carthuſienſis à diocœſano Epiſcopo ſuſcepit ordinem ſubdiaconatus. Poſtmodum monachus intellexit, quod Epiſcopus ille multotiens

commiſerat vitium ſimoniæ, vnde monachus timebat in ſuſcepto ordine miniſtrare nolens etiam ab eodem promoueri ad maiores. Quærebatur quid facere debeat ille monachus? Reſpondet Papa vt ſecurè in ordine ſuſcepto miniſtret, ſed contra conſcientiam ad ſuperiores ordines non aſcendat; ne fortè ædificet ad gehennam, & licet in huiuſmodi difficultem ſit collapſus ex eo, quod conſcientiam nimis habuit ſcrupuloſam, eam tamen non euadet, niſi deponat errorem.

Notab. primum, ex text. quod regulares ſiue monachi ordines recipiunt à dioceſanis Epiſcopis, quod veritatem etiam habet in exemptis. cap. Nullus. de temporib. ordinandor. lib. 6.

Secundum. Non eſt de facili credendum vanæ relationi hominum in præiudicium & infamiam alterius. 33. d. cap. Habuiſſe. 86. diſt. cap. Si quid verò. & l. Iulianus. §. Quod autem diximus. in fine. ff. de action. empt. & vend. Si autem ſuperior, & prælatus ſolemniter denunciaret aliquem ſimoniacum & vitandum, tunc ei credendum parendumue foret. 11. quæſt. 3. cap. Curæ. cap. Poſt ceſſionem. de probationib.

Tertium. Hoſtienſ. hic in primis obſeruat contra conſcientiã nimis ſcrupuloſam quinque notabilia digna, & eum ſecuti Ioan. Andreas, Cardin. Henric. Ioan. ab Anan. & alij quidam. Primum. Ex vanis dictis in alterius præiudi-

præiudicium, alterius non eſt conſcientia informanda. Secundum. quod ſi taliter informata ſit, ad prælati conſilium eſt deponenda. Tertium. Si deponi non poteſt: modis omnibus ſequenda eſt. De quo vide. cap. Inquiſitioni. de ſentent. excomm. & cap. Ad aures. §. 1. de temporib. ordinand. Quartum. Virtus animi de ſcrupuloſa conſcientia poteſt facere bonam, & eam in melius reformare, & econtra animi debilitas ac nimia ſimplicitas, de bona malam, & ſcrupuloſam. Quintum & vltimum. In indifferentibus poteſt vnuſquiſque prout ſibi placuerit conſcientiam informare, & hæc omnia ex ſententia Hoſtienſ. ex hoc cap. colligi poſſunt.

Quartum. Ad intelligentiam tam textus, quam relatorum ab Hoſtienſi alijſque altius aliqua repetenda ſunt de conſcientia, eius diuiſione & obligatione. De qua re Theologi & Summiſtæ aliqua tractant. S. Thom. 1.2. q.19. art.5. & 6. & latè ibidē Bartholomæus Medina alijq; commentatores. Doctores ſcholaſtici in 2. ſent. d.39. latiſſimè D. Antonin. in 1. part. tit. 3. c.10. Angel. Summa Piſanella, Syluеſt. & alij Summiſtæ in verb. Conſcientia. Nauarr. in manuali confeſſ. c. 27. à n.279. & ſeq. & latius in cap. Si quis autem. de pœnitent. d.7. Nunc omiſſis multis quæ Scholaſtici mouent circa definitionem conſcientiæ, ex mente S. Thomæ 1. part. q.79. art.13. & 1.2. q.19. art.5. dicitur, quod conſciētia ſit actus ſynderеſis, id eſt

applicatio ſcientiæ vniuerſalis practicæ, ad a-liquod particulare obiectum vel breuius. E quoddam dictamen rationis dictans vel iud cans aliquid faciendum vel non faciendum Vel aliter. Eſt concluſio ſyllogiſmi practic qua iudicamus nos feciſſe aliquid, vel non fe ciſſe, & ſic conſcientia dicitur teſtificari iuxt illud Eccleſ. 7. Scit conſcientia tua te crebr malediχiſſe alijs: aut aliquid faciendum, v non faciendum, ſiue omittendum: & hoc pa cto conſcientiæ tribuuntur actus, ligare & in ſtigare: aut aliquid bene factum, vel non ben ſed male factum, & ſic conſcientia excuſat, & accuſat, ſiue remordet. Conſcientia quadru plex eſt. Recta, Erronea, Dubia, & Scrupulo ſa. Recta ſiue vera eſt, quæ iudicat verè id fa ciendum eſſe vel non faciendum. Erronea quæ dictat eſſe verum quod falſum eſt, & è d uerſo, aut dicit bonum malum, & malum bo num. Dubia quæ nec aſſentitur, nec diſſen tit, ſed hæret in ambiguo. Scrupuloſa eſt qu alteri parti adhæret, ſed cum formidine & anxietate quadam animũ torquente. Quan tum ad obligationem nunc reſolutio adhi benda eſt per concluſiones.

Prima. Conſcientia recta obligat, & qu contra eandam facit, peccat. In hac non e dubium, & eam communiter Theologi tra dunt locis cit. Roman. 14. in fine. Omne quo non eſt ex fide peccatum eſt. Quod non eſt e fide, id eſt, ex conſcientia, ſed contra eandem

ſecun-

ſecundum expoſitionem Origenis, Chryſoſtomi, Theophilacti, Ambroſij & aliorum. Ambroſ. in cap. Quærat hîc aliquis. ibi. Item Ambroſius. de pœnit. d. 3. Innocent. III. in cap. Literas. de reſtitut. ſpol. & Concil. generale in c. fin. de præſcript.

Secunda Concluſio. Conſcientia erronea obligat ad ſequendum eam, ita vt ſi quis contra eam faciat, peccet. S. Thomas in d. quæſt. 19. art. 5. & commentatores eius ibidē. & communiter Theologi ſcholaſtici in 2. d. 39. licet Durand. ibidem. quæſt. 5. videatur nouam quandam opinionem fingere de nomine, quod conſcientia erronea non obliget, ſed liget. Hanc Theologorum ſententiam ſequuntur Syluest. Aurea Armilla & alij in verb. Conſcientia. Nauarr. loc cit. Card. Abbas, Anton. Felin. & alij communiter in hoc cap. cum textu id clarè probante. Præterea probat eandem concluſionem illud Apoſtolicum allegatum in præcedenti. Conſcientia erronea eſt conſcientia, ergo qui agit contra eam peccat, & ædificat ad gehennam ex mente huius cap. Si quis quærat, quale quantumque peccatum ſit facere contra conſcientiam erroneam, mortale, an veniale? Reſpondetur ex mente Nauarri in manuali confeſſarior. prælúdio nono. num. 9. Medinæ & Gregorij de Valentia in d. art. S. Thomæ. Didaci Couarr. lib. 1. variar. reſolut. cap. 1. num. 1. & aliorum recentiorum, facere contra conſcientiam tale eſſe pecca-

tum, quale iudicat, & putat is qui actum facit. Si enim operans faciat actum verè bonum, quem tamen iudicat eſſe peccatum mortale; mortalem culpam contrahit: Si autem eundem actum veniale, credit; non peccat plus quam venialiter. Quod ſemper verũ eſt quoties iudicat eſſe veniale, niſi actus ex ſe ſi mortalis. Conſcientia enim non poteſt efficere id non eſſe peccatum, quod verè peccatum eſt, nec etiam reddere veniale, quod alias mortale eſt, licet ignorantia aliquando inuincibilis à culpa excuſet. Rationem prædictæ doctrinæ reddit Nauarr. in d. num. 9. hanc. Non poteſt eſſe in cauſato plus virtutis, quam in id potentia cauſæ, infundat, Bald. in l. 1. ff. de legib. facit etiam ad idem cap. Licet ex quadam. de teſtib. & cap. 1. §. Hoc notandum. Qui feuda dare poſſunt. Ergo conſcientia quando iudicatur aliquid eſſe tantũ veniale, quod alias nullum eſt, aut ſaltem veniale, non infundit in id grauitatem lætalem, quam non habet. Ad euitandum peccatum, quando aliquis erroneam conſcientiam habet, remedium eſt, vt eam deponat ad conſilium & inſtructionem viri intelligentis & periti. Vera enim ſcientia excludit falſam ſibi contrariam. Erronea ergo conſcientia ſemper obligat, vel ad ſui depoſitionem, vel ad faciendum id quod illa dictat, vt ſatis conſtat ex text. huius cap. & annotatis ab Hoſtienſ. & alijs DD. ibidem. S. Thoma in d. art. 5. & Medin. ibidem

Gerſon

Gerſone 2.part.in tit.de natura & qualit.conſcient. Nauarr. in d. cap. Si quis autem. num. 120. & alijs alibi.

Tertia Concluſio. Agere contra conſcientiam dubiam, eſt peccatum, ita quod facere id, de quo dubitatur an ſit mortale, ſit peccatum mortale, & facere id de quo dubium eſt, an ſit veniale. Veniale peccatum ſit. Hanc docent Medin.& Gregor.de Valentia in d. art.5. D. Thomæ. Nauarr. in d. cap. Si quis autem, à num. 81. & alij alibi. Nec de hac re eſt vlla controuerſia apud Theologos, vt rectè ait Gregorius de Valentia. probatur in primis ex dicto Pauli. Quod non eſt ex fide, id eſt, contra conſcientiam, peccatum eſt. Sed qui operatur contra conſcientiam dubiam, operatur contra conſcientiam. Ergo peccat. Deinde Eccleſiaſt. 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Sed qui dubitat, an illud quod operatur, peccatum ſit, exponit ſe periculo peccandi. Ergo. Et hoc præceptum de non faciendo id quod animæ periculũ continet iuris naturæ eſſe, ſubtiliter deducit Nauarr. qui etiam plura pro probatione concluſionis colligit. Dubia conſcientia etiam deponenda eſt, antequam ad opus procedatur, & animus recto iudicio informandus. latè & doctè Nauarr. de hac materia tractat, quæ ex profeſſo hunc locum non concernit.

Quarta Concluſio. Licitum eſt agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, nec peccatũ com-

mittitur. Hanc tradunt Medina & Gregor. de Valentia in d. art. 5. Nauarr. loco cit. & communiter DD. Sed obſeruandum quando hîc agimus de conſcientia ſcrupuloſa, non intelligimus per eam opinionẽ, nec dubitationem anxiam, ſed formidinem ex leuibus & irrationabilibus cauſis ortam & conceptam, qua aliquis trepidat vbi trepidandum non eſt. Et ita inter reliqua remedia contra ſcrupulos conſulunt DD. vtile & ſalubre eſſe ſcrupuloſis fortiter frequenterque contra proprios ſcrupulos agere, vt ita animæ tranquillitas, quam ſcrupuli perturbant, acquiratur, & mens rectius ſecuriuſq; Deo tam interiori quam exteriori cultu inſeruiat. Sic Gerſon in tract. de regulis moralibus. D. Antonin. 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 30. Sylueſt. in verb. Scrupulus. quæſt. 3. Nauarr. loc. cit. n. 64. & in Enchirid. confeſſar. cap. 27. num. 283. Cauſas etiam ex quibus ſcrupuli oriantur colligit D. Antoninus, & poſt eum Sylueſt. & Nauarr. Sed de hac materia Deo volente, & vitam donante latiſſimè agemus in prima parte comment. ſuper cap. 58. Regulæ D. Benedicti, vbi materiam tentationum ad longum inſeremus. (morte præuentus non poteſt.) Sed nunc ad propoſitum hoc obſeruandum, quod quando Panorm. in hoc c. n. 4. colligit, quod veniens contra conſcientiam etiam ſcrupuloſam ædificet ad gehennam, intelligit per ſcrupuloſam dubiam, aut opinionem natam ex probabilibus

libus argumentis cum quadam animi anxietate.

Quintum Not. Circa Gloſſam 2. in fine quærunt communiter hîc DD. An ſimoniacus ſit ipſo facto ſuſpenſus, & varij varia congerunt, ſed Felinus pro clariori reſolutione ſequentes colligit concluſiones.

Prima. Simoniacus in ordine recipiendo eſt ſuſpenſus, non ſolum ab illo ordine ſimoniacè recepto, ſed etiam ab omnibus alijs ritè ſuſceptis, & per conſequens remotus ab adminiſtratione temporalium ſuorũ beneficiorum. Innocent. hic. & in c. Tanta. ſupra eod. Gloſſ. Archid. & Domin. in §. verum. 32. diſt. Gloſſ. 1. quæſt. 1. cap. Reperiuntur. Concluſio ſecundum DD. fallit in eo, quo ignorante ſimonia commiſſa eſt, ille enim ſolum ſuſpenſus ab ordine ſimoniacè recepto eſt ſupra cap. Sicut tuis. eod.

Secunda Concluſio. Conferens ordinem per ſimoniam ſuſpenſus eſt ipſo facto ab omnibus ordinibus, text. cum Gloſſ. 1. quæſt. 1. cap. Si quis à ſimoniacis. Gloſſ. in d. §. Verum. Vnde ab eo non debent recipi ſacramenta, niſi baptiſma & corpus Chriſti in articulo neceſſitatis, ſecundum Gloſſ. in d. §. Verum.

Tertia Concluſio. Simoniacus in beneficio ſuſpenſus eſt ipſo iure. fallit ſi ſit occultus. vt hîc per Innocentium.

Quarta Concluſio. In collatione ordinis facta à ſimoniaco imprimitur caracter, ſed non

confertur executio, ſecundũ DD. hic. Quod autẽ character imprimatur patet. Quia nulla prohibitio legis vel hominis poteſt impedire characteris impreſſionem, Gloſſ. in cap. Prouida. in verb. firmitatis. de elect. lib. 6. Gloſſ. penult. in cap. Poſt translationem. de renunciat. latè Imolenſ. & Abbas in cap. Quanto. de de conſuetud. & Anton. in cap. Ad diſſoluendum. in vlt. q. de deſponſat. impuberum. &c. Quod autem non conferatur à ſimoniaco ordinis executio, probant Gloſſ. & DD. in hoc cap. Quia talis ordinator non habet executionem ſupra cap. Tanta. & 1. quæſt. 1. cap. Reperiuntur. Ergo ipſe eam conferre non poteſt, cum nemo det quod non habet 1. quæſt. 1. cap. 1. & ibid. cap. Qui perfectionem. & ead. cauſ. quæſt. 7. cap. Daibertum. Has concluſiones ponit Felin. nos de hac materia ſcripſimus in Rubr. notab. 15. vbi de pœnis ſimoniacorum tractauimus.

CAPVT XXXVI.

Pro chriſmate, vel inueſtitura Eccleſiarum nil exigi debet: nec excuſat conſuetudo, vel nominis variatio.

Idem Cantuarienſi Archiepiſc.

IN tantum peccatis exigentibus corda quorundam ſimoniaca prauitas deprauauit: (& infra.) Sanè peruenit ad audientiam noſtram

noſtram, quod cum olim quidam ſuffraganei tui pro chriſmate certam conſueuerant accipere pecuniæ quantitatem : non metuentes pœnam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ ſolutionis anticipant: recipientes in media quadrageſimæ, quod recipere conſueuêre poſt Paſcha: & vt cauſam recipiendi diſſimulent: nomen denariorum variant: denarios quos prius chriſmales: ſecundò paſchales dicebant: conſuetudinem mediæ quadrageſimæ nuncupantes: & infra. Cum verò expreſſius exprimat venditionis ſpeciem: qui prius recipit pretium, quam rem conferat pretioſam: & gratis ſit gratia conferenda: mandamus quatenus taliter exceſſus corrigas, ſupradictos ſuffraganeos tuos & officiales eorum à tam illicita exactione compeſcens, quod aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam non imputetur ad pœnam. Prauam etiam illam conſuetudinem de tua Prouincia ſtudeas abolere, per quam pro Eccleſiarum inueſtitura Archidiaconi marcham argenti : minores verò Decani vaccam albam ſibi dari poſtulant, vel certam ſolui pecuniæ quantitatem.

Caſus ſecundum Gloſſ. & Panormit. Quidam ſuffraganei Cantuarien. Archiepiſcopi, recipere conſueuerunt certam quantitatem pecuniæ pro chriſmate. Iſti timentes pœnam canonicam, & correctionē eludere cupientes, tempus

commiſerat vitium ſimoniæ, vnde monachu
timebat in ſuſcepto ordine miniſtrare nolen
etiam ab eodem promoueri ad maiores. Quę
rebatur quid facere debeat ille monachus
Reſpondet Papa vt ſecurè in ordine ſuſcept
miniſtret, ſed contra conſcientiam ad ſupe
riores ordines non aſcendat; ne fortè ædifice
ad gehennam, & licet in huiuſmodi difficul
tem ſit collapſus ex eo, quod conſcientiar
nimis habuit ſcrupuloſam, eam tamen non e
uadet, niſi deponat errorem.

Notab. primum, ex text. quod regulares ſi
ue monachi ordines recipiunt à dioceſani
Epiſcopis, quod veritatem etiam habet in ex
emptis. cap. Nullus. de temporib. ordinandor
lib. 6.

Secundum. Non eſt de facili credendum va
næ relationi hominum in præiudicium & in
famiam alterius. 33. d. cap. Habuiſſe. 86. diſ
cap. Si quid verò. & l. Iulianus. §. Quod auten
diximus. in fine. ff. de action. empt. & vend. S
autem ſuperior, & prælatus ſolemniter de
nunciaret aliquem ſimoniacum & vitandum
tunc ei credendum parendumue foret. 11
quæſt. 3. cap. Curæ. cap. Poſt ceſſionem. de pro
bationib.

Tertium. Hoſtienſ. hic in primis obſerua
contra conſcientiā nimis ſcrupuloſam quin
que notabilia digna, & eum ſecuti Ioan. An
dreas, Cardin. Henric. Ioan. ab Anan. & ali
quidam. Primum. Ex vanis dictis in alteriu
præiudi-

præiudicium, alterius non eſt conſcientia informanda. Secundum. quod ſi taliter informata ſit, ad prælati conſilium eſt deponenda. Tertium. Si deponi non poteſt: modis omnibus ſequenda eſt. De quo vide. cap. Inquiſitioni. de ſentent. excomm. & cap. Ad aures. §. 1. de temporib. ordinand. Quartum. Virtus animi de ſcrupuloſa conſcientia poteſt facere bonam, & eam in melius reformare, & econtra animi debilitas ac nimia ſimplicitas, de bona malam, & ſcrupuloſam. Quintum & vltimum. In indifferentibus poteſt vnuſquiſque prout ſibi placuerit conſcientiam informare, & hæc omnia ex ſententia Hoſtienſ. ex hoc cap. colligi poſſunt.

Quartum. Ad intelligentiam tam textus, quam relatorum ab Hoſtienſi alijſque altius aliqua repetenda ſunt de conſcientia, eius diuiſione & obligatione. De qua re Theologi & Summiſtæ aliqua tractant. S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5. & 6. & latè ibidē Bartholomæus Medina alijq; commentatores. Doctores ſcholaſtici in 2. ſent. d. 39. latiſſimè D. Antonin. in 1. part. tit. 3. c. 10. Angel. Summa Piſanella, Sylueſt. & alij Summiſtæ in verb. Conſcientia. Nauarr. in manuali confeſſ. c. 27. à n. 279. & ſeq. & latius in cap. Si quis autem. de pœnitent. d. 7. Nunc omiſſis multis quæ Scholaſtici mouent circa definitionem conſcientiæ, ex mente S. Thomæ 1. part. q. 79. art. 13. & 1. 2. q. 19. art. 5. dicitur, quod conſciētia ſit actus ſynderesis, id eſt

applicatio ſcientiæ vniuerſalis practicæ, ad a-
liquod particulare obiectum vel breuius. E
quoddam dictamen rationis dictans vel iud
cans aliquid faciendum vel non faciendur
Vel aliter. Eſt concluſio ſyllogiſmi practic
qua iudicamus nos feciſſe aliquid, vel non fe
ciſſe, & ſic conſcientia dicitur teſtificari iux
illud Eccleſ. 7. Scit conſcientia tua te crebr
maledixiſſe alijs: aut aliquid faciendum, v
non faciendum, ſiue omittendum: & hoc pa
cto conſcientiæ tribuuntur actus, ligare & in
ſtigare: aut aliquid bene factum, vel non ben
ſed male factum, & ſic conſcientia excuſat, &
accuſat, ſiue remordet. Conſcientia quadru
plex eſt. Recta, Erronea, Dubia, & Scrupulo
ſa. Recta ſiue vera eſt, quæ iudicat verè id fa
ciendum eſſe vel non faciendum. Erronea
quæ dictat eſſe verum quod falſum eſt, & è di
uerſo, aut dicit bonum malum, & malum bo
num. Dubia quæ nec aſſentitur, nec diſſen
tit, ſed hæret in ambiguo. Scrupuloſa eſt qua
alteri parti adhæret, ſed cum formidine &
anxietate quadam animũ torquente. Quan
tum ad obligationem nunc reſolutio adhi
benda eſt per concluſiones.

Prima. Conſcientia recta obligat, & qu
contra eandam facit, peccat. In hac non eſ
dubium, & eam communiter Theologi tra-
dunt locis cit. Roman. 14. in fine. Omne quod
non eſt ex fide peccatum eſt. Quod non eſt ex
fide, id eſt, ex conſcientia, ſed contra eandem,

ſecun-

ſecundum expoſitionem Origenis, Chryſoſtomi, Theophilacti, Ambroſij & aliorum. Ambroſ.in cap. Quærat hîc aliquis. ibi. Item Ambroſius. de pœnit. d. 3. Innocent. III. in cap. Literas. de reſtitut. ſpol. & Concil. generale in c. fin. de præſcript.

Secunda Concluſio. Conſcientia erronea obligat ad ſequendum eam, ita vt ſi quis contra eam faciat, peccet. S. Thomas in d. quæſt. 19. art. 5. & commentatores eius ibidē. & communiter Theologi ſcholaſtici in 2. d. 39. licet Durand. ibidem. quæſt. 5. videatur nouam quandam opinionem fingere de nomine, quod conſcientia erronea non obliget, ſed liget. Hanc Theologorum ſententiam ſequuntur Sylueſt. Aurea Armilla & alij in verb. Conſcientia. Nauarr. loc cit. Card. Abbas, Anton. Felin. & alij communiter in hoc cap. cum textu id clarè probante. Præterea probat eandem concluſionem illud Apoſtolicum allegatum in præcedenti. Conſcientia erronea eſt conſcientia, ergo qui agit contra eam peccat, & ædificat ad gehennam ex mente huius cap. Si quis quærat, quale quantumque peccatum ſit facere contra conſcientiam erroneam, mortale, an veniale? Reſpondetur ex mente Nauarri in manuali confeſſarior. præludio nono. num. 9. Medinæ & Gregorij de Valentia in d. art. S. Thomæ. Didaci Couarr. lib. 1. variar. reſolut. cap. 1. num. 1. & aliorum recentiorum, facere contra conſcientiam tale eſſe pecca-

tum, quale iudicat, & putat is qui actum facit. Si enim operans faciat actum verè bonum, quem tamen iudicat eſſe peccatum mortale, mortalem culpam contrahit: Si autem eundem actum veniale, credit, non peccat plus quam venialiter. Quod ſemper verũ eſt quoties iudicat eſſe veniale, niſi actus ex ſe ſit mortalis. Conſcientia enim non poteſt efficere id non eſſe peccatum, quod verè peccatum eſt, nec etiam reddere veniale, quod alias mortale eſt, licet ignorantia aliquando inuincibilis à culpa excuſet. Rationem prædictæ doctrinæ reddit Nauarr. in d. num. 9. hanc. Non poteſt eſſe in cauſato plus virtutis, quam in id potentia cauſæ, infundat, Bald. in l. 1. ff. de legib. facit etiam ad idem cap. Licet ex quadam. de teſtib. & cap. 1. §. Hoc notandum. Qui feuda dare poſſunt. Ergo conſcientia quando iudicatur aliquid eſſe tantũ veniale, quod alias nullum eſt, aut ſaltem veniale, non infundit in id grauitatem lætalem, quam non habet. Ad euitandum peccatum, quando aliquis erroneam conſcientiam habet, remedium eſt, vt eam deponat ad conſilium & inſtructionem viri intelligentis & periti. Vera enim ſcientia excludit falſam ſibi contrariam. Erronea ergo conſcientia ſemper obligat, vel ad ſui depoſitionem, vel ad faciendum id quod illa dictat, vt ſatis conſtat ex text. huius cap. & annotatis ab Hoſtienſ. & alijs DD. ibidem. S. Thoma in d. art. 5. & Medin. ibidem.

Gerſone

Gerſone 2.part.in tit.de natura & qualit.conſcient. Nauarr. in d. cap. Si quis autem. num. 120. & alijs alibi.

Tertia Concluſio. Agere contra conſcientiam dubiam, eſt peccatum, ita quod facere id, de quo dubitatur an ſit mortale, ſit peccatum mortale, & facere id de quo dubium eſt, an ſit veniale. Veniale peccatum ſit. Hanc docent Medin.& Gregor.de Valentia in d. art.5. D. Thomæ. Nauarr. in d. cap. Si quis autem, à num. 81. & alij alibi. Nec de hac re eſt vlla controuerſia apud Theologos, vt rectè ait Gregorius de Valentia. probatur in primis ex dicto Pauli. Quod non eſt ex fide, id eſt, contra conſcientiam, peccatum eſt. Sed qui operatur contra conſcientiam dubiam, operatur contra conſcientiam. Ergo peccat. Deinde Eccleſiaſt. 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Sed qui dubitat, an illud quod operatur, peccatum ſit, exponit ſe periculo peccandi. Ergo. Et hoc præceptum de non faciendo id quod animæ periculũ continet iuris naturæ eſſe, ſubtiliter deducit Nauarr. qui etiam plura pro probatione concluſionis colligit. Dubia conſcientia etiam deponenda eſt, antequam ad opus procedatur, & animus recto iudicio informandus. latè & doctè Nauarr. de hac materia tractat, quæ ex profeſſo hunc locum non concernit.

Quarta Concluſio. Licitum eſt agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, nec peccatũ com-

mittitur. Hanc tradunt Medina & Gregor. de Valentia in d. art. 5. Nauarr. loco cit. & communiter DD. Sed obſeruandum quando hîc agimus de conſcientia ſcrupuloſa, non intelligimus per eam opinionẽ, nec dubitationem anxiam, ſed formidinem ex leuibus & irrationabilibus cauſis ortam & conceptam, qua aliquis trepidat vbi trepidandum non eſt. Et ita inter reliqua remedia contra ſcrupulos conſulunt DD. vtile & ſalubre eſſe ſcrupuloſis fortiter frequenterque contra proprios ſcrupulos agere, vt ita animæ tranquillitas, quam ſcrupuli perturbant, acquiratur, & mens rectius ſecuriuſq; Deo tam interiori quam exteriori cultu inſeruiat. Sic Gerſon in tract. de regulis moralibus. D. Antonin. 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 30. Sylueſt. in verb. Scrupulus. quæſt. 3. Nauarr. loc. cit. n. 64. & in Enchirid. confeſſar. cap. 27. num. 283. Cauſas etiam ex quibus ſcrupuli oriantur colligit D. Antoninus, & poſt eum Sylueſt. & Nauarr. Sed de hac materia Deo volente, & vitam donante latiſſimè agemus in prima parte comment. ſuper cap. 58. Regulæ D. Benedicti, vbi materiam tentationum ad longum inſeremus. (morte præuentus non poteſt.) Sed nunc ad propoſitum hoc obſeruandum, quod quando Panorm. in hoc c. n. 4. colligit, quod veniens contra conſcientiam etiam ſcrupuloſam ædificet ad gehennam, intelligit per ſcrupuloſam dubiam, aut opinionem natam ex probabilibus

libus argumentis cum quadam animi anxietate.

Quintum Not. Circa Gloſſam 2. in fine quærunt communiter hîc DD. An ſimoniacus ſit ipſo facto ſuſpenſus, & varij varia congerunt, ſed Felinus pro clariori reſolutione ſequentes colligit concluſiones.

Prima. Simoniacus in ordine recipiendo eſt ſuſpenſus, non ſolum ab illo ordine ſimoniacè recepto, ſed etiam ab omnibus alijs ritè ſuſceptis, & per conſequens remotus ab adminiſtratione temporalium ſuorũ beneficiorum. Innocent. hic. & in c. Tanta. ſupra eod. Gloſſ. Archid. & Domin. in §. verum. 32. diſt. Gloſſ. 1. quæſt. 1. cap. Reperiuntur. Concluſio ſecundum DD. fallit in eo, quo ignorante ſimonia commiſſa eſt, ille enim ſolum ſuſpenſus ab ordine ſimoniacè recepto eſt ſupra cap. Sicut tuis. eod.

Secunda Concluſio. Conferens ordinem per ſimoniam ſuſpenſus eſt ipſo facto ab omnibus ordinibus, text. cum Gloſſ. 1. quæſt. 1. cap. Si quis à ſimoniacis. Gloſſ. in d. §. Verum. Vnde ab eo non debent recipi ſacramenta, niſi baptiſma & corpus Chriſti in articulo neceſſitatis, ſecundum Gloſſ. in d. §. Verum.

Tertia Concluſio. Simoniacus in beneficio ſuſpenſus eſt ipſo iure. fallit ſi ſit occultus. vt hîc per Innocentium.

Quarta Concluſio. In collatione ordinis facta à ſimoniaco imprimitur caracter, ſed non confer-

noſtram, quod cum olim quidam ſuffraganei tui pro chriſmate certam conſueuerant accipere pecuniæ quantitatem: non metuentes pœnam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ ſolutionis anticipant: recipientes in media quadrageſimæ, quod recipere conſueuêre poſt Paſcha: & vt cauſam recipiendi diſſimulent: nomen denariorum variant: denarios quos prius chriſmales: ſecundò paſchales dicebant: conſuetudinem mediæ quadrageſimæ nuncupantes: & infra. Cum verò expreſſius exprimat venditionis ſpeciem: qui prius recipit pretium, quam rem conferat pretioſam: & gratis ſit gratia conferenda: mandamus quatenus taliter exceſſus corrigas, ſupradictos ſuffraganeos tuos & officiales eorum à tam illicita exactione compeſcens, quod aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam non imputetur ad pœnam. Prauam etiam illam conſuetudinem de tua Prouincia ſtudeas abolere, per quam pro Eccleſiarum inueſtitura Archidiaconi marcham argenti: minores verò Decani vaccam albam ſibi dari poſtulant, vel certam ſolui pecuniæ quantitatem.

Caſus ſecundum Gloſſ. & Panormit. Quidam ſuffraganei Cantuarien. Archiepiſcopi, recipere conſueuerunt certam quantitatem pecuniæ pro chriſmate. Iſti timentes pœnam canonicam, & correctionē eludere cupientes, tempus

tempus futuræ ſolutionis anticipabant, recipientes in media quadrageſima, quod recipere conſueuerunt in paſchate, & nomen denariorum variabant. Denarios quos primo dicebant chriſmales: ſecundo appellabant paſchales, conſuetudinem mediæ quadrageſimæ nuncupantes: peruenit hoc ad notitiam domini Papæ, qui reſpondit, quod cum gratia ſit gratis conferenda: & qui primò recipit pretium quam rem conferat pretioſam, expreſſius ſpeciem exprimat venditionis. Mandat Papa Archiepiſcopo quatenus huiuſmodi exceſſus corrigat, & ſuffraganeos ſuos & eorum officiales taliter puniat, quod aliorum culpa ſibi non imputetur ad pœnam. In fine addit, vt illam prauam conſuetudinem de ſua Prouincia ſtudeat extirpare, ſecundum quam pro inueſtitura Eccleſiarum Archidiaconi marcham argenti exigebant: alij verò prælati vaccam albam, vel certam pecuniæ quantitatem pro vacca.

Notabile primum. Ex principio text. cum Panormit. Anton. & quibuſdam alijs, quod ex vno peccato aliud generatur, & vnum eſt cauſa alterius, iuxta illud Gregor. Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit. Sic etiam vnum peccatum eſt pœna alterius, vt Theologi docent, D. Thom. 1. 2. quæſt. 87. art. 2. & eius commentatores ibidem. Magiſt. cum alijs in 2. d. 36. facit & illud Roman. 1. Quia non probauerunt

Deum

Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, & in deſideria cordis eorum. Eſaiæ 6. Excæca cor populi huius & aures eius aggraua. D. Gregor. hom. 11. in Ezechiel. Iuſtus & omnipotens Deus cum præcedentibus peccatis iraſcitur, permittit vt cæca mens etiam in alijs labatur. D. Auguſt. in lib. 83. qq. q. 79. & clarus ad id eſt text. in princ. cum ait: In tantum peccatis exigentibus corda quorundam ſimoniaca prauitas deprauauit. Magiſter & ſcholaſtici in d. diſt. 36. multa colligunt ad hoc propoſitum.

Secundum. Contra vſurarios & ſimoniacos mente tenendum, quod mutatio nominis ſubſtantiam contractus non mutet. Ait enim Iuriſconſultus rerum vocabula eſſe immutabilia, l. Si quis fundi vocabulo. ff. de legat. 1. attamen malitia hominum non rarò contingit, vt vitia mentitis nominibus velentur, & peccata virtutum coloribus tegantur: Quod Euangelicæ doctrinæ congruum etiam eſt: quæ teſtatur homines quoſdam ambulare in veſtibus ouium, intrinſecus autem eſſe lupos rapaces. De vſura exemplum eſſe poteſt: eam quidam ad tegendum nominant lucrum ceſſans, alij damnum emergens aut munera, quidam pœnam tardę ſolutionis, aut penſionem. arg. l. lecta eſt. ff. de rebus credit. ſi certum petatur, ſed vera firmaque ſtat ſententia Ambroſij relata in cap. Plerique. 14. quęſt. 3. quodcunque

cunque accedit ſorti; quod velis nomen ei imponas, vſura eſt. De ſimonia in hoc text. euidens eſt.

Tertium. Ex hoc etiam text. colligitur cum Panormitano, quod ad conſiderandum ſpeciem contractus, non ſolum ſunt attendenda verba, ſed etiam natura, contractus, pacta, & res ipſa. Quod idem Panormitan. Ioan. Imolenſ. Ancharan. & alij obſeruant in cap. Illo vos. de pignorib. & ex Theologis Conrard. de contractibus. quæſt. 33. Gabriel in 4. d. 15. quæſt. 12. art. 3. & Ioan. Maior. in eadem d. quæſt. 26. & nos latius in Rubr. de vſur. notab. 10.

Quartum. Fortius declaratur oſtenditurque venditio, quando pretium rei præcedit eius traditionem, quam quando ſequitur, vt communiter hîc DD. notant, rationemque reddunt, quia traditio rei poteſt adaptari ad multos contractus, ſed interuentio pretij ad ſolam emptionem adaptatur. Inſtit. de empt. & vendit. in principio.

Quintum. Pro inueſtitura etiam facti, & poſſeſſione habenda, non poteſt aliquid exigi ſine ſimonia, nec excuſat conſuetudo, ſed potius accuſat. ſupra eod. tit. cap. Non ſatis. & cap. Cum in Eccleſiæ.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

Ordinatus in ſubdiaconum, qui prius præſentatori ſuo promiſit quod nihil ab eo peteret: in ſuſcepto miniſtrare, vel ad ſuperiores ordines aſcendere ſine diſpenſatione non poteſt: etiamſi peccare non crediderit.

Idem.

PEr tuas nobis literas intimaſti: quod cum D. lator præſentium vellet in ſubdiaconum ordinari: & certum titulum non haberet: quendam presbyterum exorauit, vt ipſum ad Eccleſiæ ſuæ titulum præſentaret: quod cum ille facere recuſaret: ipſe illi firmiter repromiſit, quod nunquam ſi præſentaret eundem in Eccleſia ſua aliquam peteret portionem: & ſic ad præſentationem eius extitit ordinatus: nec ſe in hoc egiſſe aliquod illicitum intellexit: & infra. Nos inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum: nec ad ſuperiores aſcendere: nec in ſuſcepto debet ordine miniſtrare.

Caſus. Quidam clericus cum vellet in ſubdiaconum ordinari, & certum titulum non haberet: rogauit quendam presbyterum, vt ipſum ad titulum ſuæ Eccleſiæ præſentaret.

Sed

Sed cum preſbyter hoc facere nollet, promiſit eidem quod nunquá portionem aliquam peteret in ſua Eccleſia, ſi præſentaret ipſum, & ſic ad eius præſentationem fuit ordinatus: quærebatur quid iuris eſſet de ipſo clerico. Reſpondet Pontifex quod niſi cum eo miſericorditer fuerit diſpenſatum, nec in eodem ordine debet miniſtrare: nec ad ſuperiores ordines poterit promoueri.

Notabile primum. Ad ordinem ſubdiaconatus non debet aliquis promoueri ſine titulo. Nec tamen titulus ſolus ſufficit, ſed requiritur, vt is tantos fructus annexos habeat, qui ſufficiant ad congruam neceſſariamque clerici ſuſtentationem.

Secundum. Per hoc quod aliquis cum titulo clericum præſentat ad ſacros ordines, tenetur eidem ad ſuſtentationem. Vnde quando inter eos conuentio intercedit, quod habito titulo non petet aliquid pro ſuſtentatione, ſimoniæ labes incurritur, quia eſt pactum de remittendo temporali ad conſequendum temporale.

Tertium. Circa illa verba: nec ſe in hoc aliquid illicitum egiſſe intellexit: notant communiter Doctores, quod ignorantia iuris non excuſat à delicto, cum peritiores potuerit conſulere. 37. d. cap. fin. Non omnis qui ignorat, immunis eſt à pœna. Ille enim ignorans poteſt excuſari à pœna: qui quod diſceret non inuenit. Illis autem hoc ignoſci non poterit, qui ha-

qui habentes à quo diſcerent: operam non dederunt. & l. regula. §. Sed iuris. ff. de iur. & fact. ignorant. leuius tamen peccat ſic ignorans, quam ſi ex propoſito, aut ſcientia peccaret, de pœnit. diſt. 2. cap. Sciendum. atque etiam ſic, cum pœna reguletur ſecundum culpam mitius punitur.

Quartum. Cum Antonio de Butrio in notab. 5. aduertendum, quod ſimonia commiſſa circa aliquod annexum ordini, in ipſa ordinis promotione non ſolum operatur quoad connexum, ſed etiam quantum ad vitium ordinis quoad executionem eiuſdem: cum hic nec in ordine ſic recepto poſſit miniſtrare.

Quintum. Cum ſic promoto non poteſt niſi per Pontificem diſpenſari, vt poſt Innocentium Hoſtienſis, Anton. Ioannes ab Anania, qui dicit Innocent. DD. communiter ſequi, & alij ſentiunt, quicquid in contrarium dicat Panormit.

Sextum. Circa Gloſſ. fin. ſuper verb. miniſtrare, obijciunt Hoſtienſ. Cardin. Abbas & alij contra Gloſſ. & text. Quod in hoc caſu nulla ſit ſimonia: cum nec interueniat munus ab obſequio, quandoquidem nullum obſequium præſtitum extitit, nec munus à lingua, id eſt, fauor humanus, ſeu ſordidæ preces, imò humiles adhibuit, nec munus à manu interuenit, quia nihil temporale tradidit. Reſpondent quod licet de præſenti non eſſet aliqua obligatio, tamen poſt ordinationem obliga-

tur præſentator ad dandum iſti portionem pro ſuſtentatione, quæ portio eſt quid temporale: remiſit ergo ex pacto iſtam obligationem, vt conſequeretur ius ſpirituale, & remittere in iſtis idem eſt quod dare. cap. Veniens 1. de teſtib. lib. 6.

QVÆSTIO VNICA.

An clericus diues habens patrimonium ſufficiens ad congruam vitæ ſuſtentationem licitè poſſit recipere beneficium Eccleſiaſticum, & percipere fructus ratione Eccleſiaſtici tituli, ac de eis viuere reſeruato patrimonio?

HAnc quæſtionem mouent hoc loco Felinus & Ioannes ab Anania. Panormit. in diſputatione ſua quarta, incipien. Timit. In quarto & vltimo dubio. Cartius clericus. In quarto & vltimo dubio. Cardin. Alexandr. & Turrecrem. cum alijs in cap. Clericos. 1. quæſt. 2. Gabriel ſuper canonem miſſæ. lect. 28. Cardin. Antonius. Ioan. Imolenſ. Abbas & alij communiter in cap. Epiſcopus. de præbend. & dignit. & itidem Canoniſtæ in cap. Poſtulaſti. de reſcriptis. Andreas Barbatia de præſtantia Cardinalium. 6. q. baſilica primæ part. in 6. vol. oceani iuris. & alij alibi.

Difficultatem in hac q. pariunt canones, qui

qui omnino videntur confirmare, quod clericus habens ſufficiens patrimonium ad viuendum non poſſit viuere ex beneficio & Eccleſiaſticis bonis ſaluo patrimonio. Atque in primis eſt auctoritas Hieronymi ad Damaſum Papã, relata in d. cap. Clericos. vbi ſic legitur: Clericos autem illos conuenit Eccleſiæ ſtipendijs ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla ſuffragantur bona. Qui autem bonis parentum & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt: ſi quod eſt pauperum accipiunt, ſacrilegium profecto committunt: & per abuſionẽ talium, iudicium ſibi manducant & bibunt. & ibid. c. Paſtor. ex Proſpero de contemplatiua vita, c. 10. Paſtor Eccleſię his quibus ſua ſufficiunt, nõ debet aliquid erogare: quandoquidẽ nihil aliud ſit habentibus dare quã perdere: nec illi qui ſua poſſidẽtes dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, vnde pauper victurus erat accipiunt. & 12. q. 1. c. Illi autem. ex eodem Proſpero. Illi autem qui tam infirmi ſunt vt poſſeſſionibus ſuis renunciare non poſſunt: ſi ea quæ accepturi erant diſpenſatori relinquunt, nil habentibus conferenda: ſine peccato poſſident ſua: quia & ipſi quodammodo ſua relinquunt, quando proprijs contenti rebus nihil eorum quæ labori vel ordini ſuo deberi arbitrantur accipiunt. Similia his habentur in 1. q. 2. cap. Si quis. & cap. Sacerdos, & ſæpius ibi & alibi: Secundo eidem propoſito inſeruire videntur canones decer-

nentes, quod Epiſcopus non cogatur prouidere clericis habentibus proprium patrimonium, vnde vitæ neceſſaria percipere poſſunt. cap. Tuis. cap. Epiſcopus. de præbendis. & cap. Poſtulaſti. de reſcript. Ergo clericus quando habet ſufficiens patrimonium eo debet eſſe contentus, nec ab Eccleſia ſtipendium exigere. Tertiò, deputata ad certum vſum pium largitione fidelium, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicę non ſunt in alium vſum conuertenda, Clement. Qui contingit. de religioſ. domib. & argum. l. legatum. ff. de vſufr. legat. Sed bona Eccleſiæ ſunt deputata ad vſum pauperum & egentium, cap. Videntes. 12. quæſt. 1. & cap. Quoniam quicquid habet Eccleſia pauperũ eſt. 16. quæſt. 1. & alibi. Sed habentes ſufficiens ad viuendum patrimonium, non indigent, nec pauperes ſunt. His accedit Proſperi auctoritas in d. cap. Sacerdos. 1. quæſt. 2. qui ſentit quod illud Apoſtoli 1. Corinth. cap. 9. Qui in ſacrario operantur: quæ de ſacrario ſunt edant: & qui altario deſeruiunt, de altario participent, intelligatur de talibus pauperibus qui nihil habent, aut poſſident. Plura argumenta accumulat pro hac parte Andr. Barbat. loc. cit. Turrecrem. in d. cap. Clericos. & Panormit. in d. diſput. 4. cap. Grauis & ſatis periculoſa, vt ex canonibus colligitur hæc controuerſia videtur: cum in vtramque partem ſint grauia argumenta, nec etiam per omnia DD. conueniant, & res tangat animarum pe-

rum periculum. Decius & Andreas Barbat. in cap. Poſtulaſti. de reſcriptis, hic.num.41. & ille num.8. Hi tamen DD. alibi videntur communi opinioni, de qua poſtea, conſentire. Decius in cap. Epiſcopus. de præbend. & Barbat. de præſtantia Cardinalium d. quæſt.6. Adrianus in 4. de reſtitut. fol. 59. in impreſſione Pariſienſi Badij de anno Domini 1516. §. Quia ſupra determinatũ, vbi ex profeſſo quærit & tractat. An is qui patrimonio, ſeu ſecularibus bonis abundat, licitè poſſit vel vnum beneficium, aut præbendam ſuſcipere, reſpondet reſolutiuè, quod habenti ſufficiens patrimonium, ſi fructus vel prouentus patrimonij ſeruat operi pio: licet de bonis Eccleſiæ viuere: alias non: ſed quicquid prouentuum Eccleſiæ ſuſcipitur, tenetur quaſi pauperum & Eccleſiæ procurator in eorum vtilitatem conuertere, aut ſeruare. Adrian. ſuam ſententiam ſic probat: Non licet homini prætextu paupertatis plus depoſcere in eleemoſynis, quam ad victum tenuem & mediocrem ſibi fuerit neceſſarium: Quando enim plus expetit hypocriſi & ſimulatione paupertatis eleemoſynarios circumuenit & decipit: ac tenetur ſic accepta reſtituere. Et hæc eſt ratio, vbi pauperes Chriſti hæredes inſtituuntur: quare nec executoribus: nec Epiſcopo, vel etiam Papæ ſine magna & euidenti cauſa; licet ex illis aliquos prius pauperes ditare alijs pauperibus præteritis. Poteſt tamen is cuius neceſſitates

ſufficienter releuatæ ſunt, alterius nomine e-
leemoſynam petere: etſi prius accepta alteriu
vſui deputauerit pro ſe petere & ſeruare. Ergo
nõ licet ſufficienter ditato tẽporalibus, viuere
de bonis Eccleſiæ: niſi prouentus patrimoni
pio vſui, puta neceſſitatibus propinquorum
pauperum, aut Eccleſiarum deſtinauerit, con
ſequentia tenet: quia par ratio videtur hin
inde, cum de bonis Eccleſiæ ſolum liceat ne
ceſſitates, alimenta, & quibus tegamur acci
pere, ſicuti pauperi de eleemoſynis, quantum
eſt neceſſarium ſuis neceſſitatibus & penuria
releuandæ, & ad confirmandum alia adducit
Item decimæ tributa ſunt animarum egenti
um: & quanti pauperes in loco quem inhabi
tat, fame moriuntur, decimas non ſoluens
tantorum homicidiorum reus ante æterni iu
dicis tribunal apparebit: quia rem à Deo pau
peribus delegatam ſuis vſibus reſeruauit 16.q
1.c. Decimæ. Ergo non licet Eccleſiaſtico præ
ter victus neceſſitatem ex decimis ſumere. E
cum eadem ratio ſit in omnibus Eccleſiæ bo
nis, neceſſe eſt vti diues ex patrimonio illiu
prouentus, ſaltem animi deſtinatione piè ero
get: aut Eccleſiaſticorum bonorum emolu-
menta à ſuis vſibus in pauperum vel Eccleſia
neceſſitates conuertat. Sic Adrian. In contra-
rium eſt conſuetudo generalis in Eccleſia tan
diuites quam pauperes clerici accipiunt bene
ficia & ſtipendia Eccleſiaſtica, reſeruato patri
monio pro hæredibus, & conſanguineis, au
diſpoſi

diſpoſitione propria, & interim viuunt de bonis Eccleſiæ, nec eſt qui eos propterea condemnet. Nunc ante reſolutionem pro meliori titulo quæſtionis obſeruandum, clericum poſſe habere tria bonorum genera: patrimonialia, quæ hæreditaria ſucceſſione ad eum peruenerunt, aut propria induſtria, aut labore exercendo aliquod honeſtum officium in curia acquiſiuit: aut donatione, teſtamenti diſpoſitione, alioúe contractu iuſto ad eum deducta ſunt. argum. cap. Epiſcopus. 12. q. 1. & cap. Quia nos. de teſtament. cap. Cum dilectus. de iure patronat. & cap. Manifeſta. & cap. Sint manifeſtè 12. quæſt. 1. Alia ſunt Eccleſiaſtica, quæ percipiunt ex ſuis beneficijs Eccleſiaſticis, vt ſunt annui reditus & decimæ. Alia vocantur quaſi patrimonialia, qualia ſunt ea, quæ lucrantur agendo capellanos, vicarios temporarios, aut prædicatores, aut exercendo alios ſpirituales & actus Eccleſiaſticos. Hoſt. Innocent. & alij quidam in d. c. Quia nos. Abbas in cap. Cum in officijs. de teſtam. Nauarr. in tractatu de reditib. beneficiorum. num. 5. & alij alibi. Secundo loco notandum, quod vt Nauarr. docet in apologia libri de reditib. benefic. quæſt. 1. monitione 22. bona patrimonialia clericorum, æquè libera eſſe illis, ac ſua laicis, & ſic de illis ita diſponere poſſunt in morte & vita, prout laici de ſuis. cap. Epiſcopi. 12. quæſt. 1. & cap. Fixum. eadem quæſt. 5. & dicto cap. Quia nos. Tertio notandum, etſi

Innocentio in d. cap. Quia nos. & cap. Quoniam. Ne prælati vices ſuas videatur. quod clerici non poſſint teſtari de bonis quaſi patrimonialibus, & ſic quod ſortiantur ordinem Eccleſiaſticorum, & exequentur reditibus Eccleſiaſticis, tamen aliter dicendum cum communi ſententia, quod quaſi patrimonialia æquentur patrimonialibus, & tam libera penes clericos ſit diſponendi in morte & vita poteſtas, ſicuti in patrimonialibus, ex mente Cyni in Auctent. licentiam. C. de Epiſcop. & cleric, Panormit. in cap. Cum eſſes. num. 26. & cap. Cum in officijs. num. 8. de teſtam. Hoſtienſ. Anthonij à Butrio. Ancharan. Imolen. in cap. Quia nos. eod. titu. Cardin. Alexand. & Turrecrem. in cap. Nulli dubium. 12. quæſt. 5. Boërij in deciſ. 20. Nicol. de Vbaldis in tract. ſucceſſionum ab inteſtato. §. finita tandem ſucceſſione regularium. num. 22. Nauarri in d. monit. 22. num. 3. & de reditib. benefic. q. 1. dicto 19. Couar. in cap. 1. num. 13. de teſtamen. & aliorum alibi quorum ſententia communis ſine dubio eſt. Ratio, quia huiuſmodi bona quæruntur eis vt merces & recompenſatio laborum, & non de bonis beneficiorum ſuorum, quæ conferuntur cum onere expreſſo, vel tacito diſtribuendi ſuperflua pauperibus, & non conſeruandi pro amicis & conſanguineis, alijſque vſibus ſecularibus.

Quartò, Eccleſiaſticis & beneficiorum bonis annumerantur, quæ beneficiarius ex reditibus

tibus beneficiorum comparauit, ſiue ſint mobilia ſiue immobilia, probant cap. Inquirendum. de peculio cleric. & DD. ibid. cap. 1. de teſtament. Panormitan. Anton. ibid. & in idem cap. latè Couarr. num. 7. text. etiam in auctẽn. Licentiam. C. de Epiſc. & cleric. Bald. in l. Si quis preſbyter. C. eod. tit. clarius autem omnibus probant extrauagantes Pontificum. Iulij III. de anno & dato Romæ 1549. Pauli IV. de anno 1556. Pij IV. de anno 1560. & Pij V. de anno 1567. 3. Calend. Septemb. Pontificatus ſui anno primo. In his omnibus extrauagant. quas etiam pro parte Nauarr. in comment. de ſpolijs cleric. ſuper cap. Non liceat Papæ. 12. quæſt. 2. inſerit, decernitur omnia mobilia & immobilia quæſita à beneficiarijs de reditibus ſuorum beneficiorum dici & eſſe ſpolia Eccleſiaſticorum ſpectantia ad ſedem Apoſtolicam, & ſic ad noſtrum propoſitum allegat Nauarr. in apologia. lib. de reditib. benefic. quæſt. 1. monit. 37. Facit etiam regula illa iuris: Subrogatũ ſapit naturam eius cui ſubrogatur. l. Si eum. §. Qui iniuriarum. ff. Si quis caution. Gloſſ. ibid. in verb. Danda. l. Duobus. §. 1. ff. de iureiur. l. Quod debitori. ff. de donation. cauſa mortis. & in cap. Eccleſia 1. vt lite pendent. nihil innouet. & alia ſimilia iura, quæ oſtendunt frequenter rem ſuccedere loco pretij. Hinc elicitur prælatum, aut alium clericum non ampliorem poteſtatem quantum ad diſpoſitionem, donationem, aut translationem in

aſium habere in bona empta ex reditibus beneficiorum Eccleſiæ, quam in Eccleſiaſtica, & beneficijs ſuis annexa. Quando autem dubium eſt, an aliqua bona ſint acquiſita ex boni patrimonij, aut quaſi, an ex bonis Eccleſiæ quomodo præſumptio ſit facienda poſt plures allegatos, tractant Couarr. in d. cap. 1. de teſtament. & Menochius de arbitrarijs iudic quæſtion. lib. 2. caſu 195. incipien. Contingi non ſemel clericos. Quando autem conſta Prælatum, aut clericum aliqua emiſſe ex patrimonialibus, aut quaſi, tunc vt propria ſpectant ad clericum, & liberam eiuſdem diſpoſitionem, & ab inteſtato ſuccedunt eius hæredes. Quod nequaquam verum eſt, quando manifeſtum eſt, empta & comparata eſſe ex bonis beneficiorum & Eccleſiaſticis, vtpote clericus iuuenis & pauper aſſumpſit ſtatum Eccleſiaſticum, beneficia corraſit, nec aliud officium exercuit, nec propria induſtria acquiſiuit, factus diues ex bonis Eccleſiæ, agros, vineas, villaſque emit, hæc omnia bona ſic empta Eccleſiaſtica ſine dubio ſunt, nec aliter de eis beneficiarius, quam de Eccleſiaſticis poteſt diſponere. Sicut enim empta ex patrimonialibus, fiunt patrimonialia, & propria clerico. Ita comparata ex reditibus Eccleſiaſticis, fiunt Eccleſiaſtica. Nunc pro reſolutione ſit

Prima Concluſio. Clericus habens bona patrimonialia ſufficientia, ad ritè decen

terqu

terque viuendum in ſtatu Eccleſiaſtico, rem laude dignam, conſcientiæ ſecuritati commodam, & multum meritoriam præſtat, ſi contentus viuat ex patrimonialibus, relinquendo beneficia alijs pauperibus clericis. Hæc concluſio etſi expreſsè à nemine ponatur, tamen neceſſariò ab omnibus amplectenda eſt, & nunc latius demonſtratur. Primò, hæc concluſio dictis ſanctorũ & ſacris canonibus per omnia conformis eſt. Atque in primis faciunt canones Hieronymi & Proſperi allegati in principio. Deinde quando dicunt bona Eccleſiæ deputata eſſe ad vſum pauperum & egentium, cap. Videntes. 12. quæſt. 1. & 16. quæſt. 1. cap. Decimæ tributa ſunt egentium animarum, ex Auguſtino. Sic etiam bona Eccleſiæ & clericorum ſunt, & dicuntur pauperum in ead. cauſ. & q. cap. Quoniam quicquid habent clerici pauperum eſt ex D. Hieronymo ad Damaſum, & infra ibid. in fine. Qui autem, ait, bonis parentum & opibus ſuſtentari poſſunt: ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profectò incurrunt & committunt. 12. quæſt. 1, cap. fin. & 23, quæſt. 7. cap. Quod autem. ex Auguſtino: ibi. Si autem priuatim quæ nobis ſufficiant, poſſidemus: non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vſurpatione damnabili vendicamus. Qui autem de ſuo habet vnde honeſtè ſuſtentetur, non indiget, nec

nec pauper eſt. His accedit, quod Gloſſ. in d. c. Clericos. & alij ibidem & alibi ſentiunt quæ in illo cap. ex Hieronymo adferuntur conſilij eſſe, & non præcepti. Si conſilij eſt viuere de proprijs, quando habemus, & non accipere ab Eccleſia. Ergo bonum & laude dignum eſt viuere ex patrimonio, quandoquidem conſilium eſt de meliori bono: & ſancti patres ſine dubio illud tanquam excellentius bonum ab Eccleſiaſticis viris fieri deſiderarunt. Quis enim dubitat, eſſe honorificum, & meritorium Deo ſeruire, eumque honorare propria ſubſtantia, & non pauperum patrimonio. Gratius acceptiuſque Regi eſt, ſi quis ei militet proprio ſtipendio, quam ſi communem legem ſequatur, expetendo à Rege militię mercedem; ideoque maiori laude & honore etiam meritò afficitur. Quod enim quis ſuis ſumptibus alicui Regi, aut duci inſeruiat, rarum eſt argum. illius Apoſtoli 1. Cor. 9. Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? ac ſi diceret hoc rariſſimum eſſe: & tamen poſtea oſtendit ſe poteſtatem habere metendi carnalia, quippe qui ſeminet ſpiritualia, non tamen ſe vſum hac poteſtate. Et ibidem. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus: magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Magnum ergo à contrario, Eccleſiæ fideliter inſeruire, & ab ea temporalia non percipere, ſed proprijs ſumptibus viuere, & ſuis ſtipendijs militare: Quod certè contingit, quando quis clericali militiæ ſe

aſcribi

aſcribi curat, & proprio patrimonio viuit, & Deo Eccleſiæque fideliſſimum exhibet obſequiũ, relictis bonis & beneficijs Eccleſijs pro eis, qui ad viuendum indigent. Quod etiã ſecurius ſit, proprijs opibus clericũ agere, in primis oſtendit illud Proſperi in c. Si quis. 1. q. 2. Si quis propter hoc ſua relinquere non vult, vt habeat vnde viuat, vt quid accipit vnde rationem reddat? vt quid de peccatis alienis ſua multiplicat. His accedit quod maximum periculum eſt incidendi in peccatum mortale, quando aliquis amplos Eccleſiaſticos colligit reditus, magna enim opus eſt vigilantia & cura, ne aut expendantur in vanos & profanos vſus, aut indebitè prodigantur, aut in fine vitæ relinquantur eis, quibus non debet cum interitu proprio & alieno. Si enim reditus Eccleſiaſtici ſuperfluè in ſeculares vſus expendantur ex communi DD. ſententia peccatum mortale committitur, vt multis allegationibus Nauarr. in tract. de reditib. beneficiorum oſtendit, & nos eo breuius probamus & dilatamus ex propoſito, adducendo multas auctoritates in Enchiridio Theologiæ paſtoralis. 4. part. cap. 13. concluſ. 9. 10. 11. & 12. Quibus addimus, quod etiam periculoſa quæſtio eſt, an ſic profanè & ſuperfluè expendentes etiam teneantur ad reſtitutionem eius quod tam malè impenderunt, vt loco cit. concluſ. 10. & 11. ad ſatietatem multorum magnorumque DD. teſtimonijs conuincimus. Ab his peri-

culis

çulis anxietatibuſque ſe liberant, qui ex proprio patrimonio viuunt, poſſunt dare, & expendere pro ſuo arbitrio, & ſi etiam prodigè in notabili quantitate exponant, non plus quam venialiter peccant, vt Nauarr. ex mente S. Thom. tradit in d. apologia. quæſt. 2. monit. 19. num. 2. nec ad vllam tenentur reſtitutionem. Ex quibus omnibus apparet quod multo facilius ſecuriuſque ſit diuitiarum ſecularium rectam rationem reddere, quam Eccleſiaſticarum, vt idem Nauarrus dicit in dicta Apologia, monit. 76. num. 1. Infertur itidem cum eodem auctore ex dictis rectè decipi vulgus dum iudicat grande bonum eſſe alicui amplos reditus Eccleſiaſticos habere. Melius enim eſt tantum poſſidere ex Eccleſiaſticis, quantum ſufficiat ad moderatum, modeſtumque victum & veſtitum, & ſic contentum viuere cum maiori conſcientiæ ſecuritate. Si enim diues in ſeculo, cum tanta difficultate ſaluatur, teſte eo qui mentiri non poteſt, Matth. 19. & Marc. 10. vt facilius ſit camelum pertranſire foramen acus, quam diuitem intrare regnum cœlorum: Quid cenſendum erit de clerico, qui in ſortem Domini vocatus, & cuius ſtatus maiorem perfectionem, & rerum humanarum contemptum exigit, ſi beneficia beneficijs, & diuitias diuitijs accumulet. Tunc non tàm Deo, quàm mammonæ ſeruiet, nec portionem cum Deo in cœlis, ſed cum mammo-

mammona in inferno habebit. Stultus enim clericus ſæpe multa congregat, & neſcit cui relinquat. Accidit non rarò quibuſdam, quod Ludolphus Carthuſianus in vita Chriſti, parte prima, capite 68. narrat, ſub mortem quendam conqueſtum eſſe: Medici abſtulerunt mihi corpus, & animam amici: Quam profectò auferunt quando importunè inſtant, vt bona pauperum, & patrimonium Chriſti Eccleſiæ, & egenis eius membris debitum, carni & ſanguini citra neceſſitatem, aut in vita donemus, aut in morte relinquamus. Si tamen conſanguinei indigeant, pauperesque ſint, tanquam alijs pauperibus aliquid dari poteſt, modo abſit ſcandalum, & non ditentur bonis Eccleſiæ, ſed tantum eorum paupertas ſubleuetur. Sic ergo conſtat nunc quod ſanum ſalutiferumque conſilium ſit, pro clericis, vt quando à Deo donati ſunt paternis, maternisque bonis ad honeſtam ſuſtentationem, aut aliunde ex proprio labore ac induſtria habent vnde decenter pro ſua vocatione viuant, pauperibus relinquant bona Eccleſiæ, & inſeruiant Deo eiuſque Eccleſiæ proprio ſtipendio. Scribit Andr. Barbat. in dicto cap. Poſtulaſti. numero 27. ex Ioanne de Lignano in cap. Epiſcopus. vel aliàs cap. Tuis. de præbendis, quod cùm ipſe Ioannes fuiſſet requiſitus ab Vrbano Quinto, vt eum promo-

promoueret ad Cardinalatum, recuſauit & Pontifici reſponſum dederit, quod nollet bibere ſanguinem martyrum, ſed ſudorem manuum ſuarum, & quia talia exempla rara, ideoq́ue præclara, libet ad ædificationem noſtri temporis vnum & alterum proponere. Atque in primis ſe offert Reuerendus, nec non pietate eruditioneq́ue inſignis Iodocus Lorichius ſacræ Theologiæ Doctor, & ordinarius Profeſſor in Vniuerſitate Friburgenſi, qui cum ob merita vitæ, conuerſationis, ac doctrinæ digniſſimus ſit, ad beneficia & dignitates Eccleſiaſticas, nullum tamen beneficium, quamuis ſine dubio multa oblata ſint, accipere voluit, ſed ſemper viuere & Deo ſacrificare tam interiori quam exteriori ſacrificio maluit, proprio labore & ſtipendio cathedratico contentus, quã ex patrimonio Chriſti & pauperum gazophilatio aliquid ſumere. Huic accedit etiam Reuerendus ac generoſo nobiliq; ſanguine prognatus Dominus Ioannes à Brandenburg, qui cum antea miles, ac ad militiæ præfecturam ob ſtrenuam in bello operam, nec non animi corporiſq́ue fortitudinem euectus fuiſſet, relicto cingulo militiæ ſecularis Chriſto militare propoſuit, militiæ clericali inſcribi deſiderauit, & ſic Romam perrexit ad obtinendam à ſumma ſede diſpenſationem in irregularitatibus: quæ in militia etiam iuſtiſſima ab optimæ conſcientiæ militibus frequenter ſolent incurri. Obtenta diſpen-

diſpenſatione omnes etiam ſacros ordines pia intentione ſuſcepit, in quibus nunc magna cum laude, & ingenti animi contentione Deo inſeruit, altari adminiſtrat, ac etiam iuge ſacrificium pro fidelibus viuis ac defunctis Luzenburgi in proprijs ædibus, de proprio patrimonio viuens, ac pauperibus liberaliter etiam ſuis manibus de eodem diſtribuens offert, ac Eccleſiam de propria ſubſtantia honorat in exemplum multorum: quod vtinam multi nobiles, & diuitijs abundantes imitarentur.

Secunda Concluſio. Qui diuites ſunt, atque ex patrimonio ſufficientem vitæ & ſtatus ſuſtentationem habent, ſi cauſa cupiditatis ſcilicet augendi diuitias, & ditandi ſanguine iunctos: aut etiam voluptatis ergò vt otiosè, & luxuriosè vitam ſine cura tranſigant, beneficia & Eccleſiaſtica ſtipendia accipiant, mortaliter peccant. Hanc tradũt communiter DD. Card. Alex. & Turrecr. in d.c. Clericos. Hoſt. in c. Poſtulaſti. de reſcript. & poſt eum Cardin. Abbas, Antonius, Ancharan. Felin. & alij ibidem communiter. & maiori ex parte etiam in d.cap. Epiſcopus. de præbend. Angel. in verb. Clericus 3. §. 2. Syłueſt. in eod. verb. 4. quæſt. 16. Alexand. Alenſ. in 3. part. quæſt. 51. memb. 6. art. 3. & alij alibi. Ratio ſumitur ex intentione deprauata. Appetunt & acquirunt tales beneficia & ſtipendia Eccleſiaſtica propter fines illicitos. Mortaliter enim agunt qui bona Eccleſiæ patrimonium Chriſti, & pauperum ali-

moniam parentibus donant, niſi tanquam alij pauperes indigeant, aut otioſè, luxurioſéque prodigunt. Miniſtris Eccleſiæ, tantũ debetur de bonis & beneficijs Eccleſiæ, quantũ neceſſarium ad honeſtã eorum ſuſtentationẽ, quod reliquum eſt, pauperũ neceſſitatibus debetur. Hinc Hieron. c.1. §.ordinandus.42. d. Aliena capere cõuincitur, qui vltra neceſſaria ſibi retinere probatur. & idem 44.d.in princ. Tibi, ô ſacerdos, viuere de altari permittitur, non luxuriari. D. Auguſtin. ſerm.37. ad fratres in eremo. Memento quod pauperẽ vitam ſacerdos gerere debet, & ideò ſi ſuperbam habet, ſi magno gaudet beneficio, præter victũ & veſtitũ, quod ſupereſt, pauperibus dare non differat, quia omnia pauperũ ſunt. D. Bern. in ep.2. ad Fulconem canonicum. Deniq; quicquid prę ter neceſſariũ victum ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuũ non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. Pulchra ad propoſitum eſt reſponſio Alenſ. in d. art.3. dicendũ eſt, inquit, quod clericus habens ſufficiens ſtipendiũ, vel reditum, vnde poſſit aliter quam de decimis ſuſtentari ſufficienter, & ſecundum ſtatũ perſonæ, poteſt recipere decimas, vt procurator in neceſſitates pauperũ, vel vtilitates Eccleſiæ expendendas. Non autem poteſt recipere in vſus proprios conuertendas, vel in malos vſus diſtrahendas: imò ſi in proprios conuertant, committũt ſacrilegium: ſi in malos vſus expendunt, incurrunt iudicium. De illis enim intelligitur quod dicit

dicit Auguſtin. ad Bonifacium. Si priuatim quæ nobis ſufficiant poſſidemus: non illa noſtra ſunt, ſed pauperum quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vſurpatione damnabilẽ vendicamus. Hæc ex Alexand. Quod etiam non liceat ſanguine iunctos diuites reddere ex bonis Eccleſiaſticis, aut in ipſos eadem bona transferre ſatis indicat canon 37. Apoſtolorum, qui ſic habet: Omnium rerum Eccleſiaſticarũ curam Epiſcopus gerito, & eas diſpenſato, quaſi inſpectante Deo. Non licitum autẽ ei eſto quippiam ex eis ſibi tanquam proprium aſſumere, aut cognatis ſuis elargiri, quæ Deo dedicata ſunt. Quod ſi pauperes illi ſint, vt pauperibus ſubminiſtrato, non tamen horum prætextu res Eccleſiæ venundato. Eius canonis etiam fit mentio in cap. Quiſquis. 12. quæſt. 2. Ex Euſebio Cæſarienſi, & Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 1. de reformatione: Omninò, ait, verò eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſúe ſuos augere ſtudeant: cum & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, ijs vt pauperibus diſtribuant: Eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa, &c. Deinde ſubiungit: ea quæ de Epiſcopis dicta intelligi de quibuſcunque beneficia Eccleſiaſtica tam ſecularia quam regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione. Et D. Ambroſ.

lib.1.Officior. cap. 3. aptè loquitur his verbis. Neque enim propterea te Deo dicaſti, vt illos diuites facias, ſed vt tibi vitam perpetuam fructum boni operis acquiras, & pretio miſerationis, peccata tua redimas. Putant ſe parum poſcere: primum quærunt tuum, contra accuſant, quod eos diuites non feceris: cum te velint illi parentes æternæ vitæ fraudare mercede. Ex his ſimilibuſque quæ adferri poſſent ſatis colligitur, eos Eccleſiaſticos non in ſecuro ſtatu verſari, qui beneficia & reditus ex eis in abundantia colligunt & coaceruant ad exaltandum ſuos conſanguineos, cognatos, & nepotes ſuper ſolidum gradum, aut eiſdem in morte relinquunt ingentem diuitiarum theſaurum, quem ex reditibus beneficiorum patrimonio Chriſti, martyrum ſanguine, & pauperum pane conflarunt. Si ſecurè de vita exeant, ipſi viderint. Longè aliæ ſunt viæ Dei, à filijs hominum. Qui enim illos Eccleſiaſticos beatos prædicant, vt in hoc cæco ſeculo non rarò fieri ſolet, qui amplas ædes, dominia, comitatus, agros, montes colleſque pro parentela & ſanguine comparant ex reditibus Eccleſiæ, & pijs maiorum noſtrorum eleemoſynis, decipiuntur, cæci ſunt, & duces cæcorũ. Non enim noſtra ſunt, quæ de Eccleſiaſticis ſuperſunt vltra neceſſariam decentemque ſuſtentationem, ſed membrorum Chriſti, & Eccleſiæ. Si conſanguíneis ex illis villas, agros, arces, & dominia congregas, rapis pauperum bona, & diui-

& diuitibus donas, dominijs pauperum nepotes & cognatos exaltas, & extollis, ac vt lautius ac ſuperbius de eleemoſynis viuendo aliena conſumant, quæ nunquam reſtituere cogitant. Satis enim ſuperque ſupra probatum eſt ex communi & veriſſima DD. ſententia, ea etiam bona eſſe Eccleſiaſtica, quæ ex reditibus Eccleſiæ acquiruntur. Quod ſi naſutus obijciat illam iuris ciuilis regulam: emptum ex pecunia aliena ementi acquiri, non ei cuius eſt pecunia, l. ſi ex ea. C. de rei vendicat. libenter reſpondemus, ſpeciale eſſe in Eccleſiæ bonis, vt empta ex eis, non ementis, ſed Eccleſiæ dominio adijciantur, & acquirantur. Gloſſ. in c. 1. ſuper verb. ſuo 12. q. 3. Card. & Andreas Barbat. & alij per Gloſſ. ſing. in c. Inquirendum. de peculio clericor. Bald. in l. Si quis preſbyter. C. de Epiſc. & cleric. Aret. in l. Cum hæredes. in princ. ff. de acquir. poſſ. & poſt alios plures Didac. Couar. in cap. 1. num. 7. de teſtament.

Tertia Concluſio. Clericus habens patrimonium poteſt illud conſeruare pro conſanguineis, cognatis, aut alio honeſto vſu, & ex beneficio eiuſque reditibus pro ſtatu ſuo viuere. Hæc eſt communis opinio, auctorib. Decio in d. cap. Epiſcopus. de præbend. Felin. & Barbat. in d. cap. Poſtulaſti. Sylueſt. in verb. Clericus 4. quæſt. 16. Couarr. in d. cap. 1. num. 2. & eam tenent omnes DD. in princip. quæſt. allegati. Sylueſt. in d. quæſt. 16. Couarr. loc. cit. Caietan. 2. 2. quæſt. 185. art. 7. ad 3. Dominic.

Sotus de iuſt. & iure. lib. 10. q. 4. art. 3. prope finem. Nauarr. in apologia lib. de reditib. benefic. q. 1. monit. 30. & alibi & ante hos omnes Alexand. Alenſ. in 3. part. q. 51. memb. 6. art. 3. nec eſt nunc qui diſſentiat. Poteſt enim Eccleſiaſticus de ſuo patrimonio diſponere pro ſua voluntate, & viuere de Eccleſiæ bonis, quando ei inſeruit. Hæc concluſio his probatur argumentis. Primo, ex ſcriptura 1. Corint. 9. Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? & infra: Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur quæ de ſacrario ſunt edunt? Et qui altario deſeruiunt, cum altario participant: ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Secundo, ex canonibus 1. quæſt. 1. cap. Clerici omnes qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitij ſui meritum per ordinationem canonum à ſacerdotibus conſequantur. Tertio, qui ad onus recipitur, non debet repelli à mercede. cap. Cum ſecundum. de præbend. nec ligandum eſt os boui trituranti. 1. Corinth. 9. cap. Extirpandæ. de præbend. & cap. fin. de magiſtris. Et qui Eccleſiæ inſeruit, dignum eſt vt Eccleſiaſtica remuneratione gaudeat 12. quæſtione 2. cap. Charitatem ex Beato Gregorio. & ibidem cap. Eccleſiaſticis vtilitatibus. ex eodem. Quarto, Clericus habens patrimonium poteſt il-

teſt illud relinquere parentibus, vel erogare pauperibus, vel donare Eccleſiæ in initio quando militiæ Eccleſiaſticæ inſcribitur, & de bonis Eccleſiæ viuere 1. quæſtione 2. cap. Sacerdos. Ergo poteſt etiam patrimonium conſeruare interim viuendo de bonis Eccleſiæ, donec tempore neceſſitatis, vel conſanguineis donet, vel pauperibus diſtribuat: Hinc Alexander Tertius Vigilenſi Epiſcopo ſcribit. cap. Quia nos. de teſtament. quod clerici licitè de his quæ paternæ ſucceſſionis, vel cognationis intuitu: aut de artificio ſunt adepti: ſeu dono conſanguineorum, aut amicorum non habito reſpectu ad Eccleſiam, peruenerunt ad ipſos, liberè poſſunt diſponere: Minimè verò de his quæ conſideratione Eccleſiæ: & ibidem cap. Relatum 2. idem Alexander occaſione dubij orti ex Concilio Lateranenſi, declarat id intelligi tam de mobilibus quam immobi ibus. & cap. 1. 12. quæſt. 3. ex Concilio Carthaginenſi tertio. Placuit, inquit, vt Epiſcopi, preſbyteri, diaconi, vel quicunque clerici qui nihil habentes, ordinantur: & tempore Epiſcopatus, vel clericatus ſui agros, & quæcunque prædia nomine ſuo comparant, tanquam rerum dominicarum inuaſionis crimine teneantur: niſi admoniti Eccleſiæ eadem contulerint. Si autem ipſis propriè aliquid liberalitate alicuius: vel ſucceſſione cognationis

euenerit, faciant inde quod eorum propoſito congruerit. & cap. ſeq. Ex his canonibus & ſimilibus clarum redditur, quod clericus de beneficio poteſt viuere, & propria relinquere amicis, conſanguineis, vel alijs prout voluerint: modo non exorbitent à propoſito clericali, vt Card. Alex. Turrecr. Archid. Domin. & alij declarant in d. c. Placuit. Non licet enim clericis bona propria etiam & patrimonialia, vel quaſi, relinquere hæreticis, ſchiſmaticis, concubinis, aut alijs inhoneſtis perſonis, prout rectè ibidem DD. colligunt: cum id longè alienum eſſe debeat à propoſito & pietate clerici. Quinto, ex canone 40. vel ſecundam aliam diſpoſitionem 39. Apoſtolorum manifeſtum eſt, quod Epiſcopus res proprias poteſt conſeruare cum bonis Eccleſiæ, modò fiat inuentarium rerum propriarum, & acquiſitarum, ne fraus fiat Eccleſiæ, vt ita notum maneat, quæ bona ſint propria, & quæ Eccleſiæ. Sint autem, ait canon, manifeſtæ res Epiſcopi (Si tamen habet proprias) & manifeſtæ Dominicæ, vt poteſtatem habeat de proprijs moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere, &c. & inſeritur hic canon 12. quæſt. 1. cap. Sint manifeſtæ. Idem colligitur ibid. ex cap. Manifeſta. & cap. Fixum. ead. c. quæſt. 5. Poteſt ergo non ſolum Epiſcopus res patrimoniales, vel quaſi, parentibus & conſanguineis, vel alijs pro ſuo beneplacito relinquere, ſed etiam quilibet alius clericus, &

ſic vt

ſic vt eas conſeruet cum bonis Eccleſiaſticis nihil obſtat, modo ſub velamento rerum propriarum reditus Eccleſiæ, & patrimonium Chriſti non deueniant ad conſanguineos, & vſus prophanos. Nunc ad argumenta in oppoſitum. Ad illam auctoritatem in d. cap. Clericos. quæ D. Hieronymo tribuitur, & aliam Proſperi diuerſæ à diuerſis adferuntur reſponſiones, quas Cardin. Alexand. & Turrec. in d. cap. Clericos ponunt. Quidam ſecundum præcitatos DD. excuſantes excuſationes in peccatis, dixerunt & ſcripſerunt, quod illa capitula de conſilio loquuntur, ſed iſta reſponſio nulla eſt: quoniam in ipſis capitulis continetur contrarium. Nam in primo dicit Hieron. quod tales committunt ſacrilegium, & in ſecundo Proſper, quod non ſine grandi peccato tales accipiunt Eccleſiaſtica ſtipendia: Quæ non eſſent vera, ſi capitula tantum loquerentur de conſilio. Secunda eſt aliorum reſponſio, qui dicunt, quod eſt præceptum: ſed intelligitur de his, qui occaſione diuitiarum patrimonialium vagantur, & nec per ſe, nec per alios ſeruiunt Eccleſiæ. Iſti licet bene dicant quod ſit pręceptum, non tamen in hoc rectè reſpondent, quod dicta capitula intelligantur, de vagantibus, nec per ſe, nec per alios ſeruientibus Eccleſiæ. Hoc enim eſt commune omnibus clericis tam pauperibus quam diuitibus, qui vagantur & ſeruire contemnunt Eccleſiæ, vt patet in tit. de cleric. non reſiden-

tibus. Tertia aliorum reſponſio dicentium, quod loquantur de his qui vſurpant quartam partem decimarum pauperibus aſſignatam, ſed hoc nec bene dicitur, quia iſta capitula generalius loquuntur, quã de vſurpatione quartæ partis. Quarto loco alij reſpondent, quod intelligantur eo caſu, quo Eccleſia non omnibus ſufficit, tunc quibus propria ſufficiunt, nõ debet aliquid ab Eccleſia accipere, ſed potius de ſuo ſubuenire arg. c. Paſce. 76. d. & c. licet. de cenſib. Quinto reſpondet Vlricus in ſua ſumma, quod hoc intelligendum eſt, cum extrema neceſſitas pauperum hoc requirit, vt etiam ſua quiſque pro ſua facultate communicet. Ad eandem reſponſionem accedit S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. ad 3. dicens, quod non omnia bona Eccleſiarum ſunt pauperibus largiẽda, niſi fortè in articulo neceſſitatis, in quo etiam pro redemptione captiuorum, & alijs neceſſitatibus pauperũ, vaſa cultui diuino dicata diſtrahuntur, vt Ambroſ. dicit. Et in tali neceſſitate peccaret clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ viuere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus viuere poſſet, & in ead. part. infra. q. 187. art. 4. ad 1. dicendum, quod auctoritates illæ (loquitur de c. Clericos. ex Hieron. & illa auctoritate 1. ad Timoth. 5. vbi verè viduæ & verè pauperes, quæ aliunde non habent, de ſumptibus Eccleſiæ ſuſtentandæ ſunt, iuxta cap. Viduas honora. 1. q. 2.) intelligendæ ſint tempore neceſſitatis, quando ſcilicet non

cet non poſſet aliter pauperibus ſubueniri: tunc enim tenerentur non ſolum ab eleemoſynis accipiendis deſiſtere, ſed etiam ſua ſi quæ haberent, largiri ad pauperũ ſuſtentationem. Sic S. Thom. Atq; vt hoc circa illum can. Clericos, qui à Gratiano D. Thom. in d. art. 7. in 3. arg. & alijs quibuſdam Hieronymo tribuitur ad Damaſum Papam, cum Nauarro in comment. c. Quicquid. 16. q. 1. vbi etiã §. fin. eadem habentur quæ in c. Clericos, de reditib. benefic. in princ. annotem illa verba in nulla epiſtolarum Hieronymi ad Damaſum inueniri, & illos DD. ſcilicet D. Thom. & alios auctoritate Gratiani in hoc deceptos, aut certò deeſſe in epiſtolis D. Hieronymi, quæ nunc circumferuntur aliquã maximi ponderis epiſtolam. Proſperi dicta referuntur ad ſtatum perfectiſſimum Eccleſiæ, quando adhuc florebat, cunctaq; illis communia erant, nec quiſquã ſuum aliquid dicebat, ſed omnia diſtribuebãtur pro neceſſitate. Ad ſecundũ, Licet Epiſcopus non teneatur prouidere eis qui diuites ſunt, & ſufficiens ad viuendum patrimonium habent, non ſequitur tamen quod talis non poſſit beneficiũ acquirere, & inde viuere ſaluo manente patrimonio. Ad tertium, Non ſolum bona Eccleſiæ ſunt deputata ad vſum pauperum, ſed etiam in ſtipendium laborantium in Eccleſia, vt ex ſuperioribus apertum eſt, maximè ex Apoſtolica doctrina 1. Corinth. 9. & ex d. cap. Clerici omnes qui Eccleſiæ fideliter vigilan-

gilanterque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, &c. conſequantur. Itaque beneficia non ſolum ſunt pro pauperibus, ſed etiam pro diuitibus qui ex ordinatione Eccleſiæ Deo inſeruiunt. Si quid tamen his poſt honeſtam ſuſtentationem ſupereſt, de tali ſtipendio, id pauperum neceſſitati deputandum eſt. Atque ex his ſoluitur etiam argumentum Adriani, non eſt eadem ratio eleemoſynæ quę pauperi datur, & beneficij Eccleſiaſtici. Eleemoſyna purè ſuppeditatur ad ſubleuandam inopiam pauperis. Sed beneficium datur etiam vt ſit ſtipendium & merces eius laboris, qui impenditur à clerico in diuinis. Atq; hinc maximum fortiſſimumq; argumentum deſumitur, quod ſtipendia ſiue beneficia Eccleſiaſtica nō ſecura conſciētia poſſideantur ab illis, qui nō laborāt in beneficijs pro onere iniuncto. Tritum eſt enim illud Apoſtolicum. 2. ad Timoth. 3. Qui non laborat, non manducet, & aliud Euangelicum, quod merces detur laborantibus in vinea Domini, & non ſtantibus otioſè in foro. Nec etiam eſt canon, qui dicat, bona patrimonialia eſſe deputanda alicui operi pio. Imò in contrarium ſunt canones, qui clarè oſtendunt ea poſſe relinqui conſanguineis, & ſubiacere diſpoſitioni liberæ ipſius beneficiarij, modo non expendat in vſus illicitos & inhoneſtos, atque à clericali propoſito alienos.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

Simonia eſt dare pecuniam pro vicariatu, vel pro alia adminiſtratione rerum ſpiritualium ſeu Eccleſiaſticarum habenda: & dantes & recipientes ab illa Eccleſia ſunt eÿciendi.

Idem.

CONſulere: & infra. Quicunque vicedominatum, vel aliam Eccleſiaſticarum rerum adminiſtrationem, per pecuniam obtinere voluerint: tam ementes quam vendentes cum Simone percelluntur: & ab Eccleſia, in cuius contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerunt, iuſtè excluduntur.

Caſus facilè colligi poteſt ex ſummario & litera.

Nota cum Gloſſ. in verb. Adminiſtrationem, nomine adminiſtrationis in hoc cap. comprehenditur præpoſitura, œconomi officium, vicedominatus, aduocatia, caſtaldionatus, & munus iudicandi, aut quælibet alia adminiſtratio Eccleſiaſtica.

Secundò. Contumelia ac iniuria fit illi Eccleſiæ quæ per pecuniam acquiritur, aut cuius officia & adminiſtrationes venales ſunt.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

An ſit ſimonia pecunia acquirere adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, aut officia Eccleſiæ?

PRima *Concluſio.* Prælatus non poteſt ſine ſimoniæ peccato vendere ſuam iuriſdictionem Eccleſiaſticam & ſpiritualem. Hæc eſt communis DD. tam in hoc cap. quam in cap. 1. Ne prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant. per text. in hoc cap. & in d. cap. 1. nec in hac re eſt dubium. Iuriſdictio enim Eccleſiaſtica eſt quid ſpirituale per notata in cap. Decernimus. de iudicijs. & in dicto cap. Saluator. & in dicto cap. 1. Ne prælati vices. damnantur, ab Alexandro in Concilio Lateranenſi quidam Epiſcopi, qui pro certa quantitate pecuniæ vendebant Epiſcopalem iuriſdictionem quibuſdam, qui decani, id eſt, archipreſbyteri rurales, ſecundum Gloſ. vocabantur. & capite ſequenti. Hinc Epiſcopus nullo modo vices ſuas pro pretio poteſt vendere, nec officialatus munus circa ſpiritualia.

Secunda Concluſio. Prælatus, aut Epiſcopus, ſi alicui purè & ſimpliciter ſuas vices in ſpiritualibus committat, poteſt, imò tenetur ei ſalarium aſſignare, nec incurritur ſimonia. Quia nemo tenetur proprijs ſumptibus militare.

litare. Concluſionem tenent Cardin. Alexandrin.& Turrecrem. in d.cap. Saluator. Abbas. Anton. & alij communiter in cap. 1. Ne prælati vices ſuas.

Tertia Concluſio. Nulla officia, quæ aliquam habent dependentiam à rebus ſpiritualibus, ſine ſimoniæ labe poſſunt vendi, aut emi. Ratio ſumitur à definitione ſimouiæ, quæ locum habet in annexis ſpiritualibus, & à traditis in hoc cap. & in cap. Quoniam 1. Ne prælati vices ſuas.

Quarta Concluſio. Commoda & obuentiones iuriſdictionis poſſunt vendi, & elocari ſine ſimonia. DD. communiter in dicto cap. 1. circa Gloſſ. fin. Ne prælati vices. Quia fructus & obuentiones ſunt quid tẽporale. Innocent. tamen putat quod commoda iuriſdictionis non debeant vendi exercenti iuriſdictionem: Ne propter connexionem videantur vendere ipſam iuriſdictionem. argum. cap. Si quis obiecerit. 1. quæſt. 3. quod etiam placet Panormit. in d. cap. 1. in fine. Hoſtien. tamen ſentit quod etiam poſſint vendi eidẽ exercenti, dum tamen iuriſdictio non vendatur, & ſic debent tunc ſeparari iſti duo contractus, vt ex vna parte iuriſdictio committatur, & ex alia fructus vendantur, ita vt contractus non permiſceantur. argum. cap. Ad quæſtiones, de rerum permutat.

Quinta Concluſio. Simoniam non committit Eccleſiæ prælatus, ſi aliquam iuriſdictionem tempo-

temporalem, aut officium non habens dependentiam vllam à ſpirituali vendat, aut elocet pro pecunia, licet alias grauiter peccet, & ſit turpe lucrum quod ſic acquiritur. Hanc tenent Hoſtienſ. Innocent. Panormit. & Cardin. in d. cap. 1. Ne prælati vices. Panormitan. Anton. Ioan. ab Anania in cap. 2. eod. tit. Concluſio clara eſt. Non committitur ſimonia, quia nec venditur ſpirituale, nec ſpirituali annexum. Quod autem peccet, & ſit turpe lucrum, patet, quia eſt in grauamen ſubditorum, & ſubuerſionem iudiciorum. Si enim iuriſdictio vendatur, vt emens non careat ſuo emolumento, iuriſdictionem exercens vltra debitum ſubditos hac occaſione grauat. arg. cap. Militare. 23. quæſt. 1. & ſic vendendo iuriſdictionem, tacitè videtur diſſimulare, quod ſubditi plus debito grauentur, & iudicia ſubuertantur. His accedit quod habet mali ſpeciem, à quo Epiſcopus aut Eccleſiæ prælatus maximè debet eſſe alienus. Sordidum enim ac auaritia plenum eſt in prælato Eccleſiæ, cui magis virtutibus quam diuitijs abundare conuenit, lucrum ſectari in minimis quibuſcunque rebus.

QVÆSTIO II.

An iuriſdictio ſecularis & officia reipublicæ poßint vendi?

IN pri-

IN primis Hoſtienſis in ſumma Rubric. Ne prælati vices ſuas, non longè à principio. verſ. Item eſt ſecunda ratio, dicit quod ſi quis det pecuniam, vt in Imperatorem, vel in Poteſtatem, vel in Rectorem alicuius ciuitatis promoueatur, ſimonia committatur, quia omnis iuriſdictio & omnis poteſtas à Deo eſt, & ſpiritualis videtur. Vnde illud: Non haberes in me poteſtatem, niſi deſuper tibi datum fuiſſet. Sic ergo Hoſtienſ. in ea ſententia eſt, quod iuriſdictio temporalis & dignitas ſecularis ſine ſimonia non poſſint vendi. Angel. de Vbaldis, Peruſinus in Auctent. Vt iudices ſine quoquo ſuffragio, collat. 2. ſtatim in princ. eiuſdem videtur opinionis, quando ait: Nota iſtum text. contra illas poteſtarias mediante ſimonia. & Iacob. de Beluiſio in ead. Auctent. verſ. Opponitur ſecundo ad idem, ait, quod lex Iulia ambitus & ſimonia in vrbe Romana hodie ceſſet, quia ad curam principis magiſtratuum communicatio pertinet: & loquitur, vt clariſſimum eſt de magiſtratibus polyticis, & ſic in ſententiam Hoſtienſis tendit. Bald. in vſib. feudorum. in tit. de pace iurament. firmand. cap. 1. & poſt eum Fabianus de monte S. Seuerini in tract. de empt. & vend. q. 4. principali. verſ. Sexto quæritur. tradunt iuriſdictionem ſecularem vendi non poſſe, nec conſuetudinem eam vendendi valere. Ex Theologis Adrian. in 4. de reſtitut. in tract. de mutuo & vſura. §. Ex his ſuboritur. fol. 39. vult

non licere officia temporalia vendere, etiam idoneis, cum princeps non ſit dominus officiorum & ſtipendiorum correſpondentium, ſed diſpenſator. Deinde allegat etiam ius humanum quo prohibetur, 1.q.7.cap. Sancimus. deſumptum ex l. Sancimus. C. ad leg. Iul. repetund. vbi hæc verba habentur: Prouincias recturi non debent aſſumi ambitione, ſed teſtimonio probatæ vitæ, & iurati inter geſta depromant, ſe pro adminiſtrationibus ſortiēdis, neq; dediſſe quippiam neq; daturos vnquam poſtmodum fore, ſiue per ſe, ſiue per interpoſitam perſonam in fraudē legis, ſacramentiq; aut donationis, venditioniſq; titulo, aut velamento cuiuſq; contractus, & ob hoc (exceptis ſalarijs) nihil penitus tam in adminiſtratione poſitos, quam poſt depoſitum officium, pro aliquo præſtito beneficio tempore adminiſtrationis, quā gratuitò meruerunt, accepturos. Occaſione huius legis in multis locis officiales in principio officij, tenētur iurare, quod non dederunt, neq; dabunt, nec promiſerunt, aut promittent aliquid pro ipſo officio, vt eſt videre apud Iulium Clarum lib. 5. ſentent. §. Simonia. num. 4.

Prima Concluſio. Non eſt ſimonia dare, aut accipere pecuniam, aut aliquid temporale pro acquirenda dignitate ciuili, aut alia temporali iuriſdictione, aut pro officio ſeculari conſequendo. Hæc concluſio eſt contra Hoſtien. Angel. & Iacobum de Beluiſio locis cit. & eam

tenent

tenent D. Antonin. 2. part. titu.1. cap. 5. §. 21. Angel. in verb. Simonia 2. §. 31. Sylueſt. eod. verbo. quæſt. 9. non longius à fine. Piſanella eod. verbo. 3. in fine. & omnes iſti reprobant Hoſtienſis opinionem. Eandem concluſionem à fortiori ſequuntur omnes allegati in concluſ. fin. præcedentis quæſt. & Ratio ibid. reddita hanc etiam ſufficienter probat. Ad Hoſtienſis argumentum reſpondetur, quod nec poteſtas, nec iuriſdictio temporalis eſt quid ſpirituale, ſupernaturaliter à Deo datum & ſacrum factum, ſed naturaliter omnis poteſtas à Deo eſt. Quare non ponitur poteſtas talis in ordine entium ſupernaturalium, quæ ſpectant ad materiam ſimoniæ, ſed manet in gradu obiectorum naturalium. Hinc infertur contra Hoſtienſ. quod ſi quis in Imperatorem mediante pecunia, aut promiſſione temporalium eligeretur, aut pretio dato acceptoque ad conſulatum, vel magiſtratum promoueretur, neque electio, neque promotio foret ſimoniaca, licet peccatum committeretur, & turpe lucrum intercederet.

Secunda Concluſio. Iuriſdictio & officia ſecularia ex ſua natura vendi poſſunt. Hanc tradunt S. Thomas in opuſculo 21. ad Duciſſam Brabantiæ. S. Antonin. in d. §. 21. Angel. in verbo Dignitas. §. 2. Sylueſt. in verbo. eod. quæſt. 4. & alibi. Caietan. in ſumma. in verb. officiorum ſecularium venalitas. Dominicus

Sotus de iuſtitia & iure.lib.3.quæſt.6.art.4.Petrus de Aragon in 2. 2. S. Thomæ. quæſt. 63. art.2. Gregor.de Valent.in ead.quæſt. S.Thomæ. Aurea Armilla in verb. Officium. Martinus Nauarr.in comment.de datis & promiſſis pro iuſtitia. notab.32. num. 44. & ſeq. Didac. Couarr. lib. 3. variar. reſolutionum. cap. 19. num. 4. & ſeq. & alijs latius ex propoſito Fernand. Vaſquius illuſtrium controuerſ. lib.1. cap.42. & 43. & hæc eſt communis DD. concluſio. Probatur. Iuriſdictio, ac officia reipublicæ ex natura ſua pretio æſtimari poſſunt: quandoquidem temporalia, vtilia & honorifica ſunt, nec habent aliquid ſpirituale annexum, & ſubduntur contractibus humanis. Conſuetudine autem quæ legum interpres eſt, cap. Dilectus. de conſuetud. vbique gentium receptum eſt, iuriſdictionem temporalem, vendi, permutari, locari, in dotem & feudum dari. Huic accedit quod nulli legi naturali, vel diuinæ contrarium eſt, vendere iuriſdictionem & officia ſecularia, imò legi conſonum eſt. l. ex hoc iure. ff. de iuſtit. & iure. cap. Ius gentium. & 1. d. cum gloſſis & annotatis, quatenus probant regnum & conſequenter iuriſdictionem in dominio alicuius eſſe poſſe. Ad argumentum Adriani, patere poteſt ex dictis, conſtat enim Principem, Regem, aut quemcunque ſuperiorem cui competit iuriſdictio, aut communicatio officiorum ciuilium, dominum eorum eſſe. Is enim qui ea vendit,

dit, elocat, in dotem aut feudum dat, dominus eorum eſt. Ad legem humanam. cap. Sancimus. quod deſumptum eſt ex l. Sancimus. C. ad leg. Iul. repetund. reſpondet Nauarr. in primis quod non loquatur de iuriſdictione, aut eius venditione, ſed de munere & officio iudicandi, nec probat munus & officium iudicandi eſſe inæſtimabile, & inuendibile de ſe ex iure naturali vel diuino, ſed tantum nõ expedire vt vendantur. Præterea non conuincit talia munera & officia non poſſe vendi à principe: cum princeps tali iuri humano non ſubſit. l. Princeps. ff. de legib. Reſtat ergo quod ex natura ſua reipublicæ officia ſint vendibilia, & etiam multis in locis actu vendantur, & in æſtimationem veniant. Cui rei aſtipulatur illa quæſtio à DD. aliquibus mota: An decurionatus, publica munera, ſcribæ & tabellionis officia & ſimilia, empta matrimonio conſtante à marito, ſint communia ipſi & vxori? De qua quæſtione poſt alios tractat Couarr. loco cit.

Tertia Concluſio. Conſultius ac conuenientius ad conſeruandam, retinendamque iuſtitiam in republ. foret gratis officia & munia talia conferre, & nõ vendere. Hanc concluſionem puto ab omnibus eſſe receptiſſimam, quamuis in forma non ponatur. Probatur in primis ex c. Quoniam 1. Ne prælati vices ſuas: vbi damnatur venditio & elocatio iuriſdictionis ſpiritualis, quia tendit in grauamen ſub-

ditorum, eorundemque perniciem, & ſubuerſionem iudiciorum. Sed eadem incommoda timentur ex venditione officiorum polyticorum, & munerum publicorum, vt etiam ſatis oſtenditur ex d. Auctent. vt iudices ſine quoquo ſuffragio fiant, &ex annotatis ibid. à DD. Conuenit optimè huic propoſito illud dictũ Bartoli in l.2.ad finem. C.de Murclegulis. lib. 11. etiam allegatum à Ioanne ab Anan. in d. c. Quoniam. Ille qui dat pecuniam, vt habeat officium, habet animum malè adminiſtrandi, & malè lucrandi, & propter hoc fuit factus ille titulus, Vt iudices ſine. Regulare enim eſt, vt annotat Iacob. de Beluiſio in d. Auctent. Vt iudices, &c. in princ. verſ. Nota decimo, quod quilibet ex officio quod ſuſcipit, cogitat lucrari. Præclarum extat Alexandri Seueri dictum, commemoratum à Iacobo Menochio lib.2. de arbitrar. iudic. qq. caſu 401. n. 16. Ille itaq; prædicabat ſe nolle dignitates & magiſtratus vendere: Quia qui emunt, vt vendant neceſſe eſt, & vt pecunias in emptione honoris expoſitas recuperẽt, ſubditos torquere, & vexare ij emẽtes magiſtratus cogũtur. Poſtremò cõformius legib. & iuri hoc eſſet, ſi gratis dignitates, & officia publica conferantur. arg. d. c. Sancimus. & Auct. vt iudic. ſine quoq. ſuffrag.

Quarta Concluſio. Rex aut Imperator ex iuſta & rationabili cauſa licitè poſſent vendere publica officia. Hanc tenẽt communiter DD. tam Theologi quam Iuriſtæ citati, licet Caiet.

& poſt

& poſt eum Sotus videantur docere, quod vix practicè vnquã licita ſit venditio officiorum, propter incommoda, quę vt plurimũ ſequuntur. Duo autem ex mente S. Tho. ad licitã talium officiorum venditionẽ requiruntur. Primũ vt vendantur perſonis idoneis, & vtilibus ſecundũ moralem præſumptionẽ ad talia officia exequenda. Infideliter ageretur, & malè conſultũ eſſet communi bono, ſi ineptis hominibus, & minus idoneis talia munia neceſſaria ad polyticũ regimẽ venderentur, & committerentur. Alterũ eſt, vt pretiũ pro talibus officijs datũ, ita ſit moderatum, vt ſine grauamine populi poſſit recuperari. Ex quo capite oritur, quod ſi exceſſiuũ pretium exigeretur in venditione, emens ad conſulendũ ſuæ vtilitati quamprimũ à ſubditis extorqueret, cum eorũ grauamine pretiũ quod expoſuit. Ideoq; neceſſariũ ad ſubueniendum ex hac parte, incõmodis, & grauaminibus, eſſet, vt prouidẽtia principis, & ſtatutis ſalubribus, taxarentur, & moderarẽtur ſtipendia debita officialibus, qui officia emerunt, ne auaritia (ex qua plurima mala ſequuntur. d. Auctẽn. vt iudic. ſine quoq. ſuffrag.) capti, ſub colore ſui officij, ſubditos contra iuſtitiã emungant, & paulatim eorum vires exhauriant. Illud quoq; Sotus, Petrus de Arag. Damhoud. & alij quidam, docent non eſſe licitũ vẽdere iudicaturas ſeu iudicatus, (vt alij loquũtur) ſed alia officia inferiora in quib. non tã adminiſtratio iuſtitiæ, quam executio

eorum, quæ à iudicibus decernuntur, conſiſtit & verſatur.

Quinta Concluſio. Si princeps ſufficientes à populo haberet reditus, nec indigeret, neutiquam ei licitum eſſet talia officia vendere. Hanc concluſionem à nemine puto negari, & eam clare tradit Vaſquius in d. c. 43. n. 6. & 8. Ratio clara eſt pro concluſione. Venditio talium officiorum eſt de genere rerum, quæ licet ex ſua natura ſint licita, tamen ob plurima incommoda, & inconuenientia, quæ concomitantur, periculoſæ ſunt, maximamque ſpeciem mali habent, & facilè, præſuppoſita maximè hominũ malitia, vergunt in peccatum, ideò niſi iuſtitiæ cauſa alijſq; circumſtantijs de quibus ex dictis patet, rectificentur, neutiquã tolerantur. Cauſa autẽ vera quare tolerantur venditiones officiorũ eſt, vt ſubueniatur neceſſitati principis & reipub. Si autem princeps ſufficiẽter reditibus dotatus ſit, ceſſat cauſa, & ideò meritò ceſſare debet vẽditio officiorum. Incommoda autem, quæ vt plurimũ officiorum ſecularium venalitatem ſequuntur, breuius Caietan. Sotus, Petrus de Aragon. & latius Iodocus Damhouderius in praxi rerum criminalium, cap. 131. enumerant. Quando ergo principi non ſufficienter prouiſum eſt in reditibus, tunc, inquit Vaſquius, vendere poteſt vſque ad repletionem idoneam, & non vltra, atque ſi quid ſupereſt, id in vſus publicos conuertendum eſt.

Sexta

Sexta Concluſio. Non ſolum Regi, aut Imperatori competit ius vendendi officia, ſed etiam inferioribus Principibus, qui ex populi, vel ſupremi domini conceſſione, aut alio iuſto titulo, habent plenam tam iuriſdicendi facultatem, quam gubernandi poteſtatẽ. Hanc etiam ponit Vaſquius, nec puto quod Sotus & alij Theologi ſint alieni. Concluſio tantum locum habet, quando etiam ſufficientem non haberent prouiſionem. Ratio facta pro præcedenti concluſione. Hanc etiam probat. Cum enim tales debeant per omnia gubernare ſuam rempubl. omniaque facere quæ ſpectant ad manutenendum ſtatum illius, ſi non habeant neceſſaria ad eum finem, nihil vetat, quo minus poſſint ex talium officiorum venditione pecunias colligere, non ſecus ac ex ciuium & ſubiectorũ collectatione ac alijs idoneis modis. Alia tamen ratio eſſet, quando eſſent domini inferiores, qui non plenam haberent iudicandi, regendique poteſtatem, ſed à ſupremo domino in ſua adminiſtratione dependerent. Eadem ratione, populus liber poteſt etiam vendere officia publica, quando indiget. vt Vaſq. in d.cap.42. latius probat.

Septima Concluſio. Particulares perſonæ, quæ talia officia à Rege aut ſuperiore emerunt, non poſſunt eadem aut per venditionem, renunciationem ſimplicem, aut alium modum in alterum transferre, niſi de conſenſu & licentia regis, aut ſuperioris qui ven-

didit. Hanc poſt alios ponit Petrus de Aragon.& Couarr. qui fatentur, quod facillimè à principe ſoleat impetrari licentia vendendi & transferendi in alium.

CAPVT XXXIX.

Simoniacum eſt aliquid exigere pro conſecratione Epiſcoporum, & benedictionibus Abbatum, & ordinationibus clericorum: nec excuſat conſuetudo.

Idem in Concilio generali.

SIcut pro certo didicimus, in pleriſque locis, à pleriſque perſonis quaſi columbas in templo vendentibus fiunt exactiones, & extorſiones turpes, & prauæ: pro conſecrationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinibus clericorum: eſtque taxatum quantum ſit iſti, vel illi: quantumúe alteri, vel alij perſoluendum:&ad cumulum damnationis maioris quidam cupiditatem & prauitatem huiuſmodi nituntur defendere per conſuetudinem longo tempore obſeruatam. Tantum igitur abolere volentes abuſum: conſuetudinem huiuſmodi (quæ magis dicenda eſt corruptela) penitus reprobamus: firmiter ſtatuentes, vt pro his, ſiue conferendis, ſiue collatis, nemo aliquid quocunq; prætextu exigere, aut extorquere præſumat: alioquin

quin & qui receperit, & qui dederit huiuſmodi pretium omnino damnatum cum Giezi, & Simone condemnetur.

Caſus literalis ſecundum Gloſſ. & Abbatem. In pleriſque locis à multis prælatis fiunt turpes exactiones pro conſecrationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatũ, & conſimilibus, & eſt taxatum quantũ debeat dari iſti, vel illi, quantumúe alteri, vel alij, huiuſmodi prauitatem per conſuetudinem defendentes. Conciliũ huiuſmodi conſuetudinem, quæ dicenda eſt potius corruptela, penitus reprobat prohibendo expreſsè, ne pro talibus quocunq; prætextu aliquis extorquere præſumat aliquid, vel exigere: alioquin & qui dederit, & qui acceperit cum Giezi, & Simone condemnetur.

Notab. primum. Epiſcopus dicitur conſecrari, Abbas benedici, & clericus ordinari. Dicit tamen Abbas, quod ſatis poteſt dici, quod etiam Epiſcopus ordinetur, quia Epiſcopatus eſt ordo, vt notatur in proœmio ſexti, à Gloſſ. in verb. Epiſcopus. Sed Theologorũ communior & receptior opinio eſt, quod tantum ſeptem ſint ordines, & Epiſcopatus propriè nõ ſit ordo, nec in eo nouus caracter imprimatur. Sed hoc latius examinare locus non poſtulat.

Not. ſecundum. Pro huiuſmodi actionibus hierarchicis nec poſt, nec antea poteſt aliquid exigi, aut extorqueri quocunque prætextu, & omnis conſuetudo aliquid ex pacto accipien-

accipiendi, penitus in hac materia reprobatur hîc, & ſupra in cap. Non ſatis, & cap. Cum in Eccleſiæ. & infra. cap. Iacobus. eod. tit. Cum enim ſimonia ſit contra legem diuinam, conſuetudo eam non excuſat, ſed magis accuſat, quia diuturnitas temporis non diminuit, ſed auget peccatum. d. cap. Non ſatis.

CAPVT XL.

Religioſi precio recepti vna cum recipientibus de monaſterio expelluntur: & in arctioribus monaſterijs ad agendam pœnitentiam detruduntur. Sed recepti ante iſtud Concilium ponebantur ſic recepti in alijs locis eiuſdem ordinis: niſi multitudo ſit in cauſa, ita tamen vt renuncient primæ receptioni, & de nouo recipiantur,

Idem in eodem.

QVoniam ſimoniaca labes adeò pleraſque moniales infecit, vt vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores: paupertatis prætextu volentes huiuſmodi vitium palliare, ne id de cætero fiat penitus prohibemus: ſtatuentes, vt quæcunque de cætero talem commiſerint prauitatem: tam recipientes quam recepta: ſiue ſit ſubdita, ſiue prælata: ſine ſpe reſtitutionis de ſuo monaſterio expellatur, in locum

locum arctioris regulæ, ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem quæ ante hoc ſynodale ſtatutum taliter ſunt receptæ, ita duximus prouidendum, vt remotæ de monaſterijs quæ perperam ſunt ingreſſæ, in alijs locis eiuſdem ordinis collocentur. Quod ſi forte propter multitudinem alibi nequiuerint commodè collocari, ne damnabiliter in ſeculo euagentur: recipiantur in eiſdem monaſterijs diſpenſatiuè de nouo, mutatis prioribus locis, & inferioribus aſſignatis. Hoc etiam circa monachos, vel alios regulares decernimus obſeruandum. Verum ne per ſimplicitatem, vel per ignorantiam ſe valeant excuſare: præcipimus vt diœceſani Epiſcopi ſingulis annis hoc faciant per ſuas diœceſes publicari.

Caſus litteralis. Simoniaca prauitas apud multas moniales in tantum inualuit, quod vix recipere voluerunt aliquas in ſorores ſine pretio, paupertatis prætextu. Præcepit Concilium ne de cætero id fiat, ſtatuens vt quæcunque de cætero talem commiſerit prauitatem, tam recipiens quam recepta, ſiue ſubdita fuerit, ſiue prælata, ſine ſpe reſtitutionis de monaſterio expellatur, in arctius monaſterium ad agendam perpetuam pœnitentiam: De his verò quæ ante iſtud Concilium taliter ſunt receptæ, ſtatuit, vt de illis monaſterijs quæ perperam ſunt ingreſſæ remoueantur, & cum alijs eiuſdem ordinis collocentur. Si fortè

propter

propter multitudinem hoc fieri non poter
ne damnabilter in ſeculo euagentur, de no
diſpenſatiuè in eiſdem monaſterijs recipia
tur, mutatis locis prioribus, & inferiorib
aſſignatis. Et hoc quod dictum eſt de mon
libus obſeruandum eſt de monachis, & a
regularibus: & ne per ſimplicitatem, vel
norantiam aliqui ſe valeant excuſare, præci
vt Epiſcopi per ſuas diœceſes ſingulis an
hoc faciant publicari.

Not.primum. Appellatione monialium n
continetur Abbatiſſa, prioriſſa, aut præla
Nam in primis fit mentio monialium in g
nere, deinde ſubditur de prælata.

Secundum. Appellatione monialium n
comprehenduntur monachi, quia licet m
ſculinum comprehendat fœmininũ, non
mẽ contra. vt l. Si ita. ff. de legat. 2. & ſic diſpo
tio faciens mentionem fœminæ, nõ exten
tur ad maſculum, niſi expreſsè hoc dicat.

Tertium. Paupertas non excuſat à ſimon
& ſimilis ratio eſt de alijs intrinſecè & ex n
tura ſua malis.

Quartum. Moniales & monachi non exc
ſantur ob ignorantiam iuris, quando ius o
ni anno illis publicatur.

Quintum. Conſtitutio antiqui iuris dec
ratoria, non extenditur ad præterita reſpec
pœnæ, vt Panormitan. Anton. Felin. &
communiter in hoc cap. obſeruant. Dom
nicus à S. Geminiano in cap. Quoniam. d.4
Glo

Gloſſ. in verb. Receperint. cap. 1. de cleric. non reſident. in 6. Limitat tamen hoc Felin. niſi pœna concerneret delictum præteritum, cui tamen per legem antiquam non eſſet ſatisfactum, quia pendentia delicti, vel acceſſorij ſui, exiſtens tempore legis nouæ, includetur ſub ipſa per text. ſingularem, & intellectum magis literæ conſonum in cap. Cum tu. de vſur. Abb. ibid. ſuper Gloſſ. in verb. Pœnam, &c.

Sexto & vltimo ſingulariter obſeruandum cum Panormit. hic in fine ex Gloſſ. & textu ibi. Ne damnabiliter in ſeculo euagentur, &c, quod ſimonia non impedit monachatum, licet impediat locum habere in illo monaſterio, vbi ſimoniaca receptio interceſſit: Nam ſi non eſſent moniales impediente ſimonia, poſſent redire ad ſeculum ſine damnatione. Vnde rectè colligitur, quod ille qui ſimoniacè receptus eſt ad religionem, & poſtea profeſſionem ſolemnem fecerit in approbata religione, ob ſimoniam commiſſam non abſolutus eſt à trium votorum obligatione. De ſimonia commiſſa reſpectu religionis, actum eſt ſupra in cap. Non ſatis.

CAPVT XLI.

Epiſcopi nil accipere debent vt permittant in Eccleſijs ſibi ſubiectis clericos inſtitui:

inſtitui: monachos profiteri: vel mortuos ſepeliri, alioquin exacta reſtituentur duplicata.

Idem in eodem.

AVdiuimus de quibuſdam Epiſcopis, quod decedentibus Eccleſiarum rectoribus, ipſas interdicto ſubijciunt, nec patiuntur alios in eiſdem inſtitui, donec ipſis certa ſumma pecuniæ perſoluatur. Præterea cum miles, aut clericus domum religionis ingreditur: vel apud religioſos eligit ſepulturam, etiamſi nihil loco religioſo reliquerit, difficultatem ingerunt, & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum. Cum igitur non ſolum à malo, ſed ab omni ſpecie mali ſit ſecundum Apoſtolum abſtinendum: exactiones huiuſmodi penitus inhibemus. Quod ſi quis tranſgreſſor extiterit, exacta duplicata reſtituat: in vtilitatem locorum (in quorum fuerint ſoluta diſpendium) fideliter conuertenda.

1. ad Theſſal. 5.

Caſus literalis. Quidam Epiſcopi decedentibus Eccleſiarum rectoribus Eccleſias ipſas ſubijciunt interdicto, nec permittunt aliquos in eiſdem inſtitui, donec pecunia perſoluatur. Item cum miles aliquis vel clericus domum religionis ingreditur, vel apud religioſos eligit ſepulturam, ſi nihil reliquerit loco religioſo, difficultates ingerunt, donec aliquid muneris recipiant. Peruenit hoc ad notitiam Papæ, qui

pæ, qui reſpondet. Cum non ſolum à malo, ſed etiam ab omni ſpecie mali præcipiat Apoſtolus abſtinere, Concilium huiuſmodi exactiones duxit inhibendas: & qui contra fecerit, exacta duplicata reſtituet in vtilitatem locorum, in quorum fuerant ſoluta diſpendium fideliter conuertenda.

Not.primò, ex text. Pro inſtitutione Rectoris, aut conſenſu præſtando nihil exigendum, aut dandum: alioquin ſimonia committitur. Quia inſtitutio eſt quid ſpirituale.

Not:ſecundò. Caſum, in quo ſimoniacè exactum, reſtitui debet duplicatum. Obijciunt Panormit. & poſt eum Ioan. ab Anania. text. in cap. De hoc. ſupra eod. vbi tantum reſtituendum decernitur illicitè exactum, nec alibi in iure huius tituli cauetur de iſta duplicatione. Reſpondent quod contrarium locum habet, quando ſimoniacè aliquid datur, accipiturque ex communi concordia dantis & recipientis. Præſens verò text. procedit in exacto per ſuperiorem quaſi per extorſionem, ac concuſſionem, vt ſatis ex textu elicitur: & ideo quaſi per violentā impreſſionem conſequantur hanc pecuniam, & non ex ſpontanea voluntate dantis.

Tertiò. Hoc cap. quantum ad reſtitutionem duplicatam exactorum pœnale eſt, & ideò non obligat in foro conſcientię, vt notant hîc Panormit. Ioan. ab Anan. & alias latius Felin. per Gloſſ. ſing. in cap. Fraternitatis. in Gloſſ.

magna in fine. 12. quæſt. 2. In foro enim conſcientiæ ſufficit ſimplex reſtitutio eius, quod ſimoniacè exactum eſt.

QVÆSTIO I.

An dare vel recipere pecuniam pro ſepultura ſit licitum?

DE hac materia tractant Cardin. Alexand. & Turrecr. in c. Dictum eſt. 1. q. 1. Hoſtien. in ſumma. tit. de Simonia. §. Qualiter committatur. Cardin. Abbas, Antonius, & alij Canoniſtæ communiter in c. Abolendę. de ſepult. S. Antonin. 2. part. tit. 1. c. 5. §. 22. S. Thom. in 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. & eius commentatores ibid. Dominic. Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure. q. 7. ad tertium arg. Sylueſt. in verb. Sepultura. q. 2. & in verb. Simonia. q. 11. & 12.

Deinde nomine ſepulturæ intelligimus, aut ius ſepeliendi, ſiue ſepulchri: aut ipſum officiũ, quod impenditur corporibus funerandis: aut locum in quo ſepeliuntur corpora mortuorũ, ſiue terram ſepulchrorum. Poſtremò, talis terra aut eſt conſecrata & deputata iam actu corporibus ſepeliendis: aut nec dum eſt deputata ad talem vſum, nec etiam conſecrata. Nunc pro reſolutione ſit

Prima Concluſio. Vendere aut emere ius ſepulturæ eſt ſimoniacũ. Conſtat. Quia hoc aut eſt ſpirituale, aut ſpirituali annexum. Innoc. & alij in d. c. Abolendæ. & alij loc. cit.

Secunda

Secunda Concluſio. Vendere, aut emere ipſum funebre officium, aut exigere aliquid pro eo, eſt ſimoniacum. DD. communiter vbi ſupra. Quia officium illud eſt ſpirituale, & eſt text. ſupra in cap. Non ſatis. eod. Ex hac concluſione reſoluuntur quæſtiunculæ motæ ab Hoſtienſi in primis, deinde à Summiſtis, maximè Syluestr. Prima eſſe poterit. Quid ſi maior crux nõ deportetur, niſi certo pretio habito? Reſpondetur quod hoc ſine dubio ſimoniacum eſt, & ſpecies mali, & auaritiæ ſignum, atque ſic reprobandum, vt in hoc c. Audiuimus. Secunda. Quid de his qui faciũt pactum de lecto redimendo certo pretio, antequam corpus deportetur ad Eccleſiã. Reſpondetur, quod lectus & panni temporales, vnde vendi, redimi, & permutari poſſunt, tam ante quam poſtea. Tertia. Quid ſi clerici nolunt corpus ſepelire niſi prius interpoſito pacto de lecto reddendo? Species mali eſt, cum fiat pactum de temporali ad ſpirituale. cap. fin. de rerum permut. Quarto. Quid ſi deportato corpore ad Eccleſiã, amici volunt recuperare lectum, & violẽter reportant ipſum ad domum. Reſp. nihilominus debet corpus gratis & honorificè ſepeliri. Et ſi conſuetudo Eccleſiæ ſit, vel quaſi, quod lectus retineatur à clericis, amici vel hæredes per cenſuram Eccleſiaſticã compelli poſſunt ad reſtituendum lectum, quia talis conſuetudo laudabilis eſt. arg. c. ſeq. Quinta quæſtiuncula eſſe poteſt. Quid ſentiendum

de clericis extraneis, qui non ſunt de illa E
cleſia, vbi officium ſepulturę eſt exercendu
ſed vocantur ex alijs Eccleſijs & monaſteri
vt comitentur ſepeliendum ad Eccleſiam,
pſalmis, & orationibus, officioque funebri
ſiſtant, an hi poſſint accipere & exigere p
tium? Gloſſa in d.cap. Abolendæ. ſuper ve
Sepultura in fine diſtinguit, de clericis dic
quod illud officium ſine ſimonia non pot
vendi, ſi clerici adhoc teneantur, vtpote cu
habeant beneficium ab ipſa Eccleſia. Si ve
non teneantur ad hoc ratione beneficij, p
ſunt inde accipere pretium, quia de ſuo h
facere non tenentur. 12. quæſt. 2. cap. Charit
tem. & cap. Cum ex officij. de præſcript. &
de mente Gloſſæ videtur, quod illi clerici q
ſunt extranei, & non de corpore Eccleſiæ, v
corpus ſepeliendum, nec ibi beneficiati, p
ſint pretium accipere pro officio ſepultur
Hoſtienſis ſentit, quod extranei ſine ſimon
non poſſunt recipere ex pacto. cap. Non ſat
& cap. Cum in Eccleſiæ. ſupra hoc tit. & ca
Quam pio. 1. q. 2. ſed extranei poſt factũ po
ſunt recipere gratis oblatum. Panormit. ob
cit contra hanc Hoſtienſ. declarationem,
dicit quod ſic nulla eſſet differentia inter cl
ricos extraneos, & proprios, nam & clerici E
cleſiæ licitè recipiunt gratis oblatum, don
tumque cap. ſeq. & cap. Etſi quæſtiones. ſup
eod. Sed poſſumus, inquit, dicere quod cleri
extranei non debent conuenire, vt pro off

cio di

cio diuino detur eis pretium, & ſic procedit dictum Hoſtienſis, ſed poterunt conuenire, vt habeant aliquid pro labore, & in recompenſationem damnorum, quæ ſuſtinent trahendo ibi moram, per hoc quod notat Innocent. in cap. penult. Ne prælati vices ſuas, & vide Gloſſ. in cap. Suam. de Simonia, &c. Sic Abbas.

Tertia Concluſio. Ratione loci ſacri ſiue terræ ordinatæ ad ſepulturã, ſi clerici quicquam exigant, quando corpus ibi ſepelitur, ſimonia committitur. Sic communiter DD. & ſatis conſtat concluſio. ex cap. Queſta eſt. 13. quæſt. 2. & d. cap. Abolendæ. Nec prætextu conſuetudinis poteſt excuſari. d. cap. Abolendæ. & ſæpius repetitum conſuetudinem ſimoniam non reddere licitam. Obiectio contra concluſionem ex Geneſ. 23. vbi Abraham emit ab Ephron ſpeluncam duplicem in ſepulturam. S. Thom. 2. 2. quæſt. 100. art. 4. ad 3. reſpondet, quod ſpelunca duplex quam Abraham emit in ſepulturam, non erat terra conſecrata ad ſepeliendum: & ideo licebat Abrahæ terram illam emere ad vſum ſepulturæ, vt ibi inſtitueret ſepulchrum: Sicut etiam nunc liceret emere aliquem agrum communem ad inſtituendum ibi cœmeterium, vel etiam Eccleſiam. Tamen quia apud gentiles loca ſepulturæ deputata, religioſa reputabantur, ſi Ephron pro loco ſepulturæ intendit pretium accipere, peccauit vendens: licet Abraham non pecca-

uerit emens: quia non intendebat emere terram communem. Sic S. Thomas. H ſententiam D. Thomæ, quod terra nec c fuerit conſecrata contra Nicolaum Liran defendit Toſtatus Abulenſis in cap. vig mum quintum Geneſ. Alexand. Alenſ. i part. quæſt. 189. memb. 4. art. 1. §. 4. mem opinionis quorundam dicentiū, quod Al ham emit quendam agrum magnum, in erat illa magna ſpelunca, in qua ſepeliebar mortui. Vnde non peccauit, quia tranſijt lunca illa cum vniuerſitate: ſicut cum qu mit villam, cui annexum eſt ius patronatu licuius Eccleſiæ, non committit ſimoniā, c ius patronatus tranſit cum illa vniuerſit ſed eadem ratione Ephron non peccauit, v didit enim agrum, & cum illo tranſiuit lunca. Si dicatur, quare ergo mutatum e nomen? Reſpondet Præpoſitiuus eodem lexand. referente, quod non legitur, quo ger ille conſecratus fuerit ſpeluncæ, vel et ſpelunca illa ad hoc benedicta vel conſec fuerat: Sed antiqui patres in illa ſpelunca plici, faciebant ſe ſepelire, ſperantes ſe re recturos eſſe cum filio Dei, & dicebatur ſpelunca duplex, quia duas habebat man nes: Vnam ſuperiorem, in qua ſepelieb tur viri: & aliam inferiorem, in qua fœ næ. Vnde cum non eſſet terra illa benedic non peccauit Abraham emendo, nec Eph vendendo. Mutatum tamen eſt ei nom

q

quia deſcendit à ſtatu perfectionis ad ſtatum imperfectionis. Prius enim voluit dare gratis, quod eſt perfectorum, & poſtea cariſſimè vendidit. Hinc primò dicebatur Ephron, id eſt, confirmatus & perfectus, poſtea dictus eſt Ephran, id eſt, infirmus & imperfectus. Alia ad hoc propoſitum etiam colligit Turrecrem. in dicto cap. Dictum eſt. Ex dictis in primis colligitur, licitum eſſe emere, & vendere terram necdum conſecratam pro ædificanda Eccleſia, aut erigendo cœmiterio. Pro quo eſt text. cum Gloſſ. & DD. in cap. Aurum. 12. quæſt. 2. Eodem modo intelligitur quid dicendum ad dubium motum à Doctoribus in dicto cap. Abolendæ. An licitè vendi valeat vas ligneum, aut lapideum aptatum ad recipiendum corpus defuncti? Reſpondent Innocent. Abbas & alij ibid. quod huiuſmodi vas, quando eſt conſecratum per Epiſcopum, non poteſt vendi, quia eſt religioſum, arg. cap. Ad hoc. de religioſ. domib. Alias nō ſacrum ad hoc factum poteſt vendi. Aliud hîc occurrit dubium cum Hoſtien. in d. c. Abolendę. Quid ſi in aliqua Eccleſia diuerſa ſint cœmiteria. Vnum vocatur forſitan paradiſus, quam paradiſum, inquit Hoſtienſis, nemo poteſt acquirere, niſi dederit centum, vel ad minus quinquaginta libras, ſed pro tanto vix alicui vſurario denegatur. Aliud alio gaudet nomne, & pro minori pretio aliquis in eo conſequitur ſepulturam.

Reſpondet Hoſtienſ. hæc omnia & ſimilia eſſe ſimoniaca, eius ſententiam approbare videntur S. Antonin. loc. cit. Sylueſt. in verb. Simonia. quæſt. 11. Aurea Armilla eod. §. 36. & alij Summiſtæ. Ex Theologis Dominicus à Soto. & Petrus de Aragon in 2. 2. S. Thomæ. q. 100. art. 4. circa ſolutionem ad 3. D. Thomæ docent non committi ſimoniam, ſi quid pro honoratiori in Eccleſia loco exigatur ad Eccleſiæ fabricam, & vbi talis viget conſuetudo, quæ iam pro lege recepta eſt, citra ſcandalum poteſt taxatum munus poſtulari. Quoniam ille loci honor non eſt neceſſariò coniunctus cum officio ſepeliendi, ſed quid humanum, ideoq; vendi poteſt, ſi abſit ſcandalũ. Quemadmodum & loca in Eccleſia honoris gratia ad ſedendum certis proſapijs deſtinata eſſe conſueuerunt.

Quarta Concluſio. Licitum eſt recipere pro ſepultura, & officio ſepeliendi ea, quæ ſecundum laudabilem conſuetudinem dari ſolent. Quandoquidem iſta non præſumuntur dari pro ſepultura, aut officio ſepeliendi, ſed in ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ. Hæc concluſio eſt communis, & ſatis ex ca[p.] ſeq. & in cap. Abolendæ. conſtat.

CAPVT

CAPVT XLII.

Sacramenta ſunt liberè conferenda: cogit tamen ordinarius laicos obſeruare laudabiles conſuetudines.

Idem in eodem.

AD Apoſtolicam audientiam frequenti relatione peruenit: quod quidam clerici pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium & ſimilibus pecuniam exigunt & extorquent: & ſi fortè eorum cupiditati non fuerit ſatisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra verò quidam laici laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam pia deuotione fidelium introductam: ex fermento hæreticæ prauitatis nituntur infringere, ſub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter ſuper hîs prauas exactiones fieri prohibemus: & pias conſuetudines præcipimus obſeruari: ſtatuentes vt liberè conferantur Eccleſiaſtica ſacramenta: ſed per Epiſcopum loci veritate cognita compeſcantur, qui malitiosè nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.

Caſus. Quidam clerici pro benedictionibus nubentium & exequijs mortuorum, & ſimilibus pecuniam exigunt, & extorquent, & niſi eis fuerit ſatisfactum, fraudulenter impedimenta opponunt. E conuerſo ſunt quidam

laici qui laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam deuotione fidelium introductam infringere nituntur, ſub prætextu pietatis. Vnde Concilium ſuper his prauas exactiones prohibet fieri, & pias conſuetudines præcipit obſeruari: ſtatuit vt liberè conferantur Eccleſiaſtica ſacramenta, & per Epiſcopum loci compeſcantur, qui laudabilem conſuetudinem mutare nituntur.

Quæ circa literam & Gloſſam obſeruanda, patebunt ex dicendis in quæſtione.

QVÆSTIO I.

An pro ſacramentis pecuniam accipere ſit illicitum & ſimoniacum?

DE hac materia tractant D. Thomas 2.2. q.100. art.2. & eius commẽtatores ibidem. S. Bonauent. Paludan. Richard. & alij in 4.d.25. S. Antonin. in 2. part. tit.1. cap. 5, §.16. Sylueſt. in verb. Simonia. q.8. Adrian. quodl.9. Victor. in 2. part. relect. de Simonia. num. 20. Dominicus Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure, q. 6. art.1, Petrus de Soto in tract. de inſtitutione ſacerdotum. de ſacramento ordinis, lect. 7. Cardin. Alexandrin. & Turrecrem. in cap. Gratia. 1. quæſt.1. & canoniſtæ breuius in cap. Significatum. de præbend. occaſione Gloſſ. ibid. dicentis, & alij alibi.

Ante reſolutionem animaduertendũ circa ſacramen-

ſacramenti adminiſtrationem poſſumus conſiderare gratiam, quæ confertur in ſacramento, ipſum ſacramentum, laborem qui ſuſcipitur in confectione ſacramenti, vt e.g. quãdo quis baptizat, actus & motus quidem exercetur, non enim baptiſmus ſine miniſtri actione perficitur; præterea attendi etiam poteſt labor antecedẽs, & remotus à ſacramẽti adminiſtratione, vt ſi quis iter aliquod conficere debeat, antequã ad locum veniat vbi ſacramentũ adminiſtrandum, aut miſſæ ſacrificiũ celebrandũ eſt, poſtremò conſideratio etiam habenda eſt ad ſuſtentationem miniſtri, qui ſacramenta adminiſtrat. Nunc pro reſolutione ſit

Prima Concluſio. Gratia, virtutes, & dona, & ſimilia, quæ purè ſunt ſpiritualia, nec de facto, nec de iure vendi poſſunt. D. Bonauent. in d. d.25. art.1. quæſt.3. & poſt eum Turrecrem. in c. Quicunque. 1. q.1. Cardin. Alexand. ibidem in ſumma. Archidiacon. c. Fertur ead. cauſ. & quæſt. S. Antonin. in d. cap.5. §.15. Petrus à Soto loco cit. & alij alibi, nec eſt dubium in ea re. Ratio redditur talis. In omni venditione res vendita poteſt transferri in ementem de iure vel de facto. Sed gratia, virtutes & dona, & ſimilia purè ſpiritualiã non poſſunt transferri de vno in alterum, nec de iure, nec de facto. Ergo ſuper talibus voluntas deliberata emptionis, aut venditionis cadere non poteſt, & ſic locum in huiuſmodi ſibi non poteſt vendicare ſimonia.

Secunda

Secunda Concluſio. Sacramenta licet eſſentialiter ſint ſpiritualia, tamen accepta in elemento corporali de iure vendi non poſſunt, licet de facto in venditionem & emptionem cadere valcant, in quantum ſunt corporalia. Hanc tenent DD. allegati pro prima. Prima pars patet ex cap. Gratia. 1. quæſt. 1. & multis alijs ibid. quæ oſtendunt ſimoniam eſſe aliquid dare pro ordinibus. & cap. præſenti, & alijs ſupra eod. & ex ratione D. Thomæ in d. art. 2. Secunda etiam pars aperta eſt ex omnibus canonibus, quæ damnant & prohibent aliquid dari & exigi pro ſacramentis, & ſacramentalibus, quorum canonum numerus eſt magnus in d. 1. quæſt. 1. & ſeq. & ſupra in hoc tit. Fruſtra eſſet prohibitio, ſi non eſſet de facto locus emptioni & venditioni, & ex conſequenti ſimoniæ. Ratio itidem hæc à DD. etiam adfertur. Illud quod eſt in diſpenſatione humana poteſt emi & vendi, ſicut etiam gratis & liberaliter miniſtrari. Sed ſacramentorum collatio in humana diſpenſatione conſiſtit. Ergo de facto poſſunt vendi & emi, & ex conſequenti ſimoniacè conferri.

Tertia Concluſio. Labor neceſſariò coniunctus cum adminiſtratione & confectione ſacramentorum, ac aliarum rerum ſpiritualium non poteſt vendi, aut locari ſine ſimonia. Hanc docent Palud. in 4. d. 25. quæſt. vlt. Durand. ibid. quæſt. 3. Gabr. quæſt. 2. propoſ. 7. in ead. d. Caietan. 2. 2. quæſt. 100. art. 2. Petrus de

Aragon.

Aragon. & Gregor. de Valentia ibid. Victoria. Petrus, & Dominicus de Soto loc. cit. in princ. quæſt. Panorm. ſupra. in cap. Suam. & nunc communiter recentiores Theologi, & teſtatur Petrus de Aliaco in tract. de ſimonia contra Cancellarium Pariſienſ. referente Victoria, nullum antiquorum oppoſitum tenuiſſe. Contrarium tamen quod liceat huiuſmodi labores coniunctos adminiſtrationi ſacramentorum vendere & locare, tradidêre Gulielm. Altiſiodorenſ. in 3. part. tract. 21. tit. de ſimonia. cap. 2. S. Bouauent. in d. art. 1. q. 4. Adrian. in quodlib. 9. §. Pro huius ſolutione primò inquirendum eſt. Marſil. in 4. d. 25. art. 1. Maior ibid. quæſt. 6. Armachan. lib. 10. de quæſtionibus Armenorum. cap. 10. Hoſtienſ. in ſumma. tit. de ſimonia. §. Qualiter committatur. Gloſſa. Panormit. & alij quidam in d. c. Significatum. Nunc contra hos probatur concluſio primò illa Gloſſa Auguſtini ſuper cap. 5. primæ ad Timoth. Accipiant (inquit ſermonem faciens de ſacerdotibus) à populo neceſſitatis ſuſtentationem, mercedem verò laboris ſpectent à Deo. Eſt autem Auguſtin. in lib. de paſtorib. cap. 2 circa finem. tom. 9. Huic propoſito etiam inſeruit cap. Si quis obiecerit. ex Paſchali Papa. 1. quæſt. 3. Quando alterum ſine altero non prouenit, eum qui vnum vendit, alterum inuenditum non relinquere. Sed labor talis per ſe non valet niſi ratione miniſterij & effectus ſpiritualis intenti.

Ergo,

Ergo,&c. Secundò, hanc rationem Victoria, & poſt eum alij formant. Talis labor & operæ ſunt ſpirituales, & nullo modo temporales: ſicut ſanare infirmum, mundare leproſum ex ſua natura ſunt temporalia, ſi tamen procedant ex gratia ſpirituali, ſpiritualia reputantur in materia ſimoniæ, & ideò non poſſunt vendi, vt patet Matth. 10. Gratis accepiſtis, gratis date: & præmiſerat: Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, &c. præterea talis qui locat operas coniunctas nõ gratis adminiſtrat. Ergo eſt ſimoniacus. Antecedens probatur. Adminiſtratio ſacramenti non eſt aliud quam exercitium laboris & operarum, & tamen eſt actus ſpiritualis à poteſtate ſpirituali procedens, & ad effectum ſpiritualem tendens, ſi ergo venditur ipſe labor, adminiſtratio ſacramenti venditur, & non gratis datur, quod profectò eſt ſimoniacum contra ſacram ſcripturã, & canones qui prohibent pretij exactionem pro collatione ſacramentorum, ſub ſeueriſſimis pœnis, vt res notiſſima eſt in collatione ordinum ex multis canonibus 1. quęſt. 1. & ſeq. & in hoc tit. & confirmatur magis, baptiſmus nihil aliud eſt quã actio illa baptiſmi, ſiue ablutio exterior corporis ſub præſcripta verborum forma. Si ergo licet aliquid accipere, & exigere pro illa actione & labore. Ergo accipi poteſt pro baptiſmo contra omnium ſanè ſentientium mentem. Imò aliter ſi dicamus, excuſabimus omnem

ſimoniam

ſimoniam in ſacramentorum adminiſtratione,& ordinũ collatione. Quicquid exigetur, ſub titulo laboris & operarũ velabitur: quod maximè fieri poſſet in collatione ordinũ extra tempus, ab Epiſcopis titularibus. Nunc adferenda argumenta pro contraria ſententia, & diſſoluenda ſunt. Primum, ex Num.18. Dominus dedit filijs Leui omnes decimas Iſraël, pro miniſterio quod impendebant in tabernaculo fœderis; & deinde inter alia ait: Comedetis eas vos & filij veſtri: quia pretium eſt pro miniſterio quod exercetis in tabernaculo meo. Ergo licitum eſt præmium pro labore accipere.& Luc.10. Dignus eſt operarius mercede ſua. Atq; hoc etiam probatur ex c. Clerici. 1. q.2. Clerici qui Eccleſiæ fideliter vigilanterq; deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundũ ſeruitij ſui meritũ à ſacerdotibus accipiant. Secundũ, Quando in aliqua re ſimul coniunguntur temporale & ſpirituale, licet vendere tẽporale, dummodo in augendo pretio nõ habeatur ratio ſpiritualis, vt patet in calice cõſecrato. Sed in adminiſtratione ſacramentorũ coniunguntur ſpirituale & tẽporale, videlicet ipſum ſacramentũ, & labor quo cõficitur ſacramentũ. Ergo licitũ erit vendere laborẽ temporalem, nõ habita ratione ipſius ſacramenti. Ad 1. reſpond. quod pretium in illo Num. accipiatur latè ꝓ ſtipẽdio ſuſtẽtationis, Ad illud Luc.10. probat tantum, ꝙ operanti in vinea Domini debetur ſuſtẽtatio. Vnde Euãg.

Matthæus c. 10. id apertius declarat, poſte
quam dixiſſet: Gratis accepiſtis, gratis dat
ſubiungit: Nolite poſſidere aurum, neque a
gentum, neque enim pecuniam in zonis v
ſtris, non peram in via, neq; duas tunicas, n
que calceamenta, neque virgam: dignus eſt
nim operarius cibo ſuo. Ad quod propoſitu
aptè D. Gregorius hom. 17. in Euangelia l
quitur. Ad cap. Clerici. eodem modo dicit
quod ſtipendium accipiatur pro aliment
quæ debentur à populo eis qui ſeminant ſ
ritualia. Ad ſecundum in primis reſpondet
cum Caietano 2. 2. quæſt. 100. art. 3. & in ſu
ma. verb. Simonia, quod quotieſcunque a
quid maiori ex parte eſt ſpirituale, tunc n
etiam ratione temporalis adiuncti poteſt ve
di, quoniam intelligitur ipſum ſpirituale ve
di. Aliam ſolutionem adhibet Victoria n
gando quod labor ille intrinſecus, & coniu
ctus cum adminiſtratione ſacramentorum
aliquid temporale: eſt enim quid ſpirituale,
ex ſupradictis ſatis ſuperque conſtat.

Quarta Concluſio. Labores extrinſeci, q
antecedunt adminiſtrationem ſacrament
rum poſſunt vendi & locari pro pecunia ſi
labe ſimoniæ. Hæc eſt ſententia omnium D
ctorum, vt rectè Victoria atteſtatur, qua
Sot. Valent. Caietan. Petrus de Aragon. & a
Theologi iuniores ſequuntur. Labores eni
illi e. g. quod quis iter faciat eundo ad locu
vbi debet ſacramentum adminiſtrare, a

miſſa

miſſam celebrare, ſunt omninò temporales, & non habent coniunctionem cum re ſpirituali niſi per accidens. Ergo vendi & locari poſſunt. Si quis tamen huiuſmodi operas ac labores venderet, aut pretium ex pacto acciperet pro eis, quando alio titulo tenetur laborem talem impendere, vtpote quia ſuum beneficium habet annexum tale onus, peccaret, quia pro eodem labore bis acciperet mercedem; quod non eſt licitum. Eadem ratione pretio æſtimari poteſt, ſi quis acceptet obligationem ſacramenta adminiſtrandi, aut celebrandi certis temporibus & locis, quod ſatis clarum eſt ex dicto cap. Significatum. & DD. ibidem.

Quinta Concluſio. Exigere aliquid pro materia ſacramenti, vt pro pane, vino, aut pro oleo in ſacramento extremæ vnctionis, aut chriſmatis, &c. aut vſu iſtarum rerum, ſimoniacum foret. Hanc docent Sotus & Petrus de Aragon. Ratio quoniam hæc omnia ſunt intrinſecè & neceſſariò coniuncta cum ipſis ſacramentis, nec ſacramentum ſine ſua materia conſiſtit. Confirmari poteſt hæc concluſio ex cap. Ea quæ. ſupra eod. tit. & annotatis ibidem à Panormit. Antonio, Felin. Ioan. ab Anan. & communiter ab alijs, dum notant ex text. quod non ſolum prohibetur pecunia exigi pro chriſmate in quantum eſt ſacramentum, vt pro chriſmando aliquem, ſed etiam pro ipſo liquore chriſmatis: Nam in illo cap. non exigebatur pecunia à confirmato, ſed ab alijs

Eccleſijs fortè baptiſmalibus, vt Panormit
quitur, & etiam clarius probatur ex c. Pla
2. 1. q. 1. Nemo tamen ita ſit ignarus, qui o
ſione huius concluſionis opinetur ſimon
eſſe emere oleum pro conficiendo & ben
cendo oleo infirmorum, aut pecuniam ex
nere pro emptione olei & balſami ad co
ciendum criſma: hæc enim materialia qua
emuntur & venduntur apud mercatores,
ſunt adhuc proximè ordinata ad vſum &
teriã ſacramenti: Intelligitur ergo noſtra c
cluſio de iſtis materialibus, quando ſubſun
ſui ſacramentorũ, & actionibus ſacris, diui
que miniſterijs. Non enim poteſt ſacerdos
quid pretij exigere pro oleo ſacro infirmo
quando vngere debet, aut vnxit infirmum

Sexta Concluſio. His qui ſacramenta in
cleſia adminiſtrant, debentur ab eis qui
eadem communicant ſtipendia ſuſtenta
nis. Hæc eſt communis DD. & eam ſatis A
ſtolus probat 1. Cor. 9. Qui in ſacrario ope
tur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, &c. Ne
militat ſuis ſtipendijs. Non ligabis os boui
turanti. Dubium autem occurrit circa h
concluſionem. An liceat miniſtris Eccl
huiuſmodi ſtipendia ſub pacto ponere? At
hoc ſtipendium in pactum poſſe deduci c
cedunt communiter recentiores Theolo
Caiet. in 2. 2. S. Tho. q. 100. art. 3. & in ſum
verb. Simonia: Domin. Sotus lib. 9. de iuſtit
iure. q. 6. art. 1. Petr. de Aragon. in 2. 2. d q. 1

a

art.2.Gregor.de Valent. ibid.in art.3.q.2. Nauarr.in manuali confeſſar.cap.23. num.102. & alij alibi: quod in foro conſcientiæ verum eſt tam in diuite clerico quam in paupere, licet Caietan. videatur velle quod diues non poſſit ex pacto aliquid recipere, ſed hic intelligendus eſt de foro exteriori, in quo maior præſumptio eſt de diuite, qui alias habet vnde viuat. Is enim non videtur paciſci ſtipendium ſuſtentationis, quando alias ei prouiſum eſt de ſuſtentatione, & ſæpè etiam ſcandalum tum accedit. In hunc modum Nauarr. & Valent. Caietanum interpretantur. Alij opinantur Caietan. loqui in foro conſcientiæ non eſſe licitum diuiti clerico paciſci de ſtipendio ſuſtentationis, quando à iure vel ſuperiore non eſt determinatum ſtipendiū. Quando autem eſt taxatum tam diues quam pauper poteſt illud exigere, & ſic diſſentiunt ab eo. Sed ſi Caiet. intelligatur de foro exteriori, conciliantur. In foro enim conſcientiæ eo modo quo licitum eſt ſtipendium ſuſtentationis recipere, licet etiam in pactum deducere. Faciunt etiam pro hac re ea, quæ Innoc. in c. Quoniam 2. Ne prælati vices ſuas, adducit.

Septima Concluſio. Quando ex antiqua & laudabili conſuetudine approbata aliquid datur à laicis in ſacramentorum adminiſtratione, poteſt recipi modò intentio recta ſit. Hanc tradunt S. Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 2. ad quartum. & ibid. art. 3. in corp. & eius

commentatores ibid. Angel.in verb. Simoni 2.§.21. & in verb.Conſuetudo. §.12. Sylueſt. i verb.Simonia.quæſt.6.in primo dicto.& DD cum text.in hoc cap. præſumitur enim id introductum pro ſuſtentatione miniſtrantium Debet autem abeſſe intentio emptionis, ve venditionis, vt non exigatur tanquam pretium rei ſpiritualis, ſed vt ſuſtentatio neceſſitatis: & ita intentio referenda ad ſolam conſuetudinis obſeruantiam. Ab inuitis autem ſic per conſuetudinem approbatã, aut Eccleſiæ ordinationem, debitum non eſt exigendũ per ſpiritualium ſubſtractionem, cum hoc habeat ſpeciẽ venditionis: ſed gratis prius ſpiritualibus exhibitis, auctoritate ſuperioris inuiti cogendi ſunt ad laudabilis conſuetudinis obſeruantiam ſecundũ c. præſens. Quando & quomodo poſſit induci conſuetudo, vt in adminiſtratione ſpiritualium aliquid detur, mouent in hoc cap. & ſupra in cap. Suam. eod.tit. Panorm. reſolutiuè in vtroque loco reſpondet, quod poſſit induci conſuetudo, quando non præceſſit exactio, ſed ex mera liberalitate & deuotione populi talis conſuetudo fuit introducta: tunc enim non habet vitium, nec fundamentum vitioſum, ſed laudabile, quia non eſt magnum, nec mirum, ſi ab eo metuntur temporalia, qui ſeminat ſpiritualia, vt in cap. Si Epiſcopus. de offic. ordinar. lib.6. & de offic. ordin. cap. Quoniam. & hoc videtur de ſenſu text.in hoc cap.dum vult laicos compellendos

lendos ad obſeruandum laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam pia deuotione fidelium introductam. Sed quando exactio præcedens dedit cauſam conſuetudini: tunc non valet conſuetudo, quia initium fuit ſimoniacum & vitioſum. argum. cum in Eccleſiæ. ſupra. Hanc reſolutionem Panormit. ſequuntur Ioan. ab Anania, & Felin. in hoc c. Angel. in verb. Conſuetudo. §. 12. Syluest. ibid. quæſt. 21. Aurea Armill. ibid. num. 11. & alij alibi. Quando enim Eccleſiæ ſunt tenues in reditibus, atque tunc ex conſuetudine antiqua aliquid contribuitur à populo in adminiſtratione ſpiritualium, magna præſumptio eſt talem conſuetudinem incepiſſe à neceſſitate ſuſtentationis miniſtri. Non eſt negandum auctoritate ſuperioris, ſicuti etiam conſuetudine induci poſſe, quando Eccleſia aliud ſubſidium non habet, vt laici pro ſuſtentatione aliquid contribuant. Tunc non pro ſacramentis aut ſpiritualibus accipitur, ſed pro ſuſtentatione eius per quem ſpiritualia populo adminiſtrantur. Sicut enim decimæ dantur ex lege poſitiua quantum ad quotam: ita iuſto ſtatuto ſuperioris ſanciri poſſit, quando miniſter non habet ab Eccleſia, vnde viuat, vt certũ quid in certis ſpiritualibus actibus impartiendis detur in ſubſidium ſuſtentationis: cum ad id iure naturali & diuino populus teneatur. argum. multorum, quæ Apoſtolus 1. Corinth. 9. colligit. Nullo autem ſtatuto aut

conſuetudine induci valet, vt aliquid pro ſpiritualibus detur tanquam pretium, aut cauſa principalis, & immediata ea habendi. Quandoquidem id eſſet contra ius diuinum & naturale, quod nec ſtatutum hominum, nec vlla conſuetudo tollere poteſt. cap. fin. de conſuetud. Panormitanus & alij ibidem. & vbi conſuetudo non valet, nec etiam ſtatutum. Baldus conſil. 238. colum. 2. lib. 4. Crauet. de antiquitat. temporum, 1. part. princ. part. 1. num. 42. & poſt hos Menoch. de arbitr. iudic. quæſtion. lib. 1. quæſt. 71. num. 5. & ſic canones in hoc noſtro tit. ſæpè reprobant conſuetudines exigendi aliquid pro ſpiritualibus. Dubium occurrit hoc loco circa illud quod ex ſententia Panormit. & aliorum reſolutum eſt, conſuetudinem tum valere in huiuſmodi, quando ea inducta eſt ex mera liberalitate, & deuotione populi, & non habuit initium ab exactione. Sed contra. Ex his quæ ſunt meræ facultatis, non introducitur conſuetudo, nec ex annua donatione gratis facta. Ioannes Andr. in capite 1. de cleric. coniugat. Innocent. in cap. Bonæ. 2. de poſtulat. prælat. quando ait: quod licet recipiamus amicum à longe venientem in domum noſtram, non tamen ei acquiritur ex hoc quaſi poſſeſſio, nec conſuetudo, licet pluries fuerit receptus. Angelus & Sylueſt. in verb. Conſuetudo. Abbas & Felin. in dicto cap. Suam. Bartol. in l. Cum de in rem verſo. ff. de

ff. de vſur. & l. operas. ff. de oper. liber. licet ruſticus dederit vnum par caponum annuatim alicui ex liberalitate, non tamen ex hoc aliqua conſuetudo, vt in poſterum inuitus aſtringatur. & Cynus in l. 2. Cod. Quæ ſit longa conſuetud. quamuis aliquis per decennium continuauerit ire ad molendinum, vel furnum alicuius, & ſic illi lucrum attulerit, non tamen per hoc introducitur conſuetudo aliqua, vt in futurum compellatur ire & continuare. Quia iſti actus ſunt meræ facultatis, & ſic conſuetudinem non faciunt obligantem. Si ergo vt propoſito noſtro accommodemus, populus in initio aliquid gratis, & ex liberalitate offerebat in ſacramentorum adminiſtratione, non videtur hæc libera oblatio conſuetudinem inducere in futurum, quæ obliget, vt populus inuitus poſſit cogi ad eius obſeruantiam. Panormitanus in d. cap. Suam. tribus modis ſoluit. Primo modo intelligendo, quod aliquis ex populo deſiſtens ab obſeruatione aliorum redargutus à reliquis obſeruauit aliorum morem. Ex hoc enim actu ſatis apparet de conſenſu populi volentis introducere illam conſuetudinem laudabilem. Sed hæc ſolutio parum firma & fundata. Secundo ſic ab eodem Panormit. ſoluitur, quod contraria procedunt, vbi donatio eſt purè non relata ad certum quid. Sed in hoc caſu, cum tempore ſacramenti ſeu exhibitæ rei ſpiritualis aliquid conferebatur,

videtur populus longo tempore obſeruando ſe adhoc velle obligare, & conſtituere illam ſpontaneam obligationem in recompenſationem ſpiritualium, recognoſcendo Deum in muneribus ſuis, & redimendo peccatum eleemoſynis. de pœnit. d. 1. cap. Medicinam. Sicut in ſimili notat Bartol. loco cit. de ruſtico qui per longum tempus ſoluit par caponum aliqua cauſa prætenſa; quia aliquid tenebat à domino. Tertiò poteſt ſolui quod ſit ſpeciale, fauore Eccleſiæ, vt longo tempore populus ſic impendendo temporalia videatur velle inducere conſuetudinem in futurum, facit cap. Ex parte. de cenſib. & notata ibid. & cap. Ex parte Aſtenſis Eccleſiæ. de conceſſ. præbend. De hoc etiam Felin. Ioan. ab Anania & alij quidam in d. cap. Suam.

QVÆSTIO II.

An liceat pecuniam dare ſine ſimonia in ſacramento matrimonij?

DE hac re paucis agunt S. Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 2. ad ſextum. S. Antonin. 2. part. titu. 1. cap. 5. §. 16. in princ. Angel. verb. Simonia 3. §. 16. Syllueſt. eodem. quæſt. 8. Cardin. Alexandr. Turrecrem. Dominic. & alij decretiſtæ in cap. His igitur. Panormitan. Anton. & alij ſupra in cap. Cum in Eccleſiæ.

Notandum quod matrimonium non ſolum eſt

lum eſt ſacramentum, ſed etiam contractus in officium naturæ inſtitutus.

Prima Concluſio. Pro contrahendo ſacramento matrimonij non poteſt ſine ſimonia pecunia dari. Hæc eſt contra aliquos DD. qui tradiderunt in matrimonio non conferri gratiam, de qua re latius diximus in d. cap. Cum in Eccleſiæ. Concluſionem tenent D. Thomas, & eius commentatores loc. cit. Richard. in 4.d.25.art.3.quæſt.1. Sotus lib. 9. de iuſtit. & iure. quęſt.6.art.1.ad 6.S.Antonin.& alij communiter. Ratio clara eſt, Matrimonium eſt vnum de ſeptem ſacramentis gratiam conferens ex opere operato. Concil. Trident. ſeſſ.7. de ſacramentis in genere, can. 1. & ſeſſ. 24. de ſacramento matrimonij.can.1. Sed pro acquirendo ſacramento pecuniam dare, aut recipere, ſimoniacum eſt, vt in quæſt. præcedenti traditum eſt.

Secunda Concluſio. Conferre dotem pro matrimonio, vt eſt in officium naturæ non eſt ſimonia. Hæc eſt etiam communis. Ratio, quia vt ſic eſt quidam contractus, multiſq; indiget pro ſubleuandis oneribus, quæ ipſum communiter ſequuntur ac comitantur.

Tertia Concluſio. Pro benedictione nubentium pecuniã dare, aut accipere, ſimoniacum eſt. Hæc eſt etiã communis, & ſæpè in hoc tit. declarata, ſupra c. Non ſatis. c. Cũ in Eccleſiæ. & hoc c. Ratio quia benedictio nubentium eſt actus ſpiritualis, & aliquid ſacramentale.

Ergo non licet pro eo aliquid temporale dare, vel recipere. Si autem ſacerdos nolit benedicere niſi data pecunia, recurrendum eſt ad ſuperiorem, vt ex Alexandri ſententia ſentiunt Angel. Sylueſt. & alij Summiſtæ: Si autem ſuperior cogere nolit ſacerdotem, vt gratis benedictionem impendat, tutius eſt abſtinere, quam peccandi occaſionem dare. Quid ſi ſacerdos occupatus, aut alia ratione motus nolit alteri ſacerdoti licentiam dare benedicendi nuptias, niſi pro pecunia? Reſpondent Angelus & Sylueſt. poſt alios, quod ſi hoc faciat non intentione vendendi licentiam, ſed prouidendi ſibi de portione oblationum eum contingente, non eſt ſimonia. Si autem exigat maiorem ſummam, quam dicta portio valeat, præſumetur talem licentiam vendere voluiſſe. Eadem eſt ratio de licentia confitendi, aut communicandi.

Quarta Concluſio. Si aliquid tempore matrimonij conſuetum ſit dari ex laudabili & antiqua conſuetudine, id ſine ſimonia accipi poteſt, & gratis, prius data benedictione exigi, argum. huius cap. & annotatorum à DD. Hoſtienſ. in hoc cap. §. Contra verò. & poſt eum alij inter laudabiles conſuetudines referunt, vt offeratur candela groſſa cum denarijs: vel vt habeat lectum mortui, vel eius veſtes ſacerdos; vel à nubentibus caput bouis: vel aliud certum quid ſimile.

CAPVT

CAPVT XLIII.

Prohibet Abbates Ciſtertienſes ſolemniter inſtallari: & ponit formam obedientiæ quam præſtant ſuis Epiſcopis.

Honorius III. vniuerſis Abbatibus & fratribus Ciſtertienſis ordinis.

NE Dei Eccleſiam (& infra) Inſtallationis ſolemnitates in electis Abbatibus ordinis veſtri fieri prohibentes. Adijcimus, vt Archiepiſcopi & Epiſcopi ea ſint forma profeſſionis contenti, quæ ab origine veſtri ordinis noſcitur inſtituta: quæ talis eſt. Ego frater Abbas Ciſtertienſis ordinis ſubiectionem, & reuerentiam, & obedientiam à ſanctis patribus conſtitutam, ſecundum regulam ſancti Benedicti, tibi domine Epiſcope, tuiſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Apoſtolicæ, ſaluo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto.

Caſus literalis ſecundum Gloſſ. & Abbatem. Abbates Ciſtercienſis ordinis conſueuerunt dare Archidiaconis palafredum in ſua inſtallatione, vel aliud æquipollens. Præcipit Honorius Papa, ne de cæterò talis conſuetudo debeat obſeruari, quæ de cupiditatis radice proceſſit: prohibendo inſtallationis ſolemni-

lemnitates in Abbatibus electis Ciſtercienſis ordinis, adijciendo vt Archiepiſcopi & Epiſcopi ea ſint forma profeſſionis contenti, quæ ab origine huius ordinis fuit inſtituta, quæ talis eſt. Ego frater Abbas, &c. vt in textu continuatur.

Nota primò, niſi ſecundum caſum relatum Abbates Ciſtertienſis ordinis debuiſſent dare Archidiaconis pro inſtallatione palafredum, hæc decretalis non fuiſſet relata ad hunc tit. ſic enim dabatur quid temporale pro inſtallatione, quod ſpectat ad ſimoniam, vnde prohibetur hîc à Pontifice.

Secundò, Abbates Ciſtertienſes, & alij de iure communi ſunt ſubiecti ſuis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in quorum diœceſi monaſteria ſita ſunt. Epiſcopi de iure communi ſuam intentionem fundant ſuper tota diœceſi. cap. Cum venerabilis. de relig. domib. cap. 1. de offic. ordin. & cap. Cum Epiſcopus. eod. tit. lib. 6. ideoque Abbates prætendentes exemptionem de ipſa debent docere.

Tertiò, ſecundum DD. hîc non prohibetur inſtallatio, ſed inſtallationis ſolemnitates, & exactio, quæ fiebant eo tempore, quo in ſtallum Abbates introducebantur: quia vt plurimum quando adhuc hodie tales actus celebrantur Eccleſiaſtici, ſuperflui fiunt ſumptus, & quandoque ſub titulo iurium teguntur iniuriæ & ſimoniacæ exactiones, cum grauamine monaſteriorum. In inſtallatione capitur

pitur poſſeſſio, & Abbas introducitur in chorum in ſtallum pro loco Abbatis deputatum, & licet de iure communi talis inſtallatio pertineat ad Archidiaconum. cap. Vt noſtrum. in fine. de officio Archidiac. nunc tamen ſtandum conſuetudini per tempora ſeruata iuxta Ioannem Andream, Panormit. Antonium à Butrio & alios, Hoſtienſis putat, quod Abbates potuerunt inſtallari per monachos. In quibuſdam locis inſtallantur, quando munus benedictionis conſequuntur ab Epiſcopo ſecundum munus Pontificalis.

Quartò, Epiſcopi debent eſſe contenti forma profeſſionis à canonibus, & regula præſcripta. argum. huius cap. & cap. Dilecti. de maiorit. & obedient.

Quintò, cum Gloſſ. in verb. Succeſſoribus. & alijs ibid. Quando aliquis præſtitit obedientiam prædeceſſoribus amplius compelli non debet ad præſtandum ſucceſſoribus. cap. Veritatis. de iureiur. Ratio redditur à Ioanne ab Anania hæc: Quia iuramentum ſine cauſa præſtari non debet. cap. Etſi Chriſtus. de iureiur. Ex quo ergo ſemel expreſſit, obligat etiam ad ſucceſſorem, quia fuit reale ſub nomine dignitatis: ſecus ſi fuiſſet perſonale, vt notatur in d. cap. Veritatis.

Sextò, circa illa verba: (Saluo ordine meo) Non enim tenentur obedire contra regulam, & profeſſionis formam. Quia vt Innocent. in hoc cap. dicit, ex quo regula per Papam eſt approbata,

probata, non licet aliquid contra regulam mandare: addit idem. Etiamſi Papa mandaret aliquid quod eſſet contra ſubſtantiam ordinis, vel peccatum, non deberent obedire. cap. Cum ad monaſterium. de ſtatu monachorum.

CAPVT XLIV.

Recepto in canonicum debetur præbenda, & reditus conſuetudine non obſtante, quod non ſeruauerit prauam conſuetudinem de aliquo temporali dando ipſis canonicis.

Gregorius nonus Priori ſancti Thomæ Eſculanen.

IAcobus canonicus Eſculanus expoſuit, quod cum ipſe in Eccleſia Aprutin. ſit receptus in canonicum & in fratrem: canonici eiuſdem Eccleſiæ partem prouentuum ac præbendam ſibi aſſignare recuſant, quandam conſuetudinem prætendentes, quod prandium habere debeant à canonico recepto de nouo. Quocirca mandamus, quatenus ſi eſt ita: dictos canonicos, vt (tali conſuetudine non obſtante) ſibi ſicut vni ex alijs in prouentibus & præbenda prouideant, appellatione remota compellas.

Caſus. Iacobus iſte Canonicus Eſculanus receptus

receptus erat in fratrem & canonicum in Eccleſia Aprutin. canonici illius Eccleſiæ partem beneficij ſui ſibi aſſignare nolebant, niſi primò reciperent prandium ab eodem, conſuetudinem prætendentes, vt à canonico nouiter recepto prandium recipiant. Mandat Papa cuidam Priori, quatenus ſi eſt ita, conſuetudine iſta minimè obſtante compellat canonicos illos, vt præbendam ſicut vni ex alijs conferant & aſſignent.

Not.primum. Pro ſpiritualibus nihil exigendum etiam prætextu conſuetudinis.

Secundum. In receptione & acquiſitione poſſeſſionis, & beneficij, nec pro prandio, nec pro paſtu, aut paſtello quicquam dandum tanquam debitum ſupra cap. 1. & 1. quæſt. 3. cap. Si quis obiecerit. in fine. & cap. fin. ibid. non obſtante conſuetudine. Qui præſumitur dari pro ſpirituali acquiſito, aut acquirendo.

QVÆSTIO VNICA.

An ſit ſimoniacum ſi canonici aliquid temporale virtute ſtatuti aut conſuetudinis exigant & recipiant in receptione, nominatione, admiſſione aut præſentatione, ad canonicatum, vel præbendam?

DE hac materia tractant Angel. in ſumma. verb. Simonia 2. §. 5. Sylueſt. ibid. q. 13. dicto

13.dicto 5.Hoſtienſ.in ſumma.tit.eod. §.Qualiter committatur. verſ. Quid ergo ſi de conſuetudine ſit. Canoniſtæ in hoc cap. & latius quidam in cap.Cum M.Ferrarienſ.Panormit. ibidem.num.25. Anton.à Butrio num.52. Ioan.Imolenſ.num.17.Felin.ibid. colum.9.verſ. In Gloſſ.in verb. perciperent, niſi ſimoniacum eſſet.Decius ibid. num.33. Card.Alexan. in cap. Ex multis.1. quæſt.3. Gloſſator pragmaticæ ſanctionis in tit.de annatis, non longè à princip.ſuper verb.Conſuetudinis.

Prima Concluſio. Si ſtatuto aut conſuetudine antiqua receptum ſit, vt in adeptione poſſeſſionis aliquid ſoluatur pro vſu pio, vt pro ornamentis Eccleſiæ,aut fabrica Eccleſię, aut eleemoſyna pauperum, non eſt cenſendum ſimoniacum.Hæc eſt communis opinio DD. locis cit. & Concilium Trident. ſatis eam approbat ſeſſ.24.de reformatione.cap.14. ſtatim à principio, quod ita incipit. In pluribus Eccleſijs tam cathedralibus quam collegiatis, & parochialibus,ex earum conſtitutionibus,aut ex praua conſuetudine obſeruari intelligitur vt in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione,confirmatione,collatione, vel alia prouiſione, ſiue admiſſione ad poſſeſſionem alicuius cathedralis Eccleſiæ, vel beneficij,canonicatuum aut præbendarum, vel partem prouentuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones, ſeu deductiones ex fructibus,ſolutiones,promiſſiones,&c. interpo-

terponantur. Hæc cum ſancta Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis, vt quæcunque huiuſmodi in vſus pios non conuertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant, &c. Dictum in concluſione (ſi ſtatuto, aut conſuetudine) Quia quantum ad hunc effectum æqualem vim conſuetudinis & ſtatuti iudicamus, licet Panormit. in d. cap. Cum M. & alij quidam eum ſecuti opinentur conſuetudine fieri poſſe, non ſtatuto. Sed à Panormitani & ſuorum ſententia recedunt Ioannes ab Anania in cap. Sicut pro certo. ſupra hoc tit. Anton. à Butrio in d. cap. Cum M. num. 53. Decius ibid. num. 33. & ſeq. Egidius Bellamera in conſil. 31. incip. Quod mulier ſuper dote, & alij quidam, & ex iunioribus Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 23. num. 102. verſ. Vndecimò quod non committit veram, &c. Cũ regulariter à pari procedant conſuetudo & ſtatutum per notata in l. De quibus. ff. de legib. imò conſuetudo & ſtatutum non differant, niſi vt tacitum & expreſſum. Inſtit. de iure nat. gent. & ciuil. §. penult. Dec. & Anton. latius, & ſic etiam vt Nauarr. obſeruat Concilium Trident. videtur in hoc æquare ſtatutum & conſuetudinem, & corrigere Panormitani & ſequentium ſententiam: cuius etiam differentiam ante Hoſtienſ. in d. cap. Sicut pro certo. & in hoc cap. confudit, & ſtatutum conſuetudini exæquauit. Fundat Hoſtienſ. con-

cluſionem arg. cap. Officij. de teſtam. & cap. fin. De his quæ fiunt à maior. part. cap. & addit in d. §. Qualiter. in hoc caſu etiam cautionem de ſoluendo exigi poſſe arg. cap. Significatum. de præbend. & cap. Significaſti. de elect. & cap. Ad Apoſtolicam. hoc tit. Gerſon in tract. de ſimonia 2. part. ſuorum oper. tract. 36. ad tertiam rationem ſiue obiectionem reſpondet, quod tales pecuniæ non exiguntur à canonicis pro beneficio, vel officio, ſed pro communibus oneribus ſupportandis, in quibus canonicus ille particeps erit, quoad emolumentum commune, ſicuti pro fabrica, pro pueris de choro, pro cappa, & ſimilibus. Non negamus tamen, inquit, quin apud aliquos modus exigendi non ſit vſquequaque purus & decens, licet non propriè ſimoniacus. Sic ille. Hinc rectè colligitur, quomodo ſtatutum canonicorum S. Hilarij Pictauienſis Eccleſiæ, quo cauebatur, vt canonicus de nouo receptus ſolueret vel quadraginta aureos, vel dimitteret vnius anni reditus pro Eccleſiæ fabrica, fuit declaratum abuſiuum à ſenatu, auctoribus Stephano Auffrerio in ſtilo parlamenti arreſto 377. & poſt eum Petro Rebuffo in tractatu concordatorum in tit. de reſeruationibus. Non enim intelligendum quod fuerit abuſiuum in eo, quòd aliquid exigeretur ad fabricam Eccleſię, & communem vtilitatem, ſed ratione alicuius adiuncti, quod abuſum & ſpeciem mali habebat:

bat: Cum referente eodem Rebuffo ibidem ſtatutum ſit per regem Ludouicum in fundatione ordinis militiæ S. Michaëlis approbata per Papam, vt quilibet miles eius ordinis in ſua receptione ſoluere debeat quadraginta aureos in vſus veſtium Eccleſiæ, & ornamentorum conuertendos.

Secunda Concluſio. Non eſt licitū ſtatutum, quo cauetur vt aliquid in receptione ad canonicatum, aut adeptione poſſeſſionis ſoluatur, quod cedat in priuatam vtilitatem canonicorum, aut inter eos diuidatur. Hæc eſt communis omnium DD. concluſio fundata in hoc cap. quam Concilium Trident. ſatis confirmat loco cit. Hinc nec pro prandio, nec pro paſtu, aut alio ſimili reſpectu licitum eſt pretium recipere.

Tertia Concluſio. Si non ſit ſiniſtra intentio vt recipiatur in receptione, nominatione, admiſſione & adeptione poſſeſſionis aliquid temporale, tendens ad propriam vtilitatem commodumque, pro beneficio, aut officio, aut beneficij poſſeſſione, vel titulo non eſt ſimonia ex ſe mala, ſed tantum præſumptiuè, in foro exteriori prohibita ob ſpeciem mali, de qua actum in ſecunda concluſione. Hanc tenent Egidius Bellamera in dicto conſil. 31. in quo conſulit ſuper conſuetudine Eccleſiæ Rothomagenſis, cuius Eccleſiæ Epiſcopi ſuffraganei promoti ad Eccleſias, tenebantur antequam ſuam Eccleſiam cathedralē intrarent,

perſonaliter accedere ad Eccleſiam Rot
magenſ.& ibidem publicè obedientiam,&
uerentiam Eccleſiæ Rothomagenſi & Ar
epiſcopo eiuſque ſucceſſoribus promitter
vnum bonum & ſolemne prandium ſuis p
prijs ſumptibus Domino Archiepiſco
Decano, capitulo, & alijs perſonis illius Ec
ſiæ. Gloſſ. & Vincent. in cap. Ex parte
verb. Dimittere. de offic. deleg. Gerſon loc
Nauarr. loco cit. Hanc probo. Si eſſet ſim
ex ſua natura mala, & ideò prohibita quia
la, non eſſet etiam licitum accipere ex ſtat
aut conſuetudine ad vſus pios, contra prim
concluſionem. iuxta illud Alexand. Ponti
in cap. Ex multis. 1. quæſt. 3. verſus finem
dicentis. Conſtituimus & eodem modo
mamus, vt nullus cuiuſcunq; gradus cleri
pro Eccleſiæ beneficio aliquid audeat con
re, aut fabricæ Eccleſiarum, vel donarijs
cleſiarum: ſeu etiam quod pauperibus ſit
buendum: quia (teſte ſcriptura) qui aliq
malè accepit, vt benè diſpenſet potius gra
tur quam iuuatur, & cap. Non eſt putand
quæſt. 1. Quod enim ex ſua natura malum
nullo fine cohoneſtari poteſt, vt bene f
Non enim ſunt facienda mala, vt eueni
bona. Ergo ex ſua natura non eſt malum
ſimoniacum aliquid dare, aut recipere vig
ſtatuti, aut conſuetudinis, modò intentio n
feratur in emptionē, aut venditionem ben
ficij, aut officij. Quod autem in foro exter
ri

ri ſit tanquam ſimoniacum prohibitum non eſt mirum, quia ex cupiditate & auaritiæ radice talis acceptio videtur procedere, cum non appareat iuſta cauſa accipiendi, & ab omni ſpecie mali præſertim Eccleſiaſticis ſit abſtinendum. argum. cap. Cum ab omni. de vit. & honeſt. clericor. Ad idem facit Concilium Trident. loco cit. dum mandat Epiſcopis, vt quæcunque huiuſmodi in vſus pios non conuertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant. Spectat huc quoque illud quod Ruardus Taper in ſua quodlibetica quæſt. de obligatione conſuetudinis, propoſitione quarta, primo loco infert ex eadem propoſitione, nempe quod nulla conſuetudine excuſari canonici poſſunt, qui à fratre nouiter recepto, notabilem pecuniæ ſummam recipiunt, quam inter ſe diſtribuunt, & quamuis receptio illa fieri poteſt, vt non ſit propriè ſimoniaca, ſemper tamen iniuſta eſt. Propter quod Papa in cap. Iacobus. de ſimonia illam conſuetudinem reijcit & contemnit, &c.

Quarta Concluſio. Non eſt illicitum, ſi aliquid liberè, gratiſque detur ſine vlla exactione, in adeptione poſſeſſionis, aut nominatione, vel præſentatione. Hæc concluſio communiter recepta. In eis quæ gratis liberaliterque dantur, non vendicat ſibi locum ſimoniaca labes, cum non intercedant emptio & ven-

 ditio,

ditio, quæ ad conſtituendam ſimoniam requiruntur. Sed aduertendum vnum notabile hîc, notatum ex Innocentio à Panormitano in dicto cap. Cum M. num. 26. quod ſi nihil peteretur, vel promitteretur in receptione: ſed receptus aliquid dat ſponté canonicis Eccleſiæ, non committit ſimoniam, licet ibi ſit ſtatutum aliquid exigens. Ab hac tamen ſententia rectè recedunt in dicto cap. Cum M. Decius num. 34. Andreas Barbat. num. 136. Felin. ibid. pag. 9. & 10. Ioan. ab Anania in cap. Dilectus 2. & allegant hi etiam Panormitan. contrarium tenentem in dicto cap. Dilectus. dum ait. Et ex hoc infero ad quæſtionem: Eſt ſtatutum in Eccleſia, vt nouiter receptus in canonicum vel monachum, teneatur certum quid ſoluere: quidam receptus ſine aliqua exactione ſoluit, nunquid licitè hic recipiatur: & concludit ſecundum Doctores allegatos quod non, per text. ibidem. quia ex quo prius præceſſit taxatio illa ſolutio, & oblatio, non poteſt dici propriè ſpontanea, imò videtur facta virtute illius taxationis. facit cap. Ex multis. 1. quæſt. 3. vbi obſeruandum, quod corrupta ſit lectio Panormit. in quibuſdam libris. Quia in duobus diuerſis exemplaribus à me adhibitis, ſic legitur in dicto cap. Dilectus allegato, poſt vltimum notabile, commemoratis ſuprapoſitis verbis, nunquid licitè hîc recipiatur, ſubdit.

Et di-

Et dico quod ſic per iſtum textum, quia ex quo pręceſſit taxatio, illa oblatio videtur facta virtute illius taxationis 1. q. 3. c. Ex multis. & ſic lectio corrigenda eſt, vt clarè ex ratione ab eo allata patet: vt ita legatur. Et dico quod non per iſtum textum, &c. Sed his omiſſis poſterior ſententia amplectenda eſt. Satis enim exactum videtur, quod per ſtatutum requiritur & præſcribitur. Quando enim quis ſcit ſe poſſe compelli, licet ſponte faciat, dicitur facere compulſus. Bald. in l. Nouiſſimè. ff. Quod cum falſo tutore, auctores & moderni cum alijs in dicto cap. Cum M. & qui ſoluit nulla coactione adhibita, ſi tamen ſciebat ſe poſſe cogi, inuitus ſoluit Ioan. Andr. in reg. Bona fides. in princip. de reg. iuris in 6. Atque etiam quando extat ſtatutum, virtute cuius aliquis poteſt cogi, metu ſtatuti videtur ſoluere, etiamſi non petatur, & qui metu ſtatuti ſoluit, iuſtum metum habere dicitur. Baldus in l. Falſus. ad finem. C. de furt. Felin. poſt alios plures in dicto cap. Cum. M. text. optimus ad idem in dicto cap. Dilectus 2. in fine, cum dicitur: Illud tamen gratanter recipi poterit, quod ſine taxatione, gratis oblatum. Sed quando ſtatutum quid certi eſſe dandum in receptione decernit, ſatis taxatum eſt, & ſic non omninò gratanter, ſed potius quia aliter fieri non poteſt, ſoluitur. Sed etiam pro hac materia ſatis mirabilis caſus hîc

inſerendus, collectus in forma ab Antonio à Butrio in d. cap. Cum M. num. 54. verſ. Tertius caſus ex auctoritate Innocentij ibidem. cuius poſt hos meminit Ioan. Imolenſ. num. 17. in eod. cap. Tertius caſus, inquit Antonius, quando aliquid eſt debitum virtute ſtatuti, etiam applicatum commodo temporali, & priuato, & tempore receptionis nulla fit commemoratio ſtatuti, receptus tamen poſtea compellitur vi ſtatuti, & hæc non eſt ſimonia, dato etiam quod ſtatutum ſit iniquum, & illi peccauerint ſtatuendo. Ex quo tamen mentio non eſt adhibita de ſtatuto tempore receptionis ad ſeruandum ſtatutum arctatur vi ſtatuti, quod licet in ſe ſit iniquum, non tamen ſimoniam inducit. Sic ille.

CAPVT XLV.

Qui ordinauit aliquem ſub promiſſione de non petendo ab ipſo prouiſionem: ordinator per trienniũ à collatione, præſentator verò ab executione ordinum etiam per triennium ſuſpenſi ſunt: ordinatus verò ab ordine perpetuò ſit ſuſpenſus, & ſolum per ſedem Apoſtolicam cum eis diſpenſatur.

Idem.

SI quis ordinauerit, ſeu ad ordinẽ præſentauerit aliquem, promiſſionẽ, vel iuramentum

mentum ab eo recipiens, quod ſuper prouiſione ſua non inquietet eundem: ordinator à collatione, præſentator verò ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per ſedem Apoſtolicam obtinere meruerint, nouerint ſe ſuſpenſos.

Caſus. Quia frequenter ordinantur aliqui ſine certo titulo, propter quod fiunt promiſſiones illicitæ, ſtatuit Gregor. quod ſi aliquis ordinauerit, ſeu ad ordinem præſentauerit aliquem recipiens ab eodem promiſſionem vel iuramentum, quod ſuper ſua prouiſione non inquietabit eundem: ordinator à collatione, & præſentator ab executione ordinum per triennium nouerint ſe ſuſpenſos, & ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto nouerit ſe ſuſpenſum, donec diſpenſationem per ſedem Apoſtolicam meruerint obtinere.

Nota primò. In eo quis punitur, in quo peccauit: Sic in propoſito qui circa ordinis ſacramentum peccauerunt, ſuſpenduntur ab executione ordinum.

Nota ſecundò. Remiſſio, vel retentio temporalis debiti pro ſpirituali conſequendo, ſimoniam inducit. Anton. hîc n. 1. Paria enim videntur dare, & debitum remittere. arg. c. Veniens. 1. & ibi à DD. annotat. de teſtib. c. Talia. 8. q. 3. & l. Quinetiam. ff. de calum. & l. Si mulier. ff. de condit. cauſa data. latè Decius ff. de reg. iuris. l. Si quis oblatione.

CAPVT XLVI.

Habet duo dicta: ſecundum ibi: & ad reſignationes, & propter breuitatem & varietatem lecturarũ aliter non ſummatur.

Idem.

MAndato noſtro recepto: vt cum monachis qui per ſimoniam dato aliquo locum in monaſterijs ſunt adepti, ſecundum conſtitutionem generalis Concilij diſpenſares: & infra. Conſultationi tuæ breuiter reſpondentes dicimus mandatum Apoſtolicum etiam ad Abbates extendi. Et ad reſignationes ſpiritualium & temporalium quæ nullo pacto ſed affectu animi præcedente: vtrinque taliter acquiruntur: in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori, eos pro ſimonia huiuſmodi non teneri.

Caſus literalis. Quidam recepit in mandatis à Papa, vt ſecundum conſtitutionem generalis Concilij. ſupra eod. cap. Quoniam. diſpenſaret cũ monachis qui per ſimoniã aliquo dato in monaſterijs ſunt recepti nulla de Abbatibus in mandato Papæ habita mentione. Conſuluit Papam iſte vtrum auctoritate iſtius mandati poſſit diſpenſare cum Abbatibus. Itẽ aliqui ſunt adepti ſpiritualia nullo dato pretio, nullo pacto dandi, vel recipiẽdi præcedente: quæ-

quæritur vtrum iſti propter iſtum affectũ teneãtur ad reſtitutionẽ huiuſmodi ſpiritualiũ. Ad primum reſpondet Pontifex, quod mandatum Apoſtolicum ad Abbatem etiam extenditur, & ſic conſtitutio illa. c. Quoniam ſimoniaca. continet diſpenſationem per Papam exhibendam. Ad ſecundum reſpondet, quod iſti per huiuſmodi ſimoniam non tenentur ad reſignationem ſpiritualium, vel temporalium quæ nullo pacto ſed affectu animi præcedente ex vtraq; parte taliter acquiruntur, ſed ſufficiat delinquentibus per ſolam pœnitentiam in hoc caſu ſatisfacere creatori.

Nota primò text. quod appellatione monachorum Abbas etiam intelligitur, quia propter abbatiam non deſinit quis eſſe monachus: Sic quoque nomine monialium Abbatiſſa continetur. ſupra eod. c. Quoniam.

Secundò aduertendum cum Gloſſa in verb. Affectu animi, quod ſola voluntas ſiue affectus animi non facit aliquem ſimoniacum, licet aliter peccet (intellige nõ efficit ſimoniacum qui ſubiaceat pœnis in foro exteriori) Sed ſecus videtur in vſura vbi ſola ſpes vſurarij vſuram inducere videtur. 14. q. 3. c. 1. & c. Conſuluit. de vſur. Occaſione huius Gloſſæ communiter DD. in hoc cap. Quærunt quare vſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem, & non ſimoniacus ſimiliter mentalis. Sed de hac quæſt. quid & quam variè ſentiant DD. mox videbitur.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Vtrum ſimonia mentalis obliget ad reſtitutionem?

DE huius quæſtionis materia tractant Adrian. quodlib. 9. in tertio principali. ſub lit. E. Caietan. Petrus de Aragon. & Gregor. de Valentia in 2. 2. S. Thomæ. quæſt. 100. art. 6. vbi S. Thomas in ſolut. ad 6. etiam attingit. Victoria in relect. de ſimonia. part. 2. queſt. 1. Dominicus Sotus lib. 9. de iuſtitia & iure. q. 8. art. 1. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. cap. 2. Ioſeph. Angles in florib. Theolog. qq. in 2. part. in 4. de reſtit. in quæſt. Quis à reſtitutione ſit liber. 18. difficul. Sylueſt. in verb. Simonia, quæſt. 20. Aurea Armilla eod. num. 58. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 23. num. 103. Canoniſtæ in hoc cap. & alij alibi. Nunc antequam ad reſolutionē accedamus, memoria renouandum eſt, quod in Rubr. notab. 14. annotatum, quod ſimonia mentalis duplex eſt. Purè mentalis, quæ in ſola mentis deprauatione conſiſtit, ibique quieſcit. Non purè mentalis, quæ non committitur quidem ſine mentis affectu, non tamen ibi hæret, ſed progreditur ad actum exteriorem dandi & recipiendi ſine vllo tamen pacto, aut conuentione interueniente, exemplum ponit in hoc cap. Innocent. tale ex parte dantis & recipientis be-

tis beneficium, aliquis ideò ſeruiuit, vt beneficium acciperet, & ille qui dedit beneficium, ideò dedit, quia ſibi ſeruiuit. Hîc mentis rectitudo ex parte vtriuſque deſideratur. Si autem N. inſeruiat alicui prælato principaliter vt beneficium ei det, prælatus autem cognoſcens aptum ad officium beneficij N. ei beneficium confert, minus principaliter etiam motus intuitu ſeruitij, mens tum impura eſt tantum ex intentione ſeruientis.

Prima Concluſio. Simonia purè mentalis nullam inducit obligationem reſtituendi, ſed tantum pœnitentia purgatur. Hæc eſt communis DD. Ratio eſt euidens. Vbi nihil datur, aut accipitur, ibi non poteſt eſſe locus reſtitutioni, vt notiſſimum eſt omnibus, ſed in ſimonia purè mentali nihil datur aut accipitur. Quippe quæ ſolius mentis interioris terminis contenta eſt. Quod autem pœnitentia purgetur: à fortiori præſens text. comprobat.

Secunda Concluſio. Simonia mentalis quæ ad opus exterius progreſſa eſt, nec ſola affectus prauitate contenta fuit, nõ obligat ad vllã reſtitutionẽ, ſed ſufficit delinquentibus per ſolam pœnitentiã ſatisfacere creatori, vt pręſens text. in fin. loquitur. Hęc eſt communiſſima tã Theologorum, exceptis paucis, quam Canoniſtarum ſententia, quam ex Theologis apprehenderunt D. Thom. in d. ſolut. ad 6. Caietan. & alij commentatores ibid. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 11. Victor. Petrus à Nauarra, Ioſe-

ra, Ioſeph. Angles, Sylueſt Aurea Armil. Petr. à Soto de Inſtit. ſacerdotũ, de ſacramento ordinis, lect. 7. prope fin. Nauarr. loc. cit. & lib. 3. conſilior. de conceſſ. præbend. conſil. 1. n. 3. & lib. 5. in tit. de ſimonia. conſ. 51. n. 2. & 53. n. 2. & alibi. & communiter recentiores nunc Theologi. Ex alijs Cardin. Alexand. 1. q. 1. in princ. Idem cum Archidiac. & alijs in ead. cauſa & q. cap. Quicunque. Ioan. Andr. Panormit. Anton. Ioan. ab Anania. Felin. & alij in cap. Tua nos. ſupra eod. & communiter in hoc cap. Andreas Barbat. in cap. Ex parte. 1. num. 36. de offic. delegat. Alberic. in Repertorio. verb. Simonia. in addit. Ioan. Bapt. Caccialup. in tract. de penſionib. 1. q. 19. à num. 7. & ſeq. Cardin. Zabar. in Clement. 1. de vſur. q. 25. Guido Papa in tract. de vſuris: num. 15. & alij communiter alibi. Contrarium tamẽ tenent ſimoniam ſcilicet mentalẽ etiam obligare ad reſtitutionem Adrian. in d. quodlib. 9. Ioan. Maior in 4. d. 25. q. 1. art. 7. Armachanus lib. 10. c. 23. Henricus de Gandauo quodlib. 6. q. 26. Ioan. Medin. in C. de reb. per vſuram acquiſitis. q. 4. in 2. arg. principali. Bartholom. à Medina lib. 2. ſuæ ſummę. c. 14. §. 12. Dominic. Sotus in d. art. 1. in ſolut. ad 6. arg. Nunc probatur concuſio primò ex hoc c. vbi in ſecunda parte tam manifeſta ſunt verba text. vt nimiæ cuiuſdam audaciæ fuerit illud inficiari, ſicut Nauar. in manuali confeſſ. cap. 23. num. 103. verſ. Primo quia illud loquitur, maximè adiecta communi om-

ni omnium DD.interpretatione,imò S.Thomas in dicto art.ad 6.licet alijs verbis mentem omninò Pontificis ex hoc c. refert, ſi verba ipſius rectè inſpiciamus. Sic enim ait: Ad ſextum dicendum, quod quoad Deum ſola voluntas facit ſimoniacum. Sed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non punitur vt ſimoniacus, vt abrenunciare teneatur, ſed debet de mala intentione pœnitere. Sic ille. Dominicus Sotus ineptam dat expoſitionem ad hunc D.Thomæ text. Reſpondet enim, quod S.Thomas non loquatur de ſimonia mentali, vt communis opinio intelligit d. c. Mandato. alias cum inter pontificia decreta iam tunc extaret, ipſum citaſſet. Sed vocat ſimoniacum mentalē eum qui intēdit pretio dare, aut accipere rem ſpiritualē, tamen verè non dat. Hanc Soti interpretationē Petr.de Arag. & eiuſdem nominis à Nauarra d.c.2.n.399. meritò reprehendunt, & irrident. Quandoquidē nihil manifeſtius, quā ſimoniam mentalē, quę exterius ſe nō prodit dando & accipiendo nō obligare ad reſtitutionē. Nihil enim reſtituet, qui beneficium per pecuniā acquirere tantū deſiderat, ſed nunquam acquiſiuit. Quis vnquam dubitauit vſurarium illum non obligatum ad reſtitutionem, qui tantum deſideriū delectationemq; habuit dandi ad vſurā, & recipiendi lucrum vſurarium, nihil tamē adhuc accepit. Ridiculum ergo eſt tam diſſonum ſenſum D. Thomæ contra ipſam literam imponere.

Nec

Nec refert quod S. Doctor cap. Mandato, non allegauit, ſufficit quod ſenſum decretalis ferè verbis æquipollentibus retulerit. Quod etiam fecit ibidem in ſol.ad 5. Vbi multa refert ex cap. Quoniam. eod. tit. & ex cap. De regularibus ibidem. Nunc videndum quid reſpondeatur à Doctoribus contrariam partem tenentibus ad clarum text. cap. Mandato. Henricus de Gandauo ad illud cap. hanc dat Gloſſam, quod non intelligatur de receptione in monachum, ſed de loco inter monachos. Quæ Gloſſa ex ſola textus inſpectione tollitur, ideò non eſt multum in ea laborandum, ſed omiſſis alijs, quorum quidam dicunt, cap. intelligi de ſimonia prohibita iure poſitiuo, cum tamen loquatur clarè de religionis ingreſſu, ſicque ſit iure diuino illa ſimonia damnata, alij procedere in foro exteriori, quanquam text. etiam apertus ſit de foro conſcientiæ, nunc videndum quid Adrian. & poſt eum Sotus in illum text. commententur. Sotus Adriani commentum approbat & latius explicat in hunc, qui ſequitur modum: Ait ſiquidem, illic (loquitur de Adriano) Pontificem nullatenus decernere in ſimonia mentali non eſſe neceſſariam reſignationem ſpiritualium, aut temporalium reſtitutionem: imò contrarium docet, ſed lectio quæ punctum & comma ineptè collocat, errorẽ generat. Vulgò namque poſt narrationem caſus, reſponſum in duo diuiditur, videlicet vt poſt verbum,

bum, extendi, fiat rubrica, & inde quaſi noua clauſula ſic legatur: Et ad reſignationem ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente, in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori, eos pro ſimonia huiuſmodi non teneri, ita vt hoc vltimum verbum referatur ad præcedentia, ſcilicet non teneri ad reſignationem temporalium & ſpiritualium. Quod apparet Papam non ſenſiſſe, &c. Igitur vt textus rectè legatur, præmittendus eſt caſus capituli. Quidam enim dato praua intentione pretio abſque pacto recepti ſunt ad religionem: & forſan dederant monaſterio aliquam prębendam, & inſuper aliquod temporale. Poſtmodum verò compuncti Romam miſerunt, vt cum illis fieret diſpenſatio. Papa verò miſit mandatum, vt eadem fieret. Sed tamen dubitauit poſtea eius Abbas de extenſione mandati quantum ad duo: nempe vtrum extenderetur facultas vſque ad Abbates: vt ipſe poſſet cum illis diſpenſare: Item vtrum extenderetur etiā ad diſpenſandum ſuper reſignationibus ne ex alterutra parte fierent: vt ſcilicet conuentus reſignare non teneretur, ſed omnia poſſet retinere, quæ monachi contulerāt. Reſpondet ergo ad vtrumque Pontifex affirmatiuè: dicens: Mandato noſtro recepto, vt cum monachis, qui per ſimoniam dato aliquo (ſcilicet munere tam temporali quam ſpirituali) locum in mona-

ſterio ſunt adepti ſecundum conſtitutionem generalis Concilij (videlicet Conſtantienſis, vt habetur cap. Quoniam, paulò ante in eod. tit. & infra.) Sequitur concluſio. Conſultationi tuæ breuiter reſpondentes, dicimus mandatum Apoſtolicum (id eſt facultatem diſpenſandi) ad Abbates extendi (vt ſcilicet ipſi valeant diſpenſare) & ad reſignationes ſpiritualium & temporalium. Itaque verbum, extendi, fertur in hoc quod ſequitur, ſed interlita rubrica rem obſcurauit, peruertitque ſubinde lectionem, vt intelligeretur non teneri ad reſignationes. Debes ergo ſic legere: Extendi ad Abbates vt ipſi poſſint diſpenſare, extendique ad reſignationes tam temporalium quam ſpiritualium, ſi modo nullum interuenit pactum, nempe vt Abbas poſſit diſpenſare, ne reſignatio tam temporalium quam ſpiritualium, quæ alias neceſſaria erat, non fiat. Addit verò, quæ vtrinque taliter acquiruntur, vtpote quod diſpenſetur, ne vel monaſterium reſtituat, quæ perceperat, neque verò monachi inde abire cogantur, id quod alioqui iuxta tenorem dicti Concilij facere tenebantur, & tranſire ad aliud monaſterium. Ait ergo Papa, quod in illo caſu, id eſt, facta diſpenſatione, delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori. Verbum ergo (ſolam) non excludit, quin ex natura ſimoniæ facienda eſſet tam reſignatio ſpiritualium, quàm reſtitutio temporalium. Imò cum

cum dicat mandatum diſpenſandi, ad id extendi, palam docet ſuper his diſpenſationem fuiſſe neceſſariam, ſed excludit illa, quæ in dicto concilio iubentur: ſcilicet ne exeant monachi à monaſterio, ſed maneant in ſuo loco cum ſola pœnitentia. Sic Sotus. Circa hanc Soti in text. lectionem in primis aduertēdum quod non ſatis caſum text. intellexit, aliter enim res ſe habet, vt conſtat ex narratione caſus ſtatim poſt capitulum poſita. Non enim mandatum, cuius hîc mentio facta eſt, directa fuit ad Abbatem, ſed ad alium, ſcilicet Apoſtolicum legatum, ſic non Abbati etiam tradita fuit commiſſio diſpenſandi. Commiſſarius autem ille cum accepiſſet in mandatis à Pontifice, vt ſecundum conſtitutionem generalis Concilij (Non eſt illud Concil. Conſtantienſ. quod longo tēpore Gregorius nonus, cuius hoc c. eſt, præceſſit, ſed Lateranenſe ſub Innocentio III. c. 64. Vnde Soti lectio errore Typographorum eſt corrupta, dum pro Lateranenſis, ponit Conſtantienſis, quamuis Petr. de Aragon. & à Nauarra, Sotum etiam ita allegent, nec lecturam corrigant, cum nō expenderint) relati in c. Quoniam ſimoniaca. ſupra diſpenſaret cum monachis, qui locum in monaſterio pretio dato adepti fuerant, nulla facta mentione de Abbate, qui pretium accepit, conſuluit ergo ſuper hoc Papam, An virtute iſtius mandati poſſet etiā cum Abbatibus diſpenſare. Cui reſpondet Gregor. mandatū hoc

etiam ad Abbates extendi, ita vt cum illis
cum monachis ſimoniacè locum adeptis
ſit diſpenſari: & hæc eſt prima pars text.
que ſic facile perſpicitur, quod Ponti
mandatum non extenditur ad chimeras
Adrian. loquitur, & ſequi putat ex comm
DD. lectione, ſed planè arguat ſuam exten
nem eſſe chimericam, nec cohærentem
ſequentibus. Secundò rogatus fuit Ponti
An tales ſimoniaci, ſiue monachi dantes,
Abbates recipientes, teneantur ſpiritual
temporale reſignare, ita vt nec Abbates
tium, nec monachi habitum & locum (
ſpiritualia ſunt) debeant reſignare. Hui
cundæ interrogationi Papa reſpondet: E
reſignationes ſpiritualium & temporaliu
quæ vtrinque prauo animo acquiſita ſunt,
non teneri, modò pactum non interuen
&c. ſed ad ſolam pœnitentiam ſuo creator
ciendam. Ad hæc ſecundum Soti lection
impoſſibile eſt aptare aliquam conſtruct
nem tolerabilem, vt bene Nauarr. obſeru
illi verſic. Eos pro ſimonia huiuſmodi non
neri. Repugnant illi Gloſſæ Adriani &
ſummarium præfixum omnibus etiam exe
plaribus inſertum. Gloſſ. caſus ab ead. form
tus, & communis DD. in illud cap. expoſi
Etiam conſonat antiquæ lectioni, & diſt
ctioni lectio Decretalium cum ſuis Gloſſ.
ſtituta ſuæ integritati auctoritate Greg
XIII. Pontificis fœliciſſimæ memoriæ. Ra
eti

etiam huius concluſionis breuiter tangitur à Syluestro in d. quæſt. 20. quam latius placet declarare, eamque ſic formamus. Obligatio reſtituendi ratione ſimoniacè acceptorum deſcendit ex iure poſitiuo, & non ex naturali & diuino, vt docent Victoria in d. relect. Caietan.2.2.quæſt.100.art.6.Sylueſt.loco cit. Nauarr. Petrus à Nauarr. DD. in hoc cap. & alij alibi. Sed nulla eſt diſpoſitio iuris humani ſiue poſitiui, quæ modò abſit pactum, iubeat accepta in ſimonia mentali reſtituere, cum lex humana iuxta communem magis & receptam ſententiam non puniat actus interiores mentis, qui ex natura propria minimè poſſunt in foro exteriori probari, & ex conſequenti puniri, vt teſtes ſunt S. Antonin.3.part.tit.23. cap. 4. Maior in 3.ſentent. d.25. quæſt.3. Iacob. Almain.in tract.de poteſt. Eccleſiæ. cap. 3. Caietan.2.2. quæſt.11. art.3. Alphonſ. Caſtrenſ. lib. 2.de poteſtate legis pœnalis.cap.vlt. concluſ.1. Syluest. in d. quæſt. 20. & in verb. Excommunicatio.7.§.2. Martin. Nauarr. de pœnitentia. d.5.in principio.num.19. & ſeq. & in cap. Cogitationis.de pœnit.d.1. Didac. Couarr. in relect.cap.Peccatum. de reg. iuris. 2. part. in initio.num. 7. & alij. facit ad hoc illud Vlpiani in l.Cogitationis. ff.de pœnis. relatum à Gratiano.in d.cap. Cogitationis pœnam nemo patitur. His accedit quod nemo debet puniri (intellige ab homine) de peccatis occultis. 6. q.1. cap. Si omnia. & cogitationes ſunt penitus occultæ,

cultæ, & ſoli Deo reſeruatæ. Ipſi enim præparantur cogitationes. 1. Reg. cap. 2. & 16. Homo videt, quæ parent. Dominus aut cor intuetur. Concordat & S. Thomas 1. 2. quæſt. 91. art. 4. in hæc verba: De his poteſt homo legem facere, de quibus poteſt iudicare. Iudicium autem hominis eſſe non poteſt de interioribus motibus qui latent, ſed ſolum de exterioribus actibus qui apparent. Quę in contrarium adferri poſſunt ſoluuntur, ab Alphonſo & Nauarr. Ergo nulla obligatio reſtitutionis ſupereſt in ſimonia mentali, quando conuẽtio, aut pactum abeſt. Nunc reſpondendũ argumentis in contrarium, quæ difficultatem facere videntur. Primum de quo communiter DD. in hoc cap. Vſurarius mentalis tenetur ad reſtitutionem cap. Conſuluit. de vſur. Gloſſ. & DD. ibidem. Gloſſ. & DD. in hoc c. Ergo etiam ſimonia mentalis obligabit ad reſtitutionem, quia ſimilis videtur ratio. Reſpondetur, quod hoc argumentum quærit ſolutionem, quare vſurarius mentalis reſtitutioni ſit obnoxius, & non ſimoniacus mentalis, & varij ſunt DD. in aſſignatione differentiæ, vt patebit. Atque in primis, quidam ſunt DD. qui negant vſurarium mentalem eſſe obligatum ad reſtituendum, nec in hoc eſſe vllam differentiam inter vſurarium & ſimoniacum mentalem. Sic ſentiunt ex Theologis Scot. in 4. d. 15. q. 2. art. 2. Richard. ibid. art. 5. q. 5. Gabriel ead. d. q. 2. art. 2. dub. penult. Angel. in verb.

Reſtitu-

Reſtitutio 1. verſ. Vſurarius mentalis vtrũ teneatur. Sylu.in verb. Vſura 6.q.3.& ex iuriſperitis Bald. in l.penult. ff.de condit. ob turpem cauſ. Alexan.in l.Si non ſortem. §.1. ff.de condict.indeb. Paulus Leazar. in Clem. 1. de vſur. Anton.à Butrio in conſ.17.incip.Occurrentibus. & Carol. Molinæus in tract. de commercijs & vſuris. num. 6. atque hi DD. non laborant in reddenda differentia. Sed quoniam nos in cap. Conſuluit. de vſur.q.1. tradidimus cum ſententia DD. probabile eſſe vſurarium mentalem obligatum ad reſtitutionem lucri acquiſiti, ideò cum alijs in hoc cap. etiam differentiam aſſignare debemus, atque cum hîc proprius locus ſit, aliqua ſunt inſerenda, quæ in commentario d. cap. & quæſt. etiam collegimus.

Prima aſſignatio differentiæ poteſt attribui Hoſtienſi in hoc cap. quod vſura ſit prohibita vtroque teſtamento, & ſic Papa in eo diſpenſare non poteſt. Sed ſimonia in beneficio eſt prohibita ex ſola inſtitutione Eccleſiæ. Sed hæc ſolutio non ſubſiſtit, quia Pontifex loquitur de ſimonia iure diuino prohibita, ſcilicet, quæ committitur pro religionis ſtatu. Diuino enim iure reprobatur venditio ſtatus religionis, quandoquidem omninò ſpiritualis eſt, & extra ordinem rerum, quæ ſub contractus merè humanos cadunt. Deinde vt Panormitanus ait, nimis reſtringit hæc ſententia textum. His additur quod in antiquo

teſtamento etiam Giezi commiſit ſimoniam, & ideò percuſſus lepra.1.q.1.cap.Cito turpem. & in nouo teſtamento. Gratis date, gratis accepiſtis.Matth.10.

Secunda ratio diuerſitatis eſt Ioannis Andreæ, quod magis vulneratur bonum charitatis in vſura mentali, quam in ſimonia. Pręterea in vſura ſola mens vſurarij eſt deprauata, exigentis videlicet aliquid vltra ſortẽ: non autem ſoluentis, ideò ei debet fieri reſtitutio. In ſimonia autem vtriuſq; animus eſt corruptus: Cum tam emi, quam vendi ſpiritualia ſit prohibitum. Sed hæc diuerſitatis ratio non inſeruit ad propoſitum. Simonia cum ſit deteſtabilius peccatum, quam vſura, magis lædit bonum charitatis. Quia maius peccatum, magis vulnerat. Deinde mens deprauata nemini debet ſuffragari. Ergo cum in ſimonia ſecundum opinionem dictam mens vtriuſque ſit corrupta, multò minus debet acquiri dominium, quam in vſura, vbi corruptio tantum eſt ex vna parte. At huic ſententiæ adhærent Guido Papa de vſuris. num. 15. & quidam alij.

Tertia differentia attribuitur alijs à Panormit.in hoc cap.qui dixerunt, quod in ſimonia non fit reſtitutio, quia concernit actum exteriorem & venditionem, ſed vſura concernit animam iuxta illud Euangelicum. Mutuum dantes, nihil inde ſperantes. Verum hæc ratio valde infirma, vt etiam innuit Ioannes Andreas: quia non redditur ratio, quare vſura

magis

magis concernat animam, quam ſimonia: cum potius contrarium dici debeat, eo quod ſimonia grauius peccatum ſit.

Quarta Panormitani, qui cum oſtendiſſet aliorum rationes non eſſe ſatis efficaces, dicit non malè poſſe reddi rationem, illud inductum eſſe in odium vſurarum, quia ſi hoc eſſet permiſſum, daretur ſæpè materia figmentis, vt ſine pacto ſoluerent vſuras. Vel vt reſtringatur hoc cap. ad ſimoniam prohibitam ex conſtitutione Eccleſiæ: Vel vt intelligatur in effectu, & ſpe ſecundaria, & non primaria, hoc putat tutius tenendum, vt vbi intentio fuit principalis immineat reſtitutio. Sic Panormitan. Prima ratio ab eo reddita, parum vrget, cum maius odium ſit ſimoniæ quam vſuræ: peius enim peccatum maiori odio dignum eſt. Secunda ratio refutatur eodem modo, quo ratio ſecundæ opinionis reiecta eſt. Poſtrema quam alijs tutiorem exiſtimat, præſupponit falſum, vt rectè iudicat Nauarrus in manuali confeſſariorum. cap.23. num.103. videlicet quod cap. loquatur de illo qui non dat, vel facit temporale principaliter pro ſpirituali, ſed minus principaliter & ſecundariò. Quia hoc c. agit de ſimonia, quæ eſt peccatum mortale. Tale autem non eſt facere aliquid minus principaliter & ſecundariò pro ſpirituali, vt etiam ſupra demonſtratum eſt.

Quinta eſt Andreæ Barbat. in cap. Ex parte 1. num. 37. de officio delegat. ita eſſe in vſurario men-

rio mentali, quia vitium vſurarum eſt magis frequentatum, & vnum delictum aggrauatur ad pœnam propter ſuam frequentiam. Sed vitium ſimoniæ non eſt ita frequentatum. Ergo. Sed hæc differentia non eſt fundamentalis, ſed extrinſeca & impertinens ad radicem reſtitutionis, maximè in peccatis occultis, ad quæ poteſtas fori exterioris ſe non extendit.

Sexta redditur ratio diuerſitatis à Cardin. Zabarel. in Clem. 1. de vſur. quæſt. 25. quia in ſimonia intentio non eſt cauſa propter quam detur, vt ſi recipio beneficium, & in mente habeo aliquid dandi, pro hoc iſta non eſt cauſa, quare ille det beneficium. Similiter intentio conferentis de aliquid recipiendo non eſt cauſa, quare ipſe conferat cum teneatur conferre. Mutuans autem cum ſpe aliquid percipiendi, alias non mutuaturus hac ſola ſpe ducitur, & dato quod hæc ratio, vel aliæ, de quibus in dicto cap. fin. non eſſent omninò ſufficientes, ſufficit tamen ita ſcriptum eſſe præcipuè, quia vſura & ſimonia, ſunt crimina omninò diuerſa. Hæc ille quæ & obſcura, & valdè dubia, nunc videndum quid Theologi dicant.

Septima eſſe poteſt ex Adriano in 4. de reſtitutione. §. Aggredior caſus ſpeciales. verſ. Ad rationes ante oppoſitum, cui videtur ſuo iudicio, quod hæc ratio diuerſitatis magis probabilis ſit, videlicet quia reſtitutio ſimoniacè

niacè acquiſitorum fieri debet Eccleſiæ, quæ in hoc facultatem habet ius ſuum remittendi, ſi vult. Sed reſtitutio vſurarum debetur perſonis priuatis, à quibus vſuræ fuerunt extortæ: quam obligationem nec Papa, nec Imperator, neque Eccleſia vniuerſalis ſine aliorum aſſenſu remittere poteſt. Longè ergo diſpar ratio eſt de mentali ſimonia & vſura. Sed nec certum eſt, an in ſimonia mentali non obligetur homo reſignare & reſtituere quod taliter acquiſiuit: & ſic iterum labitur in expoſitionem huius text. iuxta declarationem ſupra datam, & ſentit quod ſimonia mentalis ita obliget ad reſtitutionem ſicut vſura. Sed iſta differẽtia imaginaria eſt, nec ratione, nec textu aliquo ſatis probatur, quod Eccleſia diſpẽſet cum aliquo in tali caſu, cum non opus ſit vlla diſpenſatione, ſed ſufficiat delinquẽtibus per ſolam pœnitentiã ſuo ſatisfacere creatori.

Octaua eſt Ioannis Medinæ in C. de rebus per vſuram acquiſitis. quæſt. 4. in ſecundo argum. principali, quod ſicut vſura mentalis in iudicio animarum, ſiue foro conſcientiæ reſtitutionem inducit, iuxta cap. Conſuluit. Ita & ſimonia mentalis cæteris paribus, nec eſt diſcrimen inter hæc aſſignandum. Ad text. autem qui videntur contrarij dicendũ, quod cap. Conſuluit, procedit in foro conſcientiæ, vt ex ipſo conſtat. Cap. autem hoc fin. de ſimonia locum habet in foro exteriori, in quo non tenentur ſimoniaci mentales ad reſignationem

tionem beneficiorum, & reſtitutio
poralium: & ita nulla eſt repugnant
Medina animaduertit malè text. al
& Soto declaratum, ita intelligit de
riori: ſed ſuus intellectus non eſt a
canonis, qui loquitur apertè de for
tiæ, quia declarat quod delinquenti
ſufficiat in hoc caſu pœnitere, nec a
neantur pro huiuſmodi ſimonia.

Nona ſit Caietani in 2. 2. S. Thon
100. art. 6. qui dicit, quod ratio qu
rius mentalis te[illegible]ur ad reſtitution
quod non animo donandi à mutu
tum eſt: ſimoniacus autem menta
netur ad reſtitutionem eius, quod
ſimoniaco animo emendi, vel ven
donatum, quia quod taliter datur
non datur ſpontè, ſed inuoluntariè
do vexationem. Eſt enim ibi vol
miſtum inuoluntario, vt patet ex 3
Quod autem datur ſimoniaco me
luntariè datur, quoniam datur anin
di & vendendi. Emptio autem &
ſunt voluntarij contractus abſque v
miſto, vt ex 5. Ethicor. patet. Eſt igit
tio diuerſitatis, differentia inter vol
& inuoluntarium, quia ibi inuolu
tur, & ideò reſtituendum eſt: hic
luntariè, & ideò non eſt reſtitutic
xium. Hæc Caietan. cui adhæret V
co cit. Nauarr. in manuali confeſſ

num.103.Gregor.de Valentia in d.art.6. Coſmus Philiarc. Theologus Florentinus tomo 2. de officio ſacerdotis. lib.6. c.16.& alij iuniores in ſcholis.Sotus lib.9. de iuſtit.& iure. q. 8. art.1. ad 6. Contra hanc Caietani ſententiam inſtat,atque ait: Sed neque iſta ſolutio hærenti animo ſatisfacit: nam perinde ſimoniacus inuitus videtur conferre pretium, atque ille qui accipit ad vſuras: ſiquidem mallet gratis accipere, vt iure diuino alter tenebatur conferre. Nauarrus pro Caietano diluit hanc Soti obiectionem loc. cit. in hunc modum: Ad hoc vt conſenſus dantis impediat reſtitutionem, non ſufficit quod mallet gratis habere, quam pretio: quoniam alioqui etiam omnis venditor teneretur reſtituere pretium ementi, ſed ſufficit conſenſus præſtitus via contractus approbati, & quod datur per viam ſimoniæ, datur per viam commutationis quæ de ſe iure probatur: Non autem quod datur per viam vſuræ.

Decima quæ præcedenti multum affinis eſt, ſed ſatis clara eſſe poterit, quam in primis Victoria dedit,& poſt eum Coſmus Philiarcus & alij quidã amplectuntur, quod vſura eſt contra iuſtitiam commutatiuam, venditur enim id quod non eſt, vel idem bis venditur, & propterea ſemper obligat ad reſtitutionem. Per ſimoniam autem non fit contra iuſtitiam commutatiuam; quia hinc inde datur & accipitur, & fit commutatio, & quædam emptio & vendi-

& venditio, licet iniqua & ſacrilega, & pro
terea ex natura rei ſimonia nō obligat ad reſ
tutionem, niſi quatenus in pœnā præcipitu
Victoria alijs verbis clarius. In vſura afficit
iniuria ille, à quo exigitur vſura, & ideò ei r
ſtituendū eſt: ſed in ſimonia non fit iniuria
li, qui libenter dedit pecuniam, ſed iniuria f
cta eſt rebus ſacris, ſicut ſi in loco ſacro a
quis haberet rem cum propria vxore, non f
ceret illi iniuriam, ſed templo. Ita in prop
ſito nulla fit iniuria illi, à quo pecunia acc
pta eſt, ſed rebus ſpiritualibus, & ideò nulla
reſtitutio facienda illi, qui dedit pecuniam
iure diuino.

Vndecima poteſt aſcribi Nauarro loc. c
quam putat nouam, & efficaciorem illa Ca
tani differentia: & eſt hæc, quod vſura be
ſoluitur, & male recipitur. Nam vſuram ſo
uere non eſt peccatum. cap. Debitores. de i
reiur. Recipere autem ſic. cap. Quoniam.
vſuris. & qui malè recipit ab eo, qui bene d
tenetur id reſtituere danti. cap. Non ſanè. cu
Gloſſ. 14 q. 5. At qui per ſimoniam mentale
accipit ab eo, qui malè dat, bene ſuſcipit
ignorantiam malæ intentionis: aut ſaltem a
cipit à malè dante, & conſequenter nemi
tenetur illud reſtituere, ſaltem ſi præſtet i
propter quod datum eſt, per regulā ab eo p
ſitam in eod. manuali. cap. 17. num. 37. ſcilic
eum qui benè, aut malè aliquid accipit ab
qui malè dat, ad illud reſtituendū ex præcep
nc

non teneri, ſaltem ſi illud cuius cauſa datum eſt, fecit, & nulla ſpeciali lege iubeatur id reſtitui. Et quamuis de accepto per ſimoniam realem ſit lex ſpecialis, quæ id iubet cap. de hoc. de ſimonia, nulla tamen talis eſt de accepto per ſimoniam mentalem: imò contraria expreſſè ponitur in d. cap. fin. Concludo igitur ait Nauarr. proculdubio, quod ſimonia mentalis non obligat ad reſtituendum quæſitum per eam, ſiue illud ſit ſpirituale, ſiue temporarium, quod præcedit etiam in ſimonia iure naturali, & diuino prohibita, &c. Sic Nauarr. cuius ratio differentiæ ſua non caret difficultate, & nimis longè petita videtur. Proinde Coſmus Philiarcus dicit, quod non ſit ſufficiens, ſicut nec duæ illæ regulæ, quandoquidem propria ratio inducens obligationem reſtituendi, vel ab ea liberans eſt, quia fit, vel non fit contra iuſtitiam commutatiuam: contra quam non ſemper facit, qui turpiter recipit à bene dante.

Duodecima ratio diuerſitatis vera & lepida datur à Ioanne ab Anania canoniſta in hoc cap. Quia reperitur iure diuino & humano cautum, quod nihil debeat ſperari ex mutuo. At non ſic in ſimonia. Quare autem iſtud fuit, vel fortè in odium vſurarum, vel quæras ab ipſis conſtitutoribus. Ex his & ſimilibus quæ adferri poſſent, manifeſtum eſt, multum laboraſſe Doctores in aſſignanda diuerſitate rationis. Cum autem deciſio Ponti-

Pontificis in noſtro cap. clara ſit, humiliter
li aſſentiendum eſt, quamuis rationem
motus fuit, non penetremus arg. cap. Ego
lis. d. 9.

Secundum argumentum contra concluſi
nem, poteſt erui ex S. Thoma in corpore
art. 6. Nullus poteſt licitè retinere id qu
contra voluntatem Domini acquiſiuit,
emplum pro declaratione ponit. Si aliq
diſpenſator de rebus domini ſui daret ali
contra voluntatem & ordinationem dom
ſui, ille qui acciperet licitè retinere non p
ſet. Sed Dominus, cuius Eccleſiarum præl
ſunt diſpenſatores, & miniſtri, ordinauit,
ſpiritualia gratis darentur. Matth. 10. Gra
accepiſtis, gratis date. Ergo qui ſimoniacè
alicuius temporalis interuētu ſpiritualia qu
cunque aſſequitur, ea licitè retinere non p
teſt. Reſpondetur inprimis cum Petro à N
uarra, quod iſta ratio nihil omninò probet
reſtitutione pecuniæ & rei temporalis ſim
niacè acquiſiti etiam pacto intercedente,
re diuino aut naturali, homo enim eſt don
nus talis pecuniæ reique temporalis, eam a
tem voluntate dat, dominium autem iure n
turali voluntate transfertur. Cum ergo re
piens iure diuino incapax non ſit dominij a
quirendi, manifeſtum eſt contractum tene
quo ad acquiſitum temporale, nec iure nat
rali eſſe reſtituendum. Nunc ad argumentu
in ſpecie ſolum probat collatorem mortali

pecca

peccare contra ius diuinum ex pacto ſimoniacè conferendo, non tamen quod contractus eodem iure ſit nullus, licet enim non ſit dominus, tamen eſt adminiſtrator, ac per conſequens licet malè adminiſtret, tamen validum eſt quod efficit, tanquam poteſtatem habens in adminiſtratione: recipiens etiam beneficium non vt ſuum recipit, ſed vt Eccleſiæ quo ad dominium eius, quamuis ſuum quo ad vſumfructum & adminiſtrationem. Sic ille D. Gregorius de Valentia reſpondet, Prælatum in propoſito transferre dominium rei ſpiritualis, domino etiam approbante translationem, non quidem ſimpliciter ex omni parte (auerſatur enim illam vtpote irreligioſam) ſed eatenus, vt ſit valida, quando contractus tantum mentaliter fuit ſimoniacus, non enim conſtat nobis de contraria domini voluntate.

Tertium argumentum contra. Datio & receptio in omni contractu ſimoniaco eſt illicita, & contra canonicas leges, vt conſtat quam maximè ex hoc tit. Ergo dominium per illam non acquiritur: & conſequenter ex natura rei facienda erit reſtitutio. Probatur conſequentia. Quia translatio dominij debet eſſe ſecundum leges, & non contra eas. Reſpondet idem Gregorius dationem eam & receptionem eſſe quidem illicitam, ſed tamen non eſt illicita iniuſtè, ita vt iure naturæ oriatur inde obligatio reſtituendi; ſed tantum eſt illicita

irreligioſè. Propter quod quidem irreligioſitatis peccatum præcepto ac ſtatuto Eccleſiæ in pœnam criminis prohibetur tranſlatio dominij in ſimonia reali, non autem quando ſimonia tantum mentalis eſt argum. huius cap.

Quartum argumentum. Qui mutuum dat, propterea tenetur vſuras reſtituere, quia gratis mutuare debet. Sed prælatus Eccleſiæ etiam gratis tenetur ſpiritualia conferre, ex pręcepto Chriſti Matth. 10. Gratis date, gratis accepiſtis. Ergo ſi pro pecunia conferat, acquiſitum eſt reſtitutioni obnoxium. Hoc argumentum Sotus ponit inter ſua fundamenta. Reſpondetur, quod obligatio reſtituendi nõ oritur ex hoc, quod gratis aliquid faciendum, vel dandum ſit, ſed ex hoc quod iuſtitia commutatiua læditur, & ſic in vſura neceſſitas reſtituendi non oritur hinc quod gratis mutuandum ſit, ſed quia venditur id quod non eſt, ſcilicet vſus rei mutuatæ, qui non diſtinguitur à re, & propterea gratis eſt mutuãdum. Vt autem gratis faciendum, vel dandũ, inducat reſtituendi obligationẽ, oportet quod ſit contra iuſtitiam commutatiuã, quod dupliciter contingere poteſt. Primò, quia niſi fiat gratis, venditur id quod non eſt, vt in vſura. Secundò, quia eſt alteri ius acquiſitum ad illud, vnde ei contra iuſtitiam venditur, quod ſuum eſt, vt in adminiſtratione iuſtitiæ, & etiam in ſimoniacè accepto, quãdo daretur ad redimendam vexatio-

vexationem propter ius acquiſitum. In ſimonia autem venditur id quod eſt, ſcilicet ſpirituale, quod licet, gratis ſit dandum, nemini tamen in particulari competit ius ad illud vt ei vendatur, quod ſuum eſt, & conſequenter non fit contra iuſtitiam commutatiuam, quia ſicut accipitur, ita etiam pro eo datur, licet iniuria fiat rei ſacræ, & ſacrilega venditio reddatur. Sic Coſmus Philiarc.

Quintum argumentum etiam ſumptum ex fundamentis Soti. Res ſpiritualis quæ in ſimonia venditur, nullo pretio æſtimari poteſt. Ergo venditio iure naturali eſt nulla & iniuſta, & per conſequens obligat ad reſtitutionem. Reſpond. in primis, quod res ſpiritualis pretio æſtimari non poteſt, non quia ſit infra omne pretium, ſed potius quia omne pretium excedit. Vnde danti pecuniam, non fit iniuria vlla, vt poſſit conqueri de re ſibi data pro pretio, quaſi non habeat pretium: ſed potius ei beneficium impenditur, & multo plus ei datur, quam pecunia valeat. Cum autem res caret pretio propter ſuam vtilitatem, tum iniuſtitia eſſet pro pretio vendere: vt peccatum, quod nec delectationem, nec vllam vtilitatem haberet, vel quid ſimile quod vendibile non eſt: cum ſit infra omne pretium, vt Petrus à Nauarra latius declarat. Secunda reſponſio cum Coſma Philiarco adhiberi poteſt, quod licet res ſpiritualis in ſe nullo pretio æſtimari poſſit,

tamen quantum ad vſus humanos, & quatenus ex illa habentur temporalia commoda, & temporales fructus poteſt ab hominibus taxari æſtimariúe, quia pecunia facta eſt pretium omnium rerum etiam earum, quæ multum excedunt, & nullum habent pretium. Iſta enim relata ad pecuniam taxantur ſecundum communem æſtimationem. Exempli gratia, vita hominis omne pretium excedit, condemnatur tamen homicida, imò & in conſcientia tenetur ad reſtitutionem pecuniariam faciendam hæredibus occiſi pro arbitrio prudentum: & hac ratione ſimonia poteſt dici commutatio ſpiritualis cum temporali, & ſpiritualium venditio & emptiō, vt ex definitione ſimoniæ liquidum eſt: & quia ſic non eſt contra iuſtitiam commutatiuam nec iure naturali, nec diuino obligat ad reſtitutionem, ſed eſt tantum impia & ſacrilega emptio & venditio, qua iniuria rebus diuinis irrogatur, atque ideo S. Thomas 2.2. q. 100. art. 1. in corpore circa finem ait: quod aliquis emendo, vel vendendo rem ſpiritualem, irreuerentiā exhibet Deo & rebus diuinis, propter quod peccat peccato irreligioſitatis. Quod ſi aliquando in decretis patrum, quæ maximè habentur in 1. quæſt. 1. dicatur ſimoniacus eſſe in ſtatu damnationis, niſi abrenunciet malè & ſimoniacè acquiſito, de ſimoniaco ex pacto, id intelligendum eſt.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum ſimonia conuentionalis obliget ad reſtitutionem?

DE hac re Sylueſt. in verb. Simonia. q. 20. Caietan. eod. & 2.2. quæſt. 100. art. 6. Gregor. de Valentia ibidem. Dominicus à Soto lib. 9. de iuſtitia & iure. q. 8. art. 1. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. cap. 2. num. 410. & ſeq. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. c. 23. num. 104. & 106.

Ante reſolutionem obſeruandum, quod duobus modis poteſt contingere ſimonia mentalis. Primò ſine voluntate interiori emendi, ſed tantùm pacto exteriori adiecto. Secundò quando verè eſt voluntas emendi, ac pro aliquo temporali acquirendi ſpirituale, aut ſpirituali annexum cum adiectione pacti, ſiue conuentionis declaratæ.

Prima Concluſio. Qui fictè & non verè ſimoniam conuentionalem committeret, in foro conſcientiæ non teneretur ad reſtitutionem ſiue renunciationem eius, quod ſic acquiſiuit. Hanc tenent Caietan. tom. 2. opuſculorum. tract. 9. q. 2. Sotus & Petrus à Nauarra locis cit. Gregor. de Valentia in d. quæſt. 100. S. Thomæ. puncto quinto. & alij quidam recentiores contra Martinum Nauar. in d. num. 106. Ratio fundamẽtalis, quia in tali caſu non committitur ſimonia, cùm non ſit ſtudioſa,

 ſed

ſed ficta voluntas emendi ſpirituale, aut ſpirituali annexum. Cui autem non conuenit definitio ab eodem remouetur definitum. Ergo etiam non eſt obligatio reſtituendi acquiſitum. Nauarri autem fundamentum infirmum eſt. Ad eſſentiam, inquit, ſimoniæ non eſt neceſſaria vera voluntas emendi, ſed ſufficit voluntas faciendi, aut dandi aliquid, quod formaliter, vel virtualiter eſt temporale pro ſpirituali conſequendo. Quod fit in hoc caſu. Sed negatur, quod talis habeat voluntatem emendi veram, ficta enim eſt voluntas. Vnde non conſiſtit etiam eſſentia ſimoniæ, de cuius ratione eſt, quod ſit ſtudioſa voluntas emendi. Emptio autem in propoſito eſt tantum ſimulata & ſecundum apparentiam: Apparentia autem vt rectè Caietan. loquitur, eſt conditio diminuens, ſicut pictura: non aũt homo pictus eſt homo, & ita nec apparẽs ſimoniacus eſt ſimoniacus. Vt concluſio rectiùs, & ea quæ hîc dicuntur intelligãtur, placet caſum ſic formare. Eſt aliquis deceptor, qui Epiſcopo pro beneficio conferendo promittit centũ aureos, eamque promiſſionem inſtrumento confirmat, abſque vlla intentione ſoluendi & emendi, ſed ſolum vt beneficium conſequatur, & Epiſcopi animum experiatur: iam concluſio dicit, quod ſic beneficium conſecutus, non teneatur illud reſignare. Non dubitant tamen DD. talem mortaliter peccare, tum quia participat peccato ſimoniæ, alterius ſcilicet venden-

vendentis, cum efficaciter illum moueat ad peccandum: tum quia ſcandalo afficit proximum: tum quia mentitur & ſe infamat.

Secunda Concluſio. Talis qui ſic doloſè & apparenter ſimoniam committit, in foro exteriori poſſet puniri, & ſic acquiſito priuari per ſententiam. Hæc eſt communis DD. allegatorum. Ratio quia Eccleſia non iudicat de occultis, quæ non apparent, ſed de eis quæ ſunt manifeſta. Cum autem in hoc caſu appareat de ſimonia, Eccleſia poteſt iudicare in foro exteriori ſimoniam eſſe commiſſam, & conſequenter talem punire pro ſimonia. Atque etiam ſi conſtaret de animo alieno à ſimonia adhuc punire non eſſet abſurdum ob iniuriam apparentem, & alia crimina, quæ ibi miſcentur. Nunc agendum de ea ſimonia, quæ propriè conuētionalis vocatur.

Tertia Concluſio. In ſimonia purè conuentionali, id eſt, quando tantũ conuentio facta eſt, & pactum intereeſſit, ſed nihil vltro citroque datum & acceptum eſt, nulla eſt reſtituendi obligatio. Concluſio eſt communis, & ratio euidens. Vbi enim nihil datur, aut accipitur, nihil reſtitutioni obnoxium eſt.

Quarta Concluſio. Quando ſimonia eſt conuentionalis & tantũ temporale acceptum, non tamen traditum ſpirituale, illud reſtituendum danti ante iudicis ſententiam. Caietan. in ſumma. Sotus, Gregorius de Valentia, Victoria & alij.

Quinta Concluſio. Quando acceptum ſpirituale, nõ tamen traditum temporale, in praxi receptior opinio eſt, quod non ſit reſtituendi obligatio. Nauarr. in manuali. cap. 23. num. 104. ex auctoritate Caſſad. in deciſ. 5. de conſtitut. & Gomeſio in regula cancellariæ de triennali poſſeſſ. quæſt. 12. aſſerentibus collationem beneficij per ſimoniam conuentionalem factam valere. Quia id obſeruat eis atteſtantibus antiquus ſtylus Romanæ curiæ, qui facit ius. cap. Ex literis. de conſtitut. & cap. Quam graui. de crim. falſ. probationem huius concluſionis longè perſequitur Nauarr. Pro hac concluſione eſt etiam Didac. Couarr. in relect. cap. Peccatum, de regul. iuris. 2. part. §. 8. num. 7. Petrus à Nauarra in d. cap. 2. num. 428. & ſeq. qui tamen de rigore iuris veriorem exiſtimat Caietani & Soti ſententiam, qui ſentiunt in caſu huius concluſionis neceſſariam eſſe reſtitutionem etiam ante ſententiam, ſed à praxi curiæ recepta, & obſeruatione approbata non eſt recedendum. Conueniunt tamen communiter in hoc DD. quod in pœnam tanti criminis, qui ſpirituale videlicet beneficium accepit, eo poſſit per iudicis ſententiam priuari.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

An ſimonia realis obliget aa reſtitutionem?

SCribunt DD. de hac re in locis proxima q. allegatis, & Victoria in relectione de ſimonia. 2. parte. Alenſis 2. part. q. 187. memb. 5. S. Thom. 2. 2. quæſt. 100. art. 6. in corp. & ad 3. Turrecrem. & Cardin. Alexand. in c. Non eſt putanda. 1. q. 1. Canoniſtæ cum Gloſſ. ſupra eod. cap. De hoc.

Tenendum mente ex Rubr. notab. 14. quæ ſit & dicatur realis ſimonia.

Prima Concluſio. Quicquid acquiſitum eſt per ſimoniam realem pro beneficij collatione, ſiue eius acquiſitione, quam primum reſtituendum eſt, etiamſi nulla ſcientia aut ſententia iudicis accedat. Hæc eſt communiſſima DD. tam Theologiæ quàm iuris canonici ſententia. Concluſio probatur ex cap. Ordinationes, & cap. Preſbyter. & cap. Si quis Epiſcopus. 1. quæſt. 1. & ſupra eod. tit. cap. De hoc. & cap. De ſimoniacè. & cap. De regularibus, & ſimilib. & clarius ex Extrauag. 2. de ſimonia. & in Concilio Conſtantienſ. ſeſſ. 43. in quibus decernitur nullum ius acquiri per electiones, prouiſiones & collationes ſimoniacas. Si nullum ius acquiritur. Ergo ſtatim reſtituendum, quod iniuſtè retinetur. Et licet quidam DD. ſenſerint beneficij colla-

tionem ab initio nullam eſſe quo ad ſim
am publicam , & non quantum ad eam
occultè commiſſa eſt, & latet, vt tradidêr
meſ.in reg.de trienn. poſſeſſ. quæſt. 12. &
eum Couarr. loc. cit. tamen illam amb
tatem ſuſtulerunt Concil. Conſtant.
extrauag. 2. dum ſtatuunt ſimoniacum
occultum nullum ius in beneficio , quo
ſimoniam habuit acquirere, atque ideò
ſimonia in beneficio occultiſſimè ſit com
ſa, tamen tam dans quam accipiens tene
quam primum ad reſtitutionem hinc
perceptorum.

Secunda Concluſio. Qui ſcienter ſimo
beneficium acquiſiuit præter beneficij
nationem etiam tenetur ad reſtitution
ctuum omnium , qui à diligenti poſſ
percipi potuerunt. Alexand. Alenſis loc
S. Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 6. & eius
mentatores ibidem. Couarr. in d. num. 7
tus vbi ſupra. & hæc eſt communis DD
tentia. Probatur in primis ex Extrau
de ſimonia ibi. Per electiones verò po
tiones , prouiſiones , confirmationes
quaſuis alias diſpoſitiones , quas ſim
contigerit labe fieri, & quæ viribus om
careant, in Eccleſijs, monaſterijs, dign
bus , perſonatibus , officijs Eccleſiaſtic
quibuſuis beneficijs, aut aliquo eorum,
quam ius nullatenus acquiratur : & ſ
tur his verbis : Nec inde faciat aliquis

ctus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit reſtitutionem, ſub animæ periculo ſit aſtrictus. Hæc in d. Extrauag. & in d. loco Concilij Conſtant. idem habetur. Nec promoti, ait, aut prouiſi faciant fructus ſuos: ſed ad illorum reſtitutionem tanquam iniquè ablata percipientes teneantur. De his Rebuffus in praxi beneficior. 3. part. in titu. de ſimonia, in reſignatione. num. 7. 8. & 15. Ratio etiam euidens eſt. Collatio & prouiſio beneficij ſimoniacè facta ipſo iure nulla eſt ex iuribus ſupra allegatis. Ergo beneficium ſic poſſidens iniuſtus eſt poſſeſſor, & non facit fructus ſuos, & conſequenter tenetur ad rereſtitutionem perceptorum. His accedit, quod generaliter poſſidens ſine titulo, tenetur de omni damno & lucro percepto & percipiendo. l. Si nauis. ff. de rei vendic. Quod dictum de reſtitutione fructuum, intelligendum ex ſenteutia S. Thomæ de fructibus qui ſuperſunt deductis expenſis factis cauſa fructuum.

Tertia Concluſio. Qui beneficium per ſimoniam ignoranter & inuoluntariè acquiſiuit, vtpote quando ab alijs videlicet conſanguineis, aut amicis ſimonia commiſſa eſt, quamprimum reſciuerit ſe ſimoniacè ingreſſum habuiſſe, tenetur beneficium dimittere. Sanctus Thomas in d. art. 6. ad tertium. & Commentatores eius ibidem. Syluester in verb. Simonia. quæſt. 13. dicto 8. Couarr. Sotus & Petrus

Petrus à Nauarra loc. cit. & alij communiter. Probatur ex cap. De ſimoniacè. cap. De regularibus. & cap. Ex inſinuatione. & Nobis, ſupra eod. & DD. ibidem. Et qui ſic ſimoniacè ſimonia commiſſa ab alijs beneficium acquiſiuit, ſi à tempore ſcientiæ criminis ſtatim beneficium non dimittat, videtur ratum habere factum ſimoniacum aliorum, & participare in peccato. Imò ſi nolit dimittere poteſt cogi à iudice ad dimittendum.

Quarta Concluſio. Qui ſic poſſedit beneficium ex ſimonia ignoranter commiſſa tenetur etiam ad reſtitutionem fructuum ratione beneficij ſimoniacè poſſeſſi acquiſitorum, qui adhuc extant: non tamen ad reſtitutionem eorum, qui bona fide durante conſumpti ſunt. S. Thom. loco cit. & eius commentatores. Victoria in releĉt. 2. part. num. 8. Martinus Nauarr. lib. 5. conſilior. in tit. de ſimonia. conſil. 61. Sylueſt. Sotus. Couarr. Petrus à Nauarr. locis cit. Quando autem conſcius fit ſceleris, ſi ſtatim vt in conſcientia tenetur, beneficium non dimittat, à die ſcientiæ tenetur etiam fructus reſtituere, cùm tunc mala fides incipiat, & cognoſcat ſe iniuſtè ſine titulo canonico beneficium poſſidere. Antequam enim ad ſcientiam ipſius criminis commiſſi narratio deuenerit, cùm nullum crimen commiſerit, nec culpam aliquam contraxerit tanquam bonæ fidei poſſeſſor poſſedit. Lex canonica non ſolum eum, qui ſcienter, ſed etiam

iam eum, qui ignoranter beneficium per ſimoniam acquiſiuit, incapacem reddidit acquiſitionis beneficij in pœnam tanti criminis. Atque in hoc caſu quando ſimoniæ peccatum ab alijs commiſſum eſt, ignorante eo, qui beneficium acquiſiuit, priuatio beneficij à iure impoſita non habet rationem pœnæ: cum talis poſſeſſor non peccauerit, ſed eſt quædam incapacitas à iure impoſita omni poſſeſſori beneficij ſimoniacè collati ſiue ſcienter, ſiue ignoranter: ſicut irregularitas aliquando eſt pœna; vt in occidente priuata auctoritate; quandoque non eſt pœna, ſed quædam incapacitas, vt in iudice qui ſine vllo peccato ad mortem condemnat malefactorem. Sed nunc videndum cui reſtitutio facienda.

Quinta Concluſio. Pecunia ſiue res temporalis data pro acquiſitione beneficij, ſi iudicis ſententia & condemnatio accedat, reſtituenda eſt Eccleſię, in cuius ignominiam aut damnum, talis pecunia data: vel pauperibus, ſi in nullius certæ Eccleſiæ ignominiam ceſſit. Hęc eſt communis DD. Gloſſ. in cap. De hoc. ſupra eod. & alij ibidem. Sylueſt. in verb. Simonia. quæſt. 20. Sotus. Victoria. Caietan. & alij. ex cap. De hoc. cit. & arg. cap. Si quis in atrio. 17. quæſt. 4.

Sexta Concluſio. Pecunia talis ante ſententiam, & in foro conſcientiæ reſtituenda eſt danti. Hæc eſt probabilis, quam tenent Dominicus Sotus lib. 9. de iuſtitia & iure. quæſt. 8. art. 1.

art.1. & ante eum Victoria in 2. part. relecti
nis de Simonia. num. 6. Petrus à Nauarra
4.de reſtitut. cap.2. num. 147. Ioſeph. An
in 2. part. in 4. ſentent. in quæſt. Quis à re
tutione liber ſit. difficult. 17. Petrus de A
gon in d. art. 6. D. Thomæ. & ibidem. G
gor. de Valentia, & alij quidam recentio
Dicit tamen Victoria, quod ex ſententia o
nium DD. reſtitutio non debet fieri ei, à q
accepta eſt, quia non eſt facta ei iniuria, l
de hoc non adducant Doctores aliqu
canonem id determinantem, quod ego ſci
Sic Victoria, cuius tempore communis
opinio. At poſt Sotum, qui noſtram conc
ſionem altius fundauit, licet breuius plu
relicta communi in hanc deſcenderunt ſ
tentiam, quæ hoc fundamento munitur. I
pœnalis ante condemnationem reum n
obligat, vt ipſemet teneatur eſſe executor
ſententiæ pœnalis, quando requiritur ac
ad executionem. argum. cap. Fraternitas 12
2. Gloſſ. ibid. quam ſequuntur in eod cap. A
chidiacon. Cardin. Alexand. Turrecr. Mar
Nauarr. & alij. Archidiac. Petrus Ancharan
Philippus Francus in c. Cum ſecundum leg
de hæreticis. in 6. Ioannes Andr. in c. Pro h
mani. de homicid. in 6. Bart. in l. Eius qui
latorem. ff. de iure fiſc. & ex Theologis S. Th
mas 2. 2. quæſt. 62. art. 3. in corp. Caietan. &
commentatores ibid. Syluest. in verb. Aſſa
nus. q. 5. Conrard. de contractib. q. 7. Adri

quo

quodlibeto 6.art.1. Barthol. Medina in 1. 2. S. Thom. q. 96. art. 4. & latiſſimè Dominicus Sotus lib.1.de iuſtitia & iure.q.6. art6.& alij alibi communiter contra quoſdam DD. Sed lex quod talis pecunia detur Eccleſię,aut pauperibus, alienetq; à ſe illam pecuniã, qui eam accepit pœnalis eſt à lege canonica inducta vt ſupra dictum, & requirit ad ſui executionem actionem & paſſionem. Ergo. S. Thomæ doctrina in d. q. 100. art.6. ad 4. videtur obſtare huic concluſioni. Sed ea intelligenda ſecundum 5.concluſionem, vt Sotus intelligit.

Septima Concluſio. Renunciatio beneficij ſimoniacè collati debet fieri in manibus ordinarij, ſiue Epiſcopi, aut alterius ſuperioris, qui renunciantem poſſit inuitum deſtituere iuſta de cauſa. Hanc docet Nauarr. lib.5. conſil.de ſimonia.conſil. 61.in reſponſ.ad 1.quæſt. probat ex Innocentio in cap. Quod in dubijs. de renunciat. Panorm. in c. Cum ex iniuncto. in fin.de hæret.& alijs dicentibus, quod poteſtas recipiendi reſignationem beneficij pertineat ad eum qui poteſt inuitos deſtituere. Sed rectius allegaſſet Nauarr. ad propoſitũ Gloſſ. in c.De regularibus.ſuper verb.Dimittant.ſupra hoc tit.Innocent.Hoſtien.Ioan.Andr.Panorm. Anton. & communiter alios ibidem, qui loquuntur in caſu noſtro, & dicunt quod inferiores renunciẽt beneficia ſimoniacè poſſeſſa & accepta in manibus prælatorum & ſuperiorum ſuorũ: Quod vtiq; intelligendum de præ-

de prælatis & ſuperioribus, qui habent poteſtatem, & iuriſdictionem Epiſcopalem priuandi & deſtruendi, quando iuſta cauſa ſubeſt. Si autem ſint prælati inferiores exempti, non renunciant niſi in manibus Papæ, vel Legati ſecundum Hoſtienſem, & alios poſt eum. Et Epiſcopus non poteſt niſi in manibus Papæ aut ſine eius conſenſu. Hinc non rectè iudicat Victoria, dum dicit loc. cit. non videtur dubitandum, quin debeat fieri collatori, id eſt, talis debet reddere in manus illius, ad quem ſpectat prouidere. Collator enim non ſemper habet poteſtatem inuitum ex iuſta cauſſa aut priuandi, aut deſtituendi. Addit tamen rectè Nauarr. in d. conſil. num. 3. quod ſuperior in cuius manibus huiuſmodi renunciatio fit, non poſſit beneficium renunciatum denuò conferre renuncianti, ſi eius collatio non pertineat ad eum, ſed collatio fiet ab eo, ad quem illa alias pertineret, quia licet, vt ipſe ait, regulariter, iure communi ſolo attento, ad quem pertinet poteſtas deſtituendi, pertineat poteſtas inſtituendi, & contra. ex d. cap. Ex iniuncto. & Gloſſa ibid. communiter recepta. Secus tamen eſt, cum inſtitutio iure particulari priuilegij, fundationis, vel conſuetudinis pertinet ad alium quam ad deſtituere potentem, vt ibi & alibi reſoluitur. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 11. prope finem dicit aliquid notabile ad præſens inſtitutum, neſcio tamen an tempeſtiuum ſit remedium.

Nota

Nota ſeptimo, inquit, quod Epiſcopus vel alius qui ſimoniacè tenet beneficium veniens ad mortem, ſi vult ſaluari, debet renunciare ſecundum Hoſtienſ. mente, & in manibus confeſſoris, ſi non poteſt habere eum, in manibus ordinarij deberet reſignare, & ſub hac conditione renunciabit ſi placuerit Papæ, vel alteri, ad quem ſpectat collatio eius. Et ſi conualuerit, vadat quam citius ad eum, & pareat ei. Et caueat ne moram præbeat, nec fructus ſibi appropriet: ſed fideliter cuſtodiat, vel in vtilitatem Eccleſiæ expendat. Hæc ille. Dubium hîc eſſe poteſt. An qui ſimoniacè beneficium nunc adeptus eſt, ipſo iure ſit inhabilis ad illud, & ad alia quæcunq; obtinenda? Difficultatē facit extrauagans Pij V. quæ incipit: Quamprimum. & eſt 12. libri ſuarum conſtitut. verſ. Qui beneficium, aut officium Eccleſiaſticum ſimoniacè adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo iure priuatus, & ad fructuum omnium quos ſuſceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuò ſit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Hæc ibi. Nauarr. in tit. de ſimonia. conſil. 34. mouet hanc dubitationem occaſione d. extrauag. Pij V. Reſpondet in primis Nauarr. quod præfata extrauag. non habeat locum in foro conſcientiæ ante ſententiam, quia pœna non ligat conſcientiam ante illam inflictam iuxta Gloſſ. ſolemnem in d. c. Fraternitas. & per alia ſup. allegata. Alia etiam ar-

iam argumenta pro parte negante accumulat Nauarr. & poſtremo bene dicit, quod ſuo iudicio à paucis prædicta conſtitutio quo ad hunc effectum eſt vſu recepta, licet à plurimis circa beneficia, ſimonia committatur, & lex quæ non eſt vſu recepta, non ligat. §.Leges. d. 4.& gloſſa recepta. cap.1. de treuga & pace.

Octaua Concluſio. Licet in ordinatione ſimoniaca, qui pretium temporale recipit, teneatur ad eius reſtitutionem, tamen qui ordinem recipit, nihil ſpirituale reſtituere poteſt. Hæc elicitur ex communi doctrina DD. Prima pars patet ex ſuperioribus & ab omnibus recepta eſt. Secunda non minus clara. In ordinatione confertur ordo cum charactere. Sed nec ordo ſemel collatus adimi poteſt, nec character qui indelebilis eſt, reijci valet.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERVM IN HOC TRACTATV contentarum.

A.

ABBAS de dilapidatione ſuſpectus, eſt ſuſpendendus. fol. 378.
Abbas ſuſpenditur qui pro receptione monachi recipit pecuniam. 321
Abbates Ciſtertienſes de iure communi ſubiecti ſunt Archiepiſcopis. 508
In Abbatis conſecratione ex pacto aliquid dare ſimonia eſt. 313
Pro abſolutione ab excommunicatione pecuniam dare ſimonia eſt. 342
Pro abſolutione ad redimendam vexationem poteſt offerri pecunia. 343
Acceſſorium gratuitum quando. 86
Acceptio perſonarum in beneficiorum collatione nonnunquam committitur. 255
Acceptio perſonarum quid ſit. 255
Actus aliquis dicitur ſpiritualis dupliciter. 359
Accuſator non Catholicus in crimine ſimoniæ non admittitur. 106
Ambitio vnde dicitur. 192
Anniuerſaria pro pretio celebrare eſt ſimoniacum. 364.
Aquam benedictam vendere ſimonia eſt. 52

B.

AD Baptiſmi neceßitatem aquam emere non eſt ſimonia. fol. 177
Pro Baptiſmi adminiſtratione quando & qualiter poteſt dari pecunia. 177
In beneficio ſunt duo clericatus & titulus ſeu ius præbendæ. 113
Beneficialis confidentia quæ ſit. 74
In beneficia præſtimonialia an cadat ſimonia. 153
In beneficio acquirendo ſimonia committitur. 216
In beneficiorum collatione pactio quæ illicita? 219
Caſus ponuntur in ſpecie. 220
In beneficij collatione partem fructuum reſeruans ſimoniam committit. 221
Quando poßit Epiſcopus reſeruare. 223

C.

CAlicem conſecratum quomodo & quando liceat vendere. fol. 52
Canonicus vadens ad Eccleſiam principaliter vt diſtributiones accipiat, ſimoniam committit. 358
Si vadat minus principaliter ſecus. 360
Canonici pro adeptione poſſeßionis quid dare poſſint.
Canonicatus eſt ſimplex beneficium. 334
Cauſa ciuilis quæ dicatur, & quando dicatur ciuiliter agi. 383
Celebrans ante confeßionem qui mortale commiſit peccatum. 113
Clericus dans bona ſua vt in canonicum recipiatur. 133

Clericus poteſt ſollicitare in cauſa laici Romæ. 213
Clericus habens ſufficiens patrimonium poteſt acceptare beneficium. 435
Clericus viuens ex patrimonio ſuo quando benefacit. 443
Ponit exempla duorum Iodoci Lorichij & Generoſi de Brandenburg. 448
Clericus offerens bona Eccleſiæ ſuæ vt præbendam, retineat ſimonia. 404
Clericus de quibus bonis poßit diſponere.
Clericus non debet ſua relinquere hæreticis.
Confirmans aliquem in beneficio, nil iuris dat. 355
Confirmatio pecunia comparata ignorante electo non eſt ſimonia. 402
Pro confraternitatis ingreſſu dare quando ſimonia. 146
Pro conſecratione altarium quando aliquid exigi poteſt. 186
Conſanguineis conferre beneficia quàm periculoſum. 253
Non eſt ſimonia. 255
Conſanguineo digno conferre non eſt acceptio perſonarum. 257
Conſanguineo conferre vt domus reddatur nobilior potentior, eſt ſimonia. 258
Pro chriſmate pecuniam accipere ſimoniacum eſt. 302. 427
Conſcientia peccati mortalis quæ. 113
Conſcientia quid & quotuplex. 419
Conſcientia erronea obligat. 420
Contra conſcientiam dubiam agere eſt peccatũ. 420

Contra ſcrupuloſam non. 322

Conſcientiæ ſcrupuloſæ quando ſtandum. 312

Conuiuia in profeßione monialium damnantur. 138

D.

Debitor poteſt pro debito excommunicari. 341

Dimiſſoriæ ad ordines debent gratis dari. 96

Dignum ſe iudicans cura animarum poteſt preces offerre. 242

Propter diſtributiones viſitans Eccleſiam quando ſimonia. 385

Diſpenſare poteſt Pontifex in pœnis ſimoniæ. 328

Aliquando Epiſcopus. 330

Diſpenſare in ſimonia in ingreſſu religionis quis poſſit. 337

Docere Theologiam pro pretio quando licet. 25

Doctor iuris quando pro munere docendi poteſt accipere pretium. 21

Dona & munuſcula quando inducunt ſimoniam. 313

E.

Eleemoſinam pro Miſſa accipere non eſt ſimonia. 364

Eleemoſinas largas dare monaſterio vt facilius recipiatur non eſt ſimonia. 144

Electio quid ſit. 191

In electione ſimonia. 193

In electione munera damnârunt Ethnici. 196

In electione poſſunt induci pacta de conditionibus quæ iure inſunt. 203

In ele-

In electione ſuffragia pecunia comparare ſimoniacum. 207
Aut beneficium promittere. 207
Aut tertio pecuniam dare. 208
Ad electionem impediendam quando pecuniam dare licet. 209
Per electionem ſimoniacam nullum ius acquiritur. 211
Electio ſimonia inducit excommunicatione. 211
Epiſcopus aut miniſter eius quid accipere poteſt pro conſecratione templi vel altaris. 185
Pro examine ordinandorum accipere quando ſimonia. 92
Excommunicatus à iure poteſt ab homine excommunicari. 109
Pro exequijs pecuniam accipere quando ſimonia. 365
Ad Euchariſtiam quis dicatur præparatus. 114

F.

Finis duplex. 266
Fructus primi beneficiorum quomodo ſoluendi Epiſcopis. 224

G.

Gratia, virtutes, &c. nec de iure nec de facto vendi poſſunt. 491
Gratis aliquid dare non eſt illicitum in receptione Canonicatus. 517

H.

Homagium quid ſit. 305

Homagium pro ſpiritualibus præſtari non poteſt, ſed iuramentum fidelitatis. 308

I.

IMpoſitio manuum eſt ordinatio. 86
Infidelium conuerſionem procurare quando licet. 184
Inimicus non admittitur teſtis. 384
Inſinuato de ſimonia quando indicenda purgatio. 190
Intentio examinanda quantum ad ſimoniam. 406
Pro inueſtitura an poßit aliquid exigi. 427. & 226
Iudex accipiens pecuniam, vt ferat ſententiam debet reſtituere. 409. & ſeq.
Quando committit ſimoniam. 412
Iuramentum ab Epiſcopo ante electionem factum quando valet. 204
Iuriſdictio Eccleſiaſtica ſine ſimonia vendi non poteſt. 462
Iuriſdictionis commoda ferens. 463
Iuriſdictio ciuilis emi poteſt. 468
Ius patronatus laicorum an ſit quid temporale. 14
Ius patronatus eſt ſpirituali annexum. 17
Ius patronatus acquiritur conſtructione, dotatione & fundatione Eccleſiæ. 19
Ius patronatus quid ſit. 295
Ius patronatus emere per ſe eſt ſimonia. 297
Ius patronatus tranſit cum caſtro, villa, &c. 247
Ius patronatus per ſe non poteſt in feudum dari. 301
Nec in diuiſione bonorum aßignari pro recompenſatione inæqualitatis. 301

L.Labor.

L.

LAbor in ſacramentis quando vendi poteſt. fol. 492
Legare monaſterio certam ſummam ſi filium ſuſceperint, quomodo licet. 140

M.

MAnerium quid ſit. 2
Manus impoſitio ſignificat ordinationē. 86
Matrimonium non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam contractus. 504
In matrimonio quomodo poteſt pecunia dari. 505
Mediatores in beneficijs quando ſimoniam committunt. 230
Metu incuſſus beneficium conferens quando peccat. 249
Miniſtro dare pecuniam vt ad collatorem habeat acceſſum. 231
Miniſtro baptiſmi pecunia quando dari poteſt. 177
Minus digno conferre curam animarum reiecto digniori peccatum. 260
Miſſam vnam pro altera dare non eſt ſimonia. 273
Monachatus quid ſit. 323
Monachi nomine Abbas intelligitur. 323
Monialis nomine non comprehenditur Abbatiſſa. 479
Moniales quando poſſunt paciſci cum ingredi volenlentibus. 125
Cur poßint moniales & non monachi. 137
Monaſterium ſimoniacè ingreſſus, ad aliud monaſterium eſt transferendus. 344

Munus à lingua quid. 228
Munus ab obſequio quando inducit ſimoniam. 264
Munus liberaliter dare poſt actus ſpirituales non eſt ſimonia. 514
Munus quando gratis datur. 316
Mutatio nominis non mutat contractum. 429

N.

Notarius in ordinatione quando nil debet accipere. 94
Notarius quando committit ſimoniam. 95

O.

Obiectum ſimoniæ. 21
Officia merè temporalia poſſunt vendi. 51.
quando, & quando non. 51. & 467
Item officia quæ habent dependentiam à re ſpirituali. 463
Omittere actum ſpiritualem non eſt quid ſpirituale. 291
Omittere huiuſmodi actum pretio, auaritia eſt non ſimonia. 292
Ordinari ſimoniacè poteſt quis tripliciter. 326
Ordinari nemo debet ordine ſacro ſine titulo. 432
Ordinem recipere ab eo quem credit ſimoniacum non licet. 417
Ordinem conferens per ſimoniam eſt ſuſpenſus. 425
Circa ordines quando ſimonia. 89

P. Paci-

P.

Paciſci pro victu cur moniales non monachi poſſunt. 134
Pallium quid & quis vſus. 88
In pallij traditione ex pacto dare pecuniam ſimonia eſt. 313
Patrimonio pingui dotatus poteſt viuere ex beneficio. 442
Patrimonium ſufficiens poßidens, ſi ex eo viuat, beneficia relinquendo pauperibus, rem laude dignam præſtat. 443
Duo ponit exempla, D. Iodoci Lorichij Doctoris Friburgi, & Generoſi D. Ioannis à Brandenburg Luxemburgi. 448
Quando peccant habentes patrimonium & beneficium accipiunt. 449
Pecuniæ nomen quicquid pretio æſtimari poteſt complectitur. 28
Penſio vnde dicatur & quid ſit. 152
Non eſt beneficium. 153
Solus Pontifex diſpenſat. 154
Cauſæ requiruntur. 157
Penſionarius tenetur ad officium B. Virginis recitandum. 161
Penſionarius Eccleſiaſticus matrimonium contrahens amittit penſionem. 164
Penſionario moriente quid & quantum deuoluitur ad hæredes. 165
Penſionarius autoritate Pontificis poteſt eſſe ſecurus. 167

Penſio clericalis emi non poteſt. 1[illegible]
Penſio redimi quomodo poteſt. 1[illegible]
Penſio gratis poteſt remitti. 17
Permutatio beneficiorum quando fit ſimoniacè. 2[illegible]
De permutando poteſt fieri tractatio ſine ſcitu ſup[illegible] rioris. 27
In permutationibus inæqualium beneficiorum qua[illegible] do ſimonia. 27
Pontifex quando incurrit ſimoniam. 9
Diſpenſat in ſimonia. 10
Non incurrit pœnas. 1[illegible]
Pœnæ ſimoniacorum variæ. 5
Preces apud collatores ſunt triplicis generis. 23
Preces quando inducunt ſimoniam. 23
Preces pro indigno ad beneficium illicitæ. 24
Preces pro ſeipſo quando licitæ. 24
Preces pro ſeipſo in Epiſcopatu illicitæ quare. 24
Prælatis ex officio competit ſubditos corrigere. 37
Prælati regulares facilius amouentur quàm ſecula[illegible] res. 38
Primi fructus beneficiorum quando ſoluendi. 22[illegible]
Pro, præpoſitio quid ſignificet in hac materia.

Q.

R.

R*Eligionis habitus & ſtatus eſt à ſuſtentatio[illegible] ne diſtinctus.* 13[illegible]
Pro ingreſſu religionis temporale accipere quand[illegible] ſimonia eſt. 133. & 13[illegible]
Religioſa quomodo ſecurè recipitur ſine ſimonia[illegible] 144

Renun[illegible]

Renunciatio beneficij debet fieri autoritate ſuperioris. 280
Renunciatio cum pacto ſimoniaca habetur. 281
Renunciare vt Titio conferatur illicitum. 281
Renunciare vt expenſæ ſoluantur ſimonia eſt. 285
Renunciatio beneficij ſimoniacè obtenti debet fieri in manibus Ordinarij. 553

S.

SAcerdos excommunicatus celebrans fit irregularis. 111
Sacerdos in peccato mortali celebrans peccat mortaliter. 113
Sacramenti nomine in vtroq; iure iuramentum intelligitur. 312
In hac materia comprehendit omnia ſpiritualia. 120
Sacramenta in elemento corporali quando vendi poſſunt. 492
Sacramenta adminiſtrantibus quid debeatur. 498
Scholaris ſine ſimonia poteſt ſibi procurare pecunia locum in Collegio. 146
Sepulturæ nomine quid intelligatur. 482
Sepulturam vendere quando eſt ſimonia. 483
Sepulturæ locus generaliter quomodo vendi poſſit. 488
Seruire pro beneficio ſimonia eſt. 272
Pro ſigillo teſtimonialium accipere pecuniam quando ſimonia. 96
Simon Magus quid emere voluerit. 4
Simonia latè & ſtrictè quid. 2
Simonia quid. 3

Simonia

Simonia à Simone Mago. 4
Simoniá quomodo pertinet ad forum Eccleſiaſticum. 7
Simonia commiſſa in lege Moyſi. 26
Simonia potuit eſſe in lege naturæ. 27
Non potuit eſſe apud paganos. 27
Eſt mortale crimen de grauioribus. 30
Dicitur hæreſis. 33
Eſt contra ius diuinum & naturale. 46
Simonia in beneficijs eſt iure diuino prohibita. 48
Datur ſimonia quæ eſt tantum iuris poſitiui. 53
Simonia eſt triplex. 54
Simonia confidentiæ quot modis committitur. 73
Simonia in ordine ab Epiſcopo quæ. 89
Simonia in beneficijs. 215
Simonia eſt plus accipere à monaſterio quàm pro victu eſt neceſſarium. 135
Simonia eſt ſi Iudex aliquid accipiat pro decreto commiſsionis. 116
Simonia mentalis ab Eccleſia nõ punitur quare. 322
Simonia mentalis quæ obligat ad reſtitutionem. 525
Simonia quomodo probatur. 388
In ſimonia per ſigna proceditur. 110
Simonia non eſt pro ingreſſu confraternitatis aliquid dare. 146
Simonia non eſt ex liberalitate dare poſt actum ſpiritualem expletum. 314
Simoniam committens doloſè, poteſt puniri. 551
In ſimonia purè conuentionali nulla eſt reſtitutio. 551
Simonia realis reſtitutionem requirit. 553

Simonia-

Simoniacè recipiens beneficium tenetur ad omnes fructus. 554
Simoniacè accepta pecunia cui reſtituenda. 557
Simoniacus quando ſuſpenſus. 425
Simoniacus quando excommunicatus. 58
Simoniacus notorius in beneficio, deponitur. 288
Statuta in receptione canonicorum de certo quid ſoluendo. 515

T.

THeologia quando poteſt doceri pretio. 25
Teſtis in ſimonia quis eſſe poßit. 392. & ſeq.
Titulus beneficij quatuor in ſe continet. 49

V.

VExationem licet pecunia redimere in temporalibus. 349
In ſpiritualibus quando ſimonia. 351
Via quatuor ad Eccleſiaſticas dignitates. 201
Vſurarius mentalis tenetur ad reſtitutionem. 533

FINIS INDICIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google